

R-470

R. 50

E-11

T-1

nº-16

BIBLIOTHECA ANECDOTORUM

SEU

VETERUM MONUMENTORUM ECCLESIASTICORUM

COLLECTIO NOVISSIMA.

EX CODICIBUS BIBLIOTHECARUM HISPANICARUM COLLEGIT, DESCRIPSIT,
DISPOSUIT ET EDIDIT

GOTTH. HEINE.

PARS I.

MONUMENTA REGNI GOTHORUM ET ARABUM IN HISPANIIS.

PRAEFATUS EST

M. J. E. VOLBEDING.



LIPSIAE,

T. O. W E I G E L.

1848.

8. 25





Inter GOTTH. HEINIUM, Berolinensem, et T. O. WEIGELIUM, Lipsiensem, convenerat ineunte hoc anno de opere edendo et divulgando, quo continerentur monumenta literaria hucusque inedita, ad theologiam et historiam ecclesiasticam pertinentia, quae vir ille doctissimus versatissimusque in literis Hispanicis, dum plures per annos in peninsula, quae a Pyrenaeis montibus nominari solet, versaretur, ex codicibus bibliothecarum illic perlustratarum collegerat, sua ipsius manu descripta. Qua in re hanc legem observandam esse voluit, ut totum opus quinquaginta circiter plagularum, uno volumine comprehensum, quam primum fieri posset, typis exscriberetur et publici fieret juris. Annuit bibliopola, vir honestissimus, et partes suas strenue egit; nam intra duorum mensium spatium duodecim absolutae erant plagulae et duae iterum transmissae Berolinum, ut ultimam iis manum admoveret editor — cum inopinato acciderent alia omnia.

Postquam nimirum fatali illo Februarii die intercalari Ludovici Philippi regnum in Franco-Gallia unanimi populi Parisiensis ausu corruit, ingentes motus in nostra etiam patria extemplo sunt exorti et agitatum est ubique fere locorum de rebus publicis ex populorum sententia et votis in melius tandem aliquando mutan-

dis. Certatum est hoc nomine non sine magna animorum exacerbatione Vindobonae primis Martii diebus armisque provocata major illa scribendi dicendique libertas, populo diutissime negata et cum non ita multo post, nempe diebus Martii decimo octavo et nono, iisdem de causis Berolini pugna ista funestissima inter cives et milites regios per vicos urbis pugnaretur, primo certaminis die HEINE sclopeti globulo vulneratus procubuit et quadriduo post supremum obiit diem, nondum tricenarius *).

Ab eo inde tempore res Germaniae publicas et privatas magis magisque in dies turbari, summa imis imaque summis et, ut Phaedri**) utar verbis, „procaci libertate civitates misceri et conspiratis factionum partibus pristina frena solvi licentiâ“; tandem fidem publicam, attenuatam primo, exstingui penitus et prorsus evanescere, ita ut negotiorum gerendorum in ulla aliqua parte nec, ubi possis, voluntas, nec ubi velis, facultas adsit et occasio, tristissimus rerum status omnes occupet ordines. Non mirum profecto, subita perniciosaque hac rerum mutatione bibliopolas praeter caeteros esse turbatos eosque de libris novis sumtu majori vel minori edendis non cogitasse amplius, saepe adeo de absolvendis iis, qui typis exscribi coepti erant, deterreri se esse passos, dupliciter ita afflictos, et lucro ex libris paratis cessante et damno ex parandis emergente.

Incepta est igitur Heinii illa collectio; jam, quid faciendum? Adscito in consilium viro praeclarissimo, D. GUST. HAENEL, juris in universitate, quae hic floret, professore meritissimo,

*) Cfr. ephemerides, quae Berolini prodeunt et inscribuntur: *Magazin für die Literatur des Auslandes* etc. anni hujus No. 38 p. 152, ubi agitur de tristissima Heinii morte, injecta simul mentione scriptorum ab eo editorum.

**) Fabb. I, 3, 2—4.

cui magna intercesserat cum Heinio familiaritas, bibliopola per literas adit fratrem Heinii, quaerens ex eo, quid de continuanda absolvendaque fratris collectione sit sperandum? Remittit hic protinus plagulas illas duas, de quibus jam dictum est; ne lineam quidem adscripserat editor. Fidem porro dat, brevi transmissum iri et quae prelo parata sint et quae inveniri possint in scriniis fratris ad absolvendam libri incepti editionem. Recte paulo post transmittuntur multa quidem, ne dicam plurima. Cum autem paucissima tantum in justum ordinem sint redacta, ad caetera autem accuratius perlustranda, quae cura mihi tradita est, longius requiratur temporis spatium: primae partis, quae hic offertur, emittendae consilium e re sua duxit bibliopola, ut, siquidem librum hunc viris doctis probari intellexerit, de edendis reliquis ejus partibus mecum agitet consilia.

Jam, si quid video, non desperandam erit de futura hujus bibliothecae integritate. In literis enim, ut recte dici solet, nil parvi est nec facile futurum esse crediderim, qui, cum inspexerit indicem eorum, quae in hac prima parte continentur, nullum ad theologiae studium inde redundare posse commodum contendat. Varius est enim in theologia etiam variorum usus et quod alias locum habet, et hic fieri solet, ut merx, quam alter vilipendit, ab altero magni habeatur. Licet autem hactenus obiter tantum a me inspectae sint et perlustratae copiae illae Berolinenses, tamen, jure suo dicendum est, quae in reliquis, si res ita ferent, hujus bibliothecae partibus exhibenda sunt, — v. c. de rebus ad historiam Iudaeorum et Valdensium in Hispania, ad templarios equites, ad schisma pontificium, ad vitam et doctrinam Raymundi Lulli etc. pertinentibus — maximi ad illustranda varia historiae ecclesiasticae capita esse momenti. Vere dolendum est, Heinium inopinata et praematura nece fructui laborum im-

pigrorum, nunc demum percipiendorum literarumque incrementis ab eo sperandis esse ereptum; magis etiam dolendum esset, si, quae ille magnis impensis, insigni industria et felici successu collegit, oblivioni tradita jacerent.

Imagines literarum, quarum mentio facta est p. 167 et 203, nunc non potuerunt adjici, quum archetypha, ex quibus describendae essent, nondum sint reperta nec exstet, ubi forte lateant, vestigium; quae si posthac fuerint inventa, ex b. editoris voluntate non suo bibliopola deerit officio.

Unum addere liceat. Operis tyποθηtarum inspiciendis et corrigendis ego praefui. Fateor autem, me statim ab initio multis esse offensus, in quibus scribendi errores deprehendere posse mihi videbar. Quare communicavi hac de re cum Heinio; hic autem, negavit subesse scribendi errores; non meum esse mihi rescribit, ab iis, quae manu exaraverit, recedere, cum authenticae codd. scripturae, falsissimae etiam, ubique sint reddendae. Obtemperavi, quamvis, si dicendum, quod res est, invitus saepe. Lectores igitur persuadeant sibi, offerri textum, quem probavit editor, quippe qui singulis plagulis, ad duodecimam usque, ultimam admovit manum nec ab iis quae notaverat, recedendum esse severe praecepit. Doleo, editorem non perlustrare potuisse plagulam decimam tertiam, quae in epistolis Ascarici et Tusaredi p. 204 ss. mira profert. Confidant lectores, me summo studio et qua fieri potuit ἀκριβείᾳ haesisse in scriptionibus editoris, licet occurrant, in quibus vix vestigia quaedam latini sermonis reperiuntur. Non enim in hac operis nostri parte conjecturis indulgendum esse putavi; quod utrum in posterum fortasse fieri possit vel potius debeat, videbimus suo tempore et lectoribus fideliter indicabimus.

I N D E X.

	pag.
Monumenta regni Gothorum in Hispaniis	1
I. Fragmentum libri de spirituali rerum intelligentia	3
II. Tajonis liber sententiarum	22
III. Isidori Hispalensis liber quaestionum	26
IV. Mileti episcopi liber de actibus Johannis apostoli a Leucio conscriptis	108
V. Excommunicationis sententia	118
VI. De Mauricio monacho peregrinante	120
VII. Bulgarani epistolae	123
VIII. Commentarii in Cantica Canticorum scripti	132
A. Commentarius Gregorio Illiberitano adscriptus	132
B. Commentarius Gregorio Magno adscriptus	167
C. Commentariorum in Cantica Canticorum specimen tertium	187
D. De aenigmatibus Salomonis	196
Monumenta imperii Arabum in Hispaniis	201
I. Epistolae Ascarici et Tusaredi	203
II. Virgilii Cordubensis philosophia	211

MONUMENTA
REGNI GOTHORUM IN HISPANIIS.

MONUMENTA

REGNI GOTHORUM IN HISPANIA.

I.

FRAGMENTUM LIBRI DE SPIRITUALI RERUM INTELLIGENTIA
SCRIPTI.

Liber, qui sequitur, quum probat id quod ex aliis quoque iisque multis monumentis cognosci potest, Gothorum in Hispaniis Ecclesiae proprium fuisse, veras vocabulorum Scripturae Sacrae significationes solvere et ad arbitrium constituere, tum idem majoris momenti est, multis ex Scriptura Sacra locis allatis, e quibus videmus, *auctorem versione, quae a Vulgata et ab aliis latinis versionibus, a Cl. Sabatiero editis, multum discreparet, usum fuisse.* Quae lectiones variantes iis, quae apud Isidorum Hispalensem, in Breviario Mozarabico, in aliis ejusdem Ecclesiae monumentis inveniuntur, simillimae sunt; unde intelligi potest, hunc librum ad nullam aliam nisi ad illam Ecclesiam pertinere. Accuratus autem aliquid de auctore definire nequeo, quum nihil certi aut ex argumento operis, aut ex verbis supra codicem et infra eundem scriptis colligi possit. Codex XL. Alcobacensis Manuscriptorum Bibliothecae, nunc in Ulisponensi asservatae, ex quo librum descripsi, exhibet eum sine ulla accuratiore descriptione, et sine ullis aliis titulis quam quos infra posui, ita ut ne id quidem manifestum sit, utrum liber totum quoddam opus an majoris operis fragmentum sit. Quae pars antecedit illi in codice manuscripto, continet cum eodem non cohaerentia opera Gregorii Magni et Leonis.

Manu scriptus est liber seculo duodecimo aut tertio decimo; opus autem ipsum hanc aetatem excedere manifestum videtur.

DE FILIO DEI SECUNDUM DIVINITATEM.

Caput Domini ipsa divinitas eo quod principium et creator omnium rerum, ut in Daniele: capilli Domini candidi, eo quod antiquus sit dierum. Ubi et supra.

Oculi Domini inspectio divina, eo quod omnia videat, sicut est illud in apostolo: omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus.

Palpebrae Domini occulta et spiritalia in divinis praeceptis ministeria. In psalmo: palpebrae ejus interrogant h. e. probant filios hominum.

Odoratus Domini delectatio ejus in orationibus sive operibus sanctorum. In genesi: odoratusque est Dominus odorem suavitatis.

Os Domini filius ejus vel sermo ad homines. In propheta: os Domini locutum est. Et alibi: os ejus ad iracundiam provocaverunt.

Lingua Domini Spiritus Sanctus. In psalmo: lingua mea calamus.

Facies Domini ostensio ejus per filium ad homines. In exodo: facies mea praecedit te, et in propheta: facies Domini divisit eos.

Verbum Domini filius. In psalmo: eructavit cor meum verbum bonum.

Brachium Domini filius per quem omnia operatus est. In propheta Isaia: et brachium Domini cui revelatum est?

Dextera Domini i. e. filius qui et supra. In psalmo: dextera Domini fecit virtutem. *Dextra Domini* gloria sive beatudo perpetua, sicut in evangelio de filio dicitur: fedit ad dexteram Dei. *Dextera Dei* electi omnes. In deuteronomio: in dextra ejus ignea lex.

Alae Domini protectio divina. In psalmo: in umbra alarum tuarum sperabo.

Scapulae Domini divina patientia, qua portare dignatur infirmos. In deuteronomio: suscepit eos et superposuit scapulis suis.

Manus Domini divina operatio. In propheta: nonne manus meae fecerunt haec omnia?

Digitus Domini Spiritus Sanctus, cujus operatione tabulae legis in exodo scriptae referuntur. Et in evangelio: si ego in digito Dei ejicio demonia. *Digitus Domini* legislator Moyses sive prophetae. In psalmo: videbo coelos h. e. legis libros et prophetarum, opera digitorum tuorum.

Sapientia Dei filius. In apostolo: Christus Dei virtus et Dei sapientia; et in Salomone: sapientia Domini attingit.

Uterus Domini secretum divinitatis, ex quo filium protulit. In psalmo: ante luciferum genui te.

Pedes Domini stabilitas aeternitatis. In psalmo: et caligo sub pedibus ejus.

Thronus Domini angeli sive sancti, vel ipsa regnandi potestas. In psalmo: thronus tuus Deus in secula seculorum. *Sedes* idem quod supra, angeli vel sancti, quod in his Dominus sedeat. In psalmo: Deus sedet super sedem sanctam.

Descensus Domini visitatio ejus ad homines, sicut in Michea: ecce Dominus egredietur de loco suo et descendet conculcans extrema terrae. Item in malam partem in genesi: descendit Dominus ut videret turrem.

Ascensus Domini elevatio hominis assumpta terra in coelos. In psalmo: qui ascendit super coelos coelorum ad orientem.

Stare Domini patientia divinitatis, per quam peccatores ad poenitentiam sustinet. Sicut in Abacuc: stetit et mensus est terram; et in evangelio: stetit Jesus et jussit eum vocare, h. e. caecum.

Transitus Domini carnis assumptio; per quam nascendo, moriendo, resurgendo, in coelos ascendendo quosdam transitus fecit. In cant. cantic.: ecce iste venit saliens montes, transiliens colles.

Gressus Domini adventus vel visitatio ejus. In psalmo.

Viae Domini operatio divinitatis. Sicut in Job pro diabolo: ipse est principium viarum Domini. Item *viae Domini* praecepta ejus. In Osee: quam rectae viae Domini et justi ambulabunt in eis.

Vestigia Domini operum suorum signa. In psalmo: et vestigia tua non cognoscentur.

Cognitio Domini quod cognoscentes faciat, ut ad Abraham: nunc cognovi quod timeas Deum h. e. cognoscere te feci.

Nescire Domini reprobare est. In evangelio: nescio vos.

Recordatio Domini misericordia ejus, per quam et miseretur cui vult. Sicut in genesi: recordatus est Dominus Noe; et alibi: recordatus est Dominus populi sui.

Poenitentia dicuntur rerum mutatio, sicut in libro regum: poenitet me quod constituerim Saul regem.

Ira et furor Domini ultio divinitatis in peccatores secundum vindictam patientis, non secundum aequitatem judicantis. In psalmo: in ira sua et in furore suo conturbavit eos.

Dormire Domini dum in cordibus quorundam hominum fides ejus minime vigilat. In psalmo: emerge quare obdormis Domine.

Vigilia Domini in electorum suorum custodia per praesentiam divinitatis semper adesse. In psalmo: ecce non dormitabit neque dormiet.

Sedere Domini regnare. In psalmo: Deus sedet super sedem sanctam suam.

Scabellum Domini homo assumptus a verbo vel sancti ejus a quibusdam putantur. In psalmo: adorate scabellum pedum ejus, quam sanctum est.

Ambulatio Domini delectatio divinitatis in operibus electorum suorum. In propheta: et inambulabo in illis et ero illorum Deus.

Tuba Dei vox manifesta. In Apostolo: in jussu et in voce archangelii et in tuba Dei descendet de coelo.

DE FILIO DEI SECUNDUM CARNEM.

Caput Christi Deus. In apostolo: caput autem Christi Deus.

Corpus Christi sancta ecclesia. Ubi et supra: corpus ejus quod est ecclesia.

Caput ecclesiae Christus. In apostolo: caput autem mulieris vir.

Capilli Christi candidi multitudo sanctorum dealbatorum. In apocalypsi, et in evangelio: neque per capillos capitis tui juraveris.

Oculi Christi evangelica praecepta. In genesi: pulciores oculi tui vino.

Dentes Christi apostoli. Ubi et supra: et dentes lacte candidiores.

Lingua Christi evangelicus sermo. In psalmo: lingua mea adhaesit faucibus meis. *Fauces* igitur praedicatores evangelii, ubi et supra.

Labia Christi annuntiatores verbi. In cantico canticorum: labia tua sponsa.

Barba Christi homo assumptus a verbo vel perfecti omnes. In psalmo: sicut unguentum in capite quod descendit in barbam Aaron.

Manus Christi operarii justitiae ad omne opus bonum parati. In cantico canticorum: manus ejus tornatiles aureae. *Digiti Domini* fortes in ecclesia usque ad mortem pro justitia agonizantes; ubi et supra: digiti mei destillaverunt myrram. *Dextera Domini* testamentum novum; *sinistra* vetus. Item: *dextera* beatitudo perpetua, *sinistra* vita praesens, sicut in cantico canticorum ecclesia dicit: laeva ejus sub capite meo et

dextra ejus amplexabitur me. *Dextra* electi, *sinistra* reprobi omnes. In evangelio: statuet oves a dextris haedos autem a sinistris.

Ubera Christi evangelica doctrina. In cantico canticorum: meliora sunt ubera tua vino.

Mamillae Domini dua testamenta legis. In apocalipsi: et zona aurea circa mamillas.

Venter Christi lavacrum regenerationis, ex quo electos suos per adoptionis gratiam in filios regenerat. In cantico canticorum: venter ejus eburneus.

Intestina Domini secretum divinitatis, sive in sacra scriptura occulta sacramenta. In exodo: caput cum pedibus et intestinis vorabit.

Crura ejus apostoli vel ceteri praedicatores totum ecclesiae corpus sustinentes. In cantico canticorum: crura ejus sicut columnae marmoreae.

Pedes Domini homo assumptus a verbo vel sancti apostoli. In deuteronomio: qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. Et in psalmo: adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.

Ossa Christi fortes in ecclesia, quae est corpus ejus. In psalmo: dispersa sunt ossa mea secus infernum.

Carnes Christi infirmi in ecclesia. In psalmo: dum appropinquantur super me nocentes ut edant carnes meas.

Vestimenta Domini caro assumpta. In Ezechiel: ecce vir vestitus linteis i. e. carne munda.

Vestimenta Christi electi omnes. In Job: circumdata tibi decorem tuum et speciosis induere vestibus.

Tunica Christi ejus ecclesia, cujus figuram tunica illa habuit, de qua in evangelio scribitur: non scindamus illam sed sortiamur de illa cujus sit.

Stola Christi caro assumpta, passionis vino mundata. In genesi: lavit vino stolam suam.

Pallium Christi sancta ecclesia, ejus aspera cruore. Ubi et supra: in sanguine tinxit uvae pallium suum. *Lumbare Domini* populus Judeorum superbiae vino putrefactum. In Jeremia propheta: sicut lumbare adhaeret corpori, sic et ego applicavi populum istum ad me dicit Dominus.

Cingulum Christi justitia sive fides ejus. In Ysaia: erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus. *Calciamentum Domini*, mysterium incarnationis. In evangelio: cujus non sum dignus recumbens solvere corrigiam calciamenti ejus.

DE SUPERNIS CREATURIS.

Coelum coelestis creatura hoc est angeli. In propheta: audite coeli, quia Dominus locutus est. *Coelum* sancta ecclesia. In evangelio: simile est regnum coelorum. *Coelum* sacra scriptura per ora mortalium toto orbe terrarum dilatata. In psalmo: extendet coelum sicut pellem. *Coeli* sancti apostoli vel sancti praedicatores. In psalmo: coeli enarrant gloriam Dei. *Coeli* libri legis et prophetarum. In psalmo: videbo coelos opera digitorum tuorum. *Coelum* aer iste agnoscitur, in quo coelo, hoc est aërio, Helias raptus describitur, et de quo apostolus pro immundis spiritibus loquitur: non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra spiritalia nequitiae in coelestibus. Et alius apostolus:

coeli autem qui nunc sunt et terra eodem verbo repositi sunt et igni servati in diem iudicii.

Angeli potestates supernae. In psalmo: qui facit angelos suos spiritus. *Angelus Domini* Jesus Christus; idem nuntius patris. In propheta: veniet ad templum suum dominator, quem vultis, et angelus testamenti, quem vos desideratis. *Angelus* Johannes praecursor. In Malachia: ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam. Simili quoque modo pro Helia scribitur in apocalipsi: vidi angelum unum volentem per medium coelum. *Angeli* sancti praedicatores de quibus Dominus ad Job pro diabolo loquens ait: cum sublatus fuerit, timebunt angeli et territi turbabuntur; et alibi: angeli pacis amare flebunt. *Angelus* diabolus, in apostolo: etiam si angelus de coelo annuntiaverit vobis praeter quod evangelizavimus, anathema sit. *Angeli* immundi spiritus; ubi et supra: quia angelos judicabimus.

Sol Christus, in Malachia: oriatur sol justitiae timentibus Deum. *Sol* justus omnes, in proverbiiis: justus ut sol; et in evangelio: tunc justus fulgebunt sicut sol. *Sol* acumen sapientiae; sicut in Job de quibusdam sapientibus, sed reprobis, pro diabolo dicitur: radii solis sub ipso erunt. *Sol* ecclesiae fides, de quo per Johel prophetam dicitur: sol convertetur in tenebras, quia fides ecclesiae novissima persecutione in reproborum cordibus pro infidelitate obscurabitur. *Sol* manifesta Domini operatio, sicut in psalmo pro corpore assumpto dicitur: in sole posuit tabernaculum suum. *Sol* persecutionis ardor. In evangelio: orto sole aestuaverunt. *Sol* prosperitas, *luna* adversitas mundi. In psalmo: per diem sol non uret te neque luna per noctem.

Luna ecclesia eo quod in hac mundi nocte resplendeat. In psalmo: fecit lunam in tempore. De hac *luna* per Johel prophetam dicitur: et luna in sanguinem h. e. in martyrum suorum cruorem profusa. *Luna* praesens seculum eo quod semper mutetur, de qua in apocalipsi ecclesia dicitur: et luna sub pedibus suis. *Luna* homo stultus. In Salomone: Stultus ut luna mutatur.

Stella Christus. In apocalipsi: ego sum stella splendida et matutina; et alibi: oriatur stella ex Jacob. *Stellae* sancti sive docti, eo quod virtutum operibus in hoc mundo resplendent. In psalmo: qui numerat multitudinem stellarum et omnibus eis nomina vocat.

Astra sancti angeli. In Job: cum me laudarent astra matutina.

Lucifer Christus, ubi et supra: qui producit Luciferum in tempore suo.

Pliadas sancti praedicatores, separati quidem tempore sed conjuncti praedicatione. In Job: qui conjungere valet micantes stellas pliadas.

Arcturus sancta ecclesia propter sacramentum septem stellarum, ubi et supra: et girum arcturi dissipat.

Lucifer diabolus de quo Ysaïas: quo modo cecidisti Lucifer qui m. o.

Vesper Antichristus, eo quod in fine mundi sit venturus. In Job: et vesperum super filios hominum consurgere facit.

Nubes apostoli sive ceteri praedicatores eo quod terram h. e. homines praedicatione sua compluunt; sicut in propheta: qui sunt isti qui ut nubes volant. *Nubes* corpus Christi nulli peccati pondere gravatum, sive virgo Maria. In Ysaïa propheta: ecce Dominus ascendet super nu-

hem levem. *Nubes* protectio divina sicut in exodo tabernaculum foederis saepe nubes obumbrasse legitur. *Nubes* obscuritas scripturarum. In psalmo: qui operit coelum nubibus.

Nebula velamentum mysteriorum Dei sicut in Job. nunquid elevabis nebula vocem tuam; et in propheta: nebula pulvis pedum ejus. *Nebulae* haeretici, de quibus Petrus apostolus: hi sunt fontes sine aqua et nebulae turbinibus agitatae.

Caligo divinatorum secretorum operimentum. In psalmo: caligo sub pedibus ejus.

Venti angeli sive animae sanctorum, sicut in psalmo pro Domino dicitur: volavit super pennas ventorum. *Pennae ventorum* virtutes sunt animarum. *Auster* spiritus sanctus. In cantico canticorum: Surge auster, veni aquilo, perfla ortum meum. *Aquilonem* vero hoc in loco eundem spiritum sanctum accipiunt. *Auster* calor fidei. In psalmo: sicut torrens in austro. *Affricus* hoc quod superius. In psalmo: induxit in virtute sua Africum. *Aquilo* diabolus vel homines infideles; in propheta: ab aquilone exardescunt mala super terram. *Venti* diabolus vel immundi spiritus. In evangelio: flaverunt venti; et in Job pro impio: tollet eum ventus urens. *Venti* superbiae spiritus velut in Osee de haeticis dicitur: Ligaverunt eum spiritus in alis suis. Item ibi: omnes pastores tuos pascet ventus; et alibi: qui nititur mendaciis, hic pascit ventos.

Aer vanitas verborum. In apostolo: sic pugno non quasi aerem verberans i. e. inania sectans.

Pluviae praecepta vel mandata divina, eo quod terram i. e. corda hominum irrigent. In psalmo: pluviam voluntariam segrega Deus hereditati. Et alibi: expectetur sicut pluvia eloquium meum.

Imber matutinus et serotinus, vetus testamentum et novum. In Johel propheta: descendere faciet et vos imbrem matutinum et serotinum. In principio h. e. in Christo.

Nives baptismi profusio. In Job: si lotus fuero quasi aquis nivis. *Nives* futura tribulatio. In Job: qui timet prunam, irruet super eum nix.

Prunam vero praesentem tribulationem intellexerunt.

Grando communicationes Domini, quibus contumaces verberat. In psalmo: grando et carbones ignis; et in aliam partem: occidit in grandine vineas eorum. *Grando* futura persecutio. In Ysaia: allidet in turbine et in lapide grandinis; et alibi: et dabo lapides praegrandes desuper irruentes.

Tonitrua evangelii voces eo quod de coelo intonet. In psalmo: vox tonitruum tui in rota. Et alibi: Dominus ascendit in coelos et tonat.

Coruscationes splendores evangelii. In psalmo: illuxerunt coruscationes tuae orbi terrae.

Fulgura virtutes Jesu vel miracula sanctorum. In psalmo: fulgura multiplicavit et conturbavit eos.

Sagittae praecepta divina. In psalmo: misit sagittas suas et dissipavit eos; et alibi: sagittae acutae potentissimae populi sub te cadent m. c.

Iris i. e. arcus duorum judiciorum Dei figuram habere dicitur, hoc est primum per diluvium, secundum per ignem. In apocalypsi: et iris in circuitu ejus.

Ros verbum Domini, ideo quod madefaciat hominum terram. In psalmo: sicut ros Hermon qui descendit in montem Syon.

Pruina abstinencia eo quod per hanc frigescat calor corporis. In psalmo: factus sum sicut uter in pruina. *Pruina* tribulatio hujus vitae. In Job: qui timent pruina irruet super eos nix. *Pruina* rigor legis et severitas disciplinae; sicut in exodo de manna scribitur: et candidum sicut pruina.

Glacies duricies peccatorum. In Salomone: et sicut in sereno glacies ita dissolvuntur tua peccata corda peccatorum dura et frigida. In Job: et gelu de coelo quis genuit. *Frigus et gelu*, futura tribulatio et angustia; in Zacharia: in die iste non erit lux sed frigus et gelu.

Tempestas examen iudicii. In psalmo: in circuitu ejus tempestas valida.

Turbo persecutionum vel tribulationum impetus. In Ysaia: factus est fortitudo pauperi, spes a turbine.

Serenitas indulgentia peccatorum per sanguinem Jesu Christi post tenebras delictorum data. In evangelio: facto vespere dicitis serenum erit, rubicundum est enim coelum.

Spiritus Deus in evangelio spiritus dicitur. *Spiritus* angeli. In psalmo: qui facit angelos suos spiritus. *Spiritus* animae hominum. In Salomone: quis scit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum. *Spiritus* ratio quae praeminet anima. In Daniel: spiritus et animae justorum benedicite Dominum. *Spiritus* venti. In genesi: adduxit Dominus Deus spiritum super terram, et imminutae sunt aquae; et alibi: ecce ego creo spiritum; et in psalmo: in spiritu vehementi conteres naves Tharsis. *Spiritus* ver¹⁾ hominis; in apostolo: si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est; orabo ergo spiritu, orabo et mente. *Spiritus* diaboli vel daemones. In evangelio: cum spiritus exierit ab homine; et in Salomone: si spiritus potestatem habentis ascenderit super te; et alibi: Spiritus Domini malus irruerat in Saul. Item ubi et supra: ero spiritus mendax more omnium prophetarum ejus.

DE DIEBUS, ANNIS ET TEMPORIBUS.

Dies Dominus Jesus Christus. In psalmo: hic dies quem fecit. *Dies* evangelium. In cantico canticorum: donec aspiret dies et amoveantur umbrae. *Dies* vita praesens. In evangelio: me oportet operari opera ejus, qui misit me donec dies est. *Dies* futura vita justis. In Ysaia: non est tibi amplius sol ad lucendum per diem. *Dies* sancti praedicatores. In psalmo: dies diei eructat verbum; idem: apostoli fidelibus annunciant Christum. *Dies* et non justis et peccatores, justitia et iniquitas. In apostolo: non sumus noctis neque tenebrarum, omnes enim vos filii lucis estis et filii Dei.

Dies et nox prosperitas et adversa. In psalmo: in die mandavit Deus misericordiam suam et nocte declaravit. Item ibi: Deus meus clamabo per diem nec exaudies, et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Matutinum iudicii dies sive resurrectio mortuorum. In psalmo: in matutino interficiebam omnes peccatores terrae.

1) Fortasse os.

Aurora ecclesia eo quod post tenebras peccatorum luce fidei illuminata sit. In Job: et ostendisti aurorae locum suum.

Mane lux actuum bonorum vel baptismum vel resurrectio. In psalmo: mane astabo tibi et videbo te.

Meridies plena doctrinarum factorumque claritas. In Salomone: ubi cubas in meridie; et in malam partem in psalmo: a daemonio meridiano h. e. manifesto

Vesper finis vitae vel seculi, sive penae. In psalmo: ad vesperum demorabitur fletus et ad matutinum laetitia. *Vesper* passio corporis salvatoris, *mane* resurrectio, *meridie* ascensio ejus in coelum. In psalmo: vespere et mane et meridie narrabo et annuntiabo, et exaudiet vocem meam.

Occasus mors salvatoris. In psalmo: iter facite ei qui ascendit super occasum. Item ibi: sol cognovit occasum suum. *Occidens* vitae melioris defectus. In Amos: occidit nobis sol meridie. *Occasus* temptationis ardorisque incestuosae libidinis refrigeratio. Sicut in deuteronomio pro eo qui nocturno polluitur somnio, hoc est occulta cogitatione, ut non revertet in castra, priusquam lavet vestimenta sua et occidat sol

Lumen Christus. In evangelio: ego sum lux mundi.

Lux apostoli vel omnes sancti. In evangelio: vos estis lux mundi; et in apostolo: eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. *Lumen* illuminatio fidei vel donum spiritus sancti. In psalmo: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.

Lux et tenebrae electi et reprobi. In Job: numquid nosti quis locus sit lucis et tenebrarum ut ducas unumquodque ad terminos suos. *Lux et tenebrae* justitia et iniquitas. In apostolo: qui diligit proximum suum in lumine est, qui autem odit in tenebris ambulat. *Tenebrae* diabolus vel daemones. In propheta inimicos ejus i. e. Domini persecuntur tenebrae.

Umbra testamentum vetus. In Salomone: donec aspiret dies et amoveantur umbrae. *Umbra* protectio divina in temptationis ardore. In psalmo: In umbra alarum tuarum sperabo. *Umbra* vita hominis. In Job: fugit velut umbra. *Umbra* mors carnis. In psalmo: operuit nos umbra mortis. *Umbra* pena perpetua. In Job: ubi umbra mortis et nullus ordo sed sempiternus horror inhabitans. *Umbra* delectatio carnis, sicuti in Job pro diabolo dicitur: sub umbra dormit in secreto calami.

Hodie divinitatis aeternitas nec initio coepta nec fine claudenda, unde in psalmo pater ad filium dicens: filius meus es tu, ego hodie genui te. Apud Deum enim nec heri nec cras sed semper est hodie. *Hodie* omne praesens tempus. In psalmo: hodie si vocem ejus audieritis, velut si dicatur: quocunque in tempore.

Cras futurum tempus. In evangelio: nolite cogitare de crastino quid manducetis aut quid bibatis. Item ibi: si enim foenum i. e. peccatores, quod hodie in agro est, et cras in clibanum h. e. in combustionem perpetuam mittitur Deus sic vestit; et alibi: cum interrogaverit te cras filius tuus; et alibi: ne forte dicant filii nostri filiis nostris: cras non est vobis pars in Israel.

Dies unus mille anni. In psalmo: quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies una. *Dies* duo vetus et novum testamentum quibusdam figurare videntur. In psalmo: bene nuntiate de die in diem

salutare ejus. *Dies tres* cognitio trinitatis. In oxodo: ibimus viam trium dierum et sacrificabimus Domino Deo nostro. *Dies tres* passionis sepulturae et resurrectionis salvatoris continent sacramentum. In Osee: vivificabit nos post dies duos Dominus, in die tertia suscitabit nos et vivemus. *Dies sex* praesens mundus qui in his sex diebus factus perhibetur. Unde *dies sex* millium annorum figuram habere dicuntur, sicut est illud in apostolo: quoniam dies unus apud Domium sicut mille anni, et mille anni sicut dies una. *Septimus* vero *dies* qui in requiem Dei sanctificatus scribitur requiem significat omnium sanctorum post excursum vitae praesentis. *Dies septem*: omne tempus vitae praesentis quod in his septem diebus volvitur, continent sacramentum; in quibus praecipitur pascha celebrari i. e. de peioribus ad meliora per emendationem vitae transire, et fermentum quod est corruptio peccati non comedere, sed in azymis sinceritatis et veritatis ambulare. *Dies octava* resurrectionis dominicae obijnet sacramentum. *Dies octava* futuram omnium resurrectionem et diem judicii, cujus mysterio sexti psalmi titulatio praefiguratur h. e. pro octava.

Hora quingenti ut putant quidam anni, si quando dies pro toto mundo istius seculi accipitur. In epistola Johannis: filioli, novissima hora est. *Horae* duodecim apostoli. In evangelio; nonne duodecim horae sunt diei qui ambulat in die non offendit. *Hora prima* infantia sive pueritia. In evangelio; simile est regnum coelorum homini patrisfamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. *Hora tertia* adolescentia, ubi et supra. *Hora sexta* juvenus. *Hora nona* senectus. *Hora undecima* extrema senum, ubi et supra.

Nox vita praesens. In psalmo; in noctibus extollite manus vestras. Idem ibi: nocte coram eo non sum deceptus. *Nox* futurum seculum peccatoribus. In evangelio: veniet nox quando nemo potest operari. *Nox* vita peccatorum. In apostolo: qui dormiunt nocte dormiunt, et qui ebrii sunt nocte ebrii sunt.

Nox caecitas cordis vel vana securitas, sicut in Job pro impio dicitur: nocte opprimet eum tempestas. *Nox* futura tribulatio. In evangelio: duo erunt in agro, unus assumetur et unus relinquetur. *Nox* tribulatio vitae praesentis. In evangelio: quis vestrum habet amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi: amice, commoda mihi tres panes h. e. scientiam trinitatis. *Media nox* occultum Domini iudicium. In evangelio: media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit. *Media nox* mors inproviso adveniens, sicut in Job de reprobis: et in media nocte auferentur.

Prima vigilia prima hominum aetas i. e. infantia sive pueritia. *Secunda vigilia* adolescentia et juvenus. *Tertia vigilia* venerit et ita eos invenerit, beati sunt servi illi.

Tempora oportuna distributio voluntatis divinae. In psalmo: fecit lunam in tempora.

Ver remuneratio vitae per baptismum vel resurrectio sive pax ecclesiae. In psalmo: aetatem et ver tu fecisti ea. Et in Salomone: jam hiems transiit et recessit, flores apparuerunt.

Aestas venturae jucunditatis praefiguratio, ubi et supra. *Aestas* futura beatitudo. In Salomone: propter frigus piger arare noluit, mendicabit aestate et non dabitur ei.

Autumnus transacta salutis tempora. In Michea: vae mihi quia factus sicut qui colligit racemos in autumnu.

Hiems persecutio vel tribulatio. In evangelium: orate ne fiat fuga vestra hieme vel sabbato. *Hiems* torpor mentis. In Salomone: propter frigus piger arare noluit etc.

Anni aliquando pro aeternitate accipiuntur, sicut in psalmo: anni tui non deficient. Interdum et pro brevitate vitae, ut ibi: anni nostri sicut aranea meditabuntur. *Annus* Dominus Jesus Christus a quibusdam putatur. In psalmo: bene dices coronam anni benignitatis tuae et campi tui replebuntur. *Annus* praesens tempus ab adventu Domini usque in finem mundi, in quo poenitentia et remissio peccatorum praedicatur. In Ysaia: praedicare annum placabilem Domino et diem retributionis; et in evangelio: Domine dimitte illam et hoc anno usque dum fodiam circa illam et mittam stercora.

Menses duodecim ejusdem numeri apostoli. In apocalipsi: per singulos menses reddent fructum suum.

Anni sex, de quibus in lege praecipitur ut puer Hebreus si emptus precio fuerit Domino suo serviat et in septimo ad libertatem exeat, praesens significant tempus qui sex diebus factus est. *Quinquagesimus annus* qui in levitico annus jubeleus scribitur venturae quietis est significatio.

Unus. Hic numerus ad unitatem deitatis refertur. In exodo: audi Israel: Dominus Deus tuus Deus unus est. *Unus* ad unitatem fidei sive operis perfectionem, sicut in genesi de archa: et in cubito consumabis eam. *Unus* ad unitatem ecclesiae sive fidei sicut in actibus apostolorum de credentibus scribitur: erat illis cor et anima una. *Unus* ad unitatem malorum sicut in evangelio: et vidit ibi unum non vestitum veste nuptiali. *Duo* hic numerus ad duo testamenta. In regnorum libro: et fecit duo Cherubim decem cubitorum magnitudine. *Duo* ad duo praecepta caritatis: in his duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae. *Duo* ad duo, regiam scilicet et sacerdotalem, quorum figura illi duo pisces quinque panibus adjuncti in evangelio figuram gerebant. *Duo* ad duorum populorum i. e. Judeorum et gentium; in Zacharia: et pax erit inter duos illos. *Duo* anima et caro. In evangelio: si duo ex vobis consenserint super terram. Amos: nunquid ambulabunt duo pariter nisi convenerit eis? *Duo* ad electorum atque reproborum praefigurationem. In evangelio: tunc duo erunt in agro, unus assumitur. — *Tres* ad trinitatis mysterium. In epistola Johannis: tria sunt quae testimonium perhibent. *Tres* ad passionis Domini sepultura resurrectionisque sacramentum. In Osee: vivificabit nos post duos dies, die tertia suscitabit nos et vivemus. *Tres* ad fidem spem et caritatem, quarum figuram tres illae civitates in deuteronomio, ad quas homicida qui nolens proximum occiderit, confugere praecipitur, figuram habere dicuntur. *Tres* ad tria tempora h. e. primum ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. In evangelio: ecce anni tres sunt, ex quo venio quaerens fructum in ficulnea et non invenio. *Tres* ad trimodam hominum operationem in bonum vel malum i. e. cogitatione sermone et opere. In apostolo: si quis aedificaverit supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam. *Tres* ad trimodam fidelium possessionem i. e. clericorum, monachorum et conjugum. De hac tri-

partita in ecclesia professione per Jezechielem Dominus loquitur dicens: si tres viri isti Noe Daniel et Job fuerint in medio eorum, filium et filium non liberabunt, sed liberabuntur ipsi soli. — *Quattuor* hic numerus ad quattuor pertinet evangelia. In Jezechiel: et ex medio eorum similitudo quattuor animalium. *Quattuor* ad quattuor sanctorum virtutes h. e. prudentiam justitiam et fortitudinem et temperantiam. *Quattuor* ad quattuor mundi partes. In propheta: ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te, dicam aquiloni da, et austro noli prohibere. *Quattuor* ad corpus humanum compactum. In evangelio: ecce paralyticus in lecto portabatur a quattuor. — *Quinque* ad quinque libros Moysi. In apostolo: in ecclesia volo quinque verba sensu hominum loqui. *Quinque* ad quinque corporis sensus i. e. visum, auditum, odoratum, gustum, tactum. In evangelio: simile est regnum coelorum decem virginibus; quinque enim ex eis erant fatuae, et quinque prudentes. Item ibi: et uni dedit quinque talenta; et: quinque enim viros habuisti. — *Sex* hic numerus ad dies sex, in quibus Dominus omnem condidit creaturam, siye illud in exodo: sex enim diebus condidit Deus coelum et terram. *Sex* ad omne praesens seculum quod in sex diebus factum; ubi et supra: sex diebus operaberis et in septimo requiesces; et: sex diebus colliges manna. *Sex* ad operis perfectionem sicut in Jezechiele: ecce vir vestitus lineis, et in manu ejus calamus sex cubitorum et palmo. Sicut enim in sex cubitis opus perfectum, ita et in palmo contemplationis est praefiguratio. — *Septem* ad diem septimum, in quo perfectis omnibus Dominus requievit. In genesi: et requievit Deus die septimo. *Septem* ad requiem futuram sanctorum. In exodo sex diebus operaberis, septimo autem requiesces ab omni opere tuo. *Septem* ad septiformem gratiam spiritus sancti, sicut in apocalipsi: qui sunt septem spiritus Dei missi per omnem terram. *Septem* ad plenitudinem omnium sanctorum, de qua plenitudine in apocalipsi pro Domino dicitur: et habebat in dextera sua stellas septem. *Septem* ad septiforme ecclesiae sacramentum; ubi et supra: mittes septem ecclesiis quae sunt in Asia. *Septem* legis praefiguratio. In Salomonem: da partes septem nec non et octo. *Septem* omne praesens tempus, quod in septem diebus volvitur: septem diebus arma comedes. *Septem* ad plenitudinem i. e. septem principalium vitiorum. In evangelio: et assumet septem alios nequiores se. Et in Salomone: ne credideris ei quum septem nequitiae sunt in animam illius h. e. diaboli. *Septem* ad perfectionem flagellorum Dei, ut illud: castigavi vos septies pro peccatis vestris. *Septem et octo* legis et evangelii figuratio. Sicut est illud in Salomone: da partes septem nec non et octo. *Septem et octo* quietis et resurrectionis, sive omnium futuram resurrectionem, de qua in titulo psalmi sexti scribitur: in finem pro octava. — *Novem* ad sacramenta quod hora Dominus nona emisit spiritum. In evangelium circa horam nonam clamavit Jesus voce magna. *Novem* ad novem, sicut quidem putant, angelorum ordines i. e. angelos, archangelos, thronos et dominationes, potestates, principatus, cherubim et seraphim. In propheta sive apostolo. *Novem* ad omnium plenitudinem malorum sicut in deuteronomio de lecto Og regis Basan qui typus est diaboli, quod novem cubitis sit longitudo ejus. — *Decem*, hic numerus ad decalogum legis. In psalmo: in psalterio decem cordarum psallite

illi. *Decem* ad perfectionem operis vel plenitudinem nominum sanctorum, quorum figuram decem illae cortinae, quae in tabernaculo testimonii iubente Domino factae sunt obtinebant. — *Undecim* hic numerus transgressionem legis vel peccatorum obtinet figuram. Sicut et undecimus psalmus, qui in eodem numeri sacramento praesignatus est dicit: salvum me fac Domine, quum defecit sanctus. Et in tabernaculo foederis in similitudinem peccantium ejusdem numeri saga cilicina fieri praecipiuntur. — *Duodecim* ad apostolos. In evangelio: duodecim apostolorum nomina haec sunt. Item ibi: nomine duodecim vos elegi. *Duodecim* ad omnium sanctorum pertinet sacramentum, qui ex quatuor mundi partibus per fidem trinitatis collecti unam ex se faciunt ecclesiam horum electorum. *Duodecim* illi lapides preciosi ex quibus in apocalipsi civitas regis magni construitur figuram habent; hi sunt duodecim tribus filiorum Israel sensu videntes Deum. — *Tredecim* ad legis plenitudinem et fidem trinitatis. In Jezechiele: et mensus est altitudinem portae tredecim cubitis. — *Quattuordecim* ad sacramentum dominicae generationis. In evangelio: ab Abraham usque ad David generationes quattuordecim. *Quattuordecim* ad praesens tempus vel futurum, sicut in levitico de muliere, quae genuerit feminam, dicitur: quod duabus hebdomadis h. e. in praesenti et futuro sit immunda. — *Quindecim* hic numerus legis et evangelii, quietis et resurrectionis obtinet mysterium; sicut in actibus apostolorum Paulus Apostolus quindecim diebus cum Petro commorasse dicitur. — *Sexdecim* ad numerum sexdecim prophetarum. — *Decem et septem* ad sacramentum omnium perfectorum, qui decem praecepta legis per septiformem gratiam spiritus sancti operantur. — *Viginti* ad perfectionem operis quae caritatem operatur. Decalogus enim legis per duo dilectionis praecepta duplicatus viginti efficit. Unde et duo cherubim quod est plenitudo scientiae. In templo ejusdem numeri cubitos habuisse narratur. — *Vigintiduo* ad sacramentum divinarum voluminum secundum Hebraeorum litteras. — *Vigintiquattuor* hic numerus vigintiquattuor librorum veteris instrumenti secundum Hebraeorum traditionem a quibusdam figuram habere dicitur. Alii vero patres veteris ac novi testamenti mysterium sub eodem numero intellexerunt. In apocalipsi: et super thronos vigintiquattuor seniores sedentes. — *Vigintiquinque* ad quinque corporis sensus in semetipsis multiplicati ad unius numeri perveniunt sacramentum. — *Viginti et octo*, hic numerus ad legis et evangelii pertinet sacramentum, sub cujus numeri sacramento cortinae tabernaculi ejusdem numeri cubitos in longitudine habuisse referuntur in exodo. — *Triginta* ad fructus fidelium conjugatorum. In evangelio: et dabunt fructum aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud vero tricesimum. — *Trigintaduo* ad mysterium aetatis, qua Dominus in carne conversatus est. In apostolo sicut quibusdam ex hoc videtur: donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi. — *Quadraginta*, hic numerus legis et evangelii obtinet sacramentum. Unde et per exploratores Israeliticos ejusdem numeri diebus repromissionis terra peragrata est in numeris. *Quadraginta* ad quadragesimae sacramentum. In evangelio: et agebatur in spiritu in deserto quadraginta diebus. *Quadraginta* ad resurrectionis dominicae sacramentum. In actibus apostolorum: et conversatus est cum eis quadra-

ginta diebus. *Quadráginta*, hic numerus omne praesens seculi hujus tempus figurare dicitur. Quattuor enim sunt mundi partes et omnis creatura visibilis ex quattuor constat elementis. Denarius enim numerus, qui in bonum vel malam partem accipitur, perfectus est. Qui denarius per quaternarium ductus quadragenarium implet. Hinc est quod per psalmistam dicitur: quadráginta annis proximus fui generationi huic. Et in diluvio ejusdem numeri dies et totidem noctes super terram Dominus pluit. Et in propheta: post quadráginta dies et Ninive subvertetur. Quod etsi secundum historiam in eadem civitate factum non est, in mundo vero cujus figuram civitas illa habuit impletum erit. *Quadráginta* vero ad numerum in heremo mansionum vel ad numerum generationum quae ab Abraham sunt usque ad Dominum Jesum Christum. — *Quinquáginta* ad pentecosten vel ad conventum spiritus sancti in actibus apostolorum, dum complerentur dies pentecostes. *Quinquáginta* ad spem et indulgentiam peccatorum in cujus numeri sacramento quinquagesimus psalmus positus est. *Sexáginta*, hic numerus omnium perfectorum obtinet sacramentum. In cantico canticorum: en lectulum Salomonis i. e. Christi ecclesiam. *Sexáginta* ambiunt ex fortissimis Israel. *Sexáginta* ad fructum urovis¹⁾ sive continentibus debitum. In evangelio: et dabunt fructum aliud sexagesimum. *Septuáginta* ad veterum patrum pertinere dicitur sacramentum, quorum figura Salomon ad aedificium templi septuáginta milia, qui humeris portabant, elegit operarios. *Septuáginta et octoginta* ad figuram legis et evangelii; in psalmo: dies annorum nostrorum in ipsis septuáginta anni, si autem in potentatibus octoginta anni. — *Quadráginta viginti duo* ad numerum presbyterorum Moysis vel discipulorum, quos Dominus in evangelio in praedicatione elegit. — *Septuáginta quinque* ad numerum animarum, quae cum Jacob in Egypto descendisse narrantur in actibus apostolorum. — *Octingenta* ad quorundam Christianorum animas quae Domino fide tantum, non operibus cohaerent. De quibus in cantico canticorum: sexáginta sunt reginae i. e. animae perfectorum et octingenta concubinae. — *Centum* ad martirum fructum, sive virginum; in evangelio: et dabunt fructum aliud centesimum.

Centum quinquáginta quattuor, hic numerus electorum omnium continet sacramentum, in quorum figura ejusdem numeri pisces post resurrectionem Domini ab apostolis in evangelio capiuntur. *Trecenti* ad numerum Jesu per crucem de mundo triumphantes victoriam reportant, in quorum typo Gedeon in judicum libro ejusdem numeri pugnatores elegisse scribitur. *Quingenti* ad quinque aetates mundi ut quidam putant pertinet sacramentum, quibus transactis salvator mundum visitare dignatus est; in cujus typo Noe cum quingentorum esset annorum divinitus inspiratus fabricavit archam in salutem domus suae. *Mille* ad retributionis beatitudinem; in Salomonem: vinea fuit pacifica, et tradidit eam custodibus, vir affert pro mercede ejus mille argenteos. *Mille et ducenti* hic numerus gerit figuram, ubi et supra: mille tui et ducenti pacifici, hi qui custodiunt fructum ejus. *Septem mille* hic numerus ad omnium electorum pertinet sacramentum, qui pleni spiritu sancto per hebdomadam hujus mundi ad regna coelorum colliguntur. In regum: reliqui mihi

1) Sic in codice.

septem vestrorum. *Sex mille quingenti quinquaginta* ad sacramentum filiorum Israel qui egressi sunt de Aegypto, in exodo. *Decem mille*, hic numerus ad decalogum pertinet legis. In evangelio: oblatus est ei unus qui debebat decem mille talenta. *Centum quadraginta mille* ad sacramentum electorum qui ex Judeis in fine mundi credituri sunt in Christo ut quidam volunt; ubi et supra. *Centum quadraginti quattuor mille* ad sacramentum omnium virginum, de quibus in apocalipsi: et nemo poterat canticum illud dicere nisi illa centum quadraginta quattuor mille; et post pauca: virgines enim sunt, et in ore eorum non est inventum mendacium.

DE MUNDO ET ACTIBUS EJUS.

Mundus praesens orbis terrarum, de quo in psalmo: Domini est terra et plenitudo ejus or. t. et uni qui h. in eo. *Mundus* hominum genus; in evangelio: et mundus eum non cognovit.

Terra homo ipse. In evangelio: aliud cecidit in terram bonam. Item in aliam partem. terram edes omnibus diebus vitae tuae.

Terra infructuosi homines. *Terra* caro Christi. In Ysaia: qui jurat in terra jurat in Deo amen. *Terra* sancta ecclesia; in psalmo: credo videre bona Domino in t. vi.; et alibi: Domine a paucis de terra dispertire eos. *Terra* carnalis potentia; in ecclesiastico: quid superbit terra et cinis. *Terra* deserta populus Judeorum sive peccatores omnes. In Jeremia: terra deserta et inhabitabilis in qua nullus habitet nec pertranseat per eam, filius hominis i. e. Dominus Jesus Christus.

Desertum mundus, sicut in cantico canticorum pro ecclesia dicitur: quae est ista quae ascendit a deserto i. e. de mundo? *Desertum* populus gentium. In Salomone: pone flumina i. e. doctrinam in deserto. Et in Job: ut plueret in deserto, ubi nullus mortalium commoratur.

Oriens populus Judeorum. In evangelio: visitavit nos oriens ex alto; et in Zacharia: ecce veniet vir cujus oriens nomen ejus. *Oriens* populus Judeorum; sive illuminatio fidei, sicut in Ysaia ecclesiae dicitur: ab oriente adducam semen tuum.

Occidens populus gentium, ubi et supra; et ab occidente congregabo te.

Aquilo i. e. populus gentium. In Ysaia: dicam aquiloni etc; et in psalmo: latera aquilonis civitas regis magni. In Job: ab aquilone aurum venit. *Aquilo* diabolus vel homines impii. In Ysaia: ponam sedem meam ab aquilone et ero similis altissimo.

Auster ecclesia, quae ex Judeis prior in Christo credidit. In propheta: qui habitatis terram austri, ferte aquam sitiienti i. e. baptismum credentibus. Et in Job: ab aquilone aurum venit, et ab austro formidolosa laudatio. *Auster* sancta ecclesia fidei calore accensa.

Pulvis peccatores, sicut in Ysaia pro diabolo et serpenti: pulvis panis ejus; et alibi: non sic impii non sic, sed tanquam pulvis.

Lutum coelestis medicinae glutinum. In evangelio lutum fecit et linivit oculos meos. *Lutum* peccatorum glutinum. In psalmo: eripe me de luto ut non inhaeream. *Lutum* adulatio deceptoris sive haeticorum falsa delinitio. In Jezechiel: ipsi aedificabant parietem, illi autem liniebant eum luto absque temperamento.

Mons salvator. In Ysaia: erit mons domus Domini praeeparatus in vertice montium, et elevabitur super colles. *Mons ecclesia* propter altitudinem fidei. In psalmo: qui confidunt in Domino sicut mons Syon. Item ibi: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Syon. *Mons populus* Judeorum de quo in Daniele: abscisus est lapis sine manibus i. e. Christus absque virili semine conceptus; et fide sua replevit universum virtutum circum. *Montes apostoli* sive prophetae ob virtutum celsitudinem. In psalmo: levavi oculos meos ad montes. *Montes divites* et potestates seculi hujus. In Job pro diabolo dicitur: huic montes herbas ferunt, quod est vicia carnis. *Mons diabolus* propter superbiae tumorem. In Ysaia: levate signum super montem caligosum; et in Jeremia: ecce ego ad te mons pestifer. *Mons doctrina* haereticorum. In propheta ex persona ecclesiae: in Domino confido, quomodo dicitis animae meae, transmigra in montem Sion. *Montes daemones* vel haeretici sive Judeorum scribae. In Jeremia: date Domino Deo vestro gloriam antequam offendant pedes vestri ad montes caligosos; et in psalmo: neque a desertis montibus. *Montes duo* qui in Zacharia aerei describuntur duo testamenta legis, de quorum medio quadriga Domini i. e. quattuor evangeliorum praedicatio procedit.

Fundamenta spiritus superborum. In psalmum: et fundamenta montium conturbata sunt.

Rupes superbi. In Jeremia: Onagri steterunt in rupibus.

Speluncae corda hominum sive caro. In regum: et stetit in hostio speluncae suae.

Antrum homo peccator sicut in Job pro diabolo: commorabitur bestia in antro suo. *Speluncae* corda peccatorum tenebrosa; in propheta: et tenebrae super speluncas usque in aeternum.

Vallis mundus. In psalmo: in convalle lacrimarum. Item ibi: et convallem tabernaculorum dimetiar.

Valles contritiones cordis humilis. In psalmo: et convalles habundabunt frumento. *Valles* haeretici vel Judei sive peccatores, de ecclesiae sublimitate cadentes. In Ysaia: vallem filiae Syon; et alibi: vallem filiorum Enon. *Valles infernus*, de quo in Salomone salvator: ego flos campi et lilium convallium.

Campus mundus eo quod sit patens, de quo Abacuc: exiit verbum i. e. filius Dei stetit in campo. *Campi sancti* sive scripturae divinae, eo quod pastum praebeant animarum. In psalmo: et campi tui replebuntur ubertate; et in aliam partem: in campotaneos.

Petra Christus a firmitate. In apostolo: petra autem erat Christus; et alibi: suxerunt mel de petra; et alibi: percussit petram et fluxerunt aquae. *Petra firmamentum* fidei. In psalmo: statuit supra petram pedes meos. Item alibi: in petra exaltavit me. *Petra testimonia* scripturarum. In psalmo de medio petrarum dabunt voces.

Lapis Christus. In psalmo: lapidem quem reprobaverunt aedificantes; et in Zacharia: lapis quem dedi coram Jesu, septem in eo oculi sunt i. e. septiformis carismatum gratia.

Lapides sancti omnes ob firmamentum fidei. In apostolo: et ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini domos. *Lapides* ordo praepositorum in ecclesia. De quibus Jeremias: dispersi sunt lapides sanctuarii

in capite omnium platearum i. e. in lata et spaciosa via, quae ducit ad perditionem. *Lapides* populus Judeorum, de quibus in propheta: tollite lapides de via et redigite in acervos. *Lapides* populus gentium. In evangelio: potens est Deus de la. i. s. f. a. *Lapis* obduratio diaboli vel homines peccatores; in Job: cor ejus indurabitur velut lapis. *Lapides preciosi* sancti angeli, de quibus in Jezechiele contra diabolum dicitur: omnis lapis preciosus operimentum tuum sardius, topasius, jaspis, crisolitus, onix, berillus, saphirus, carbunculus et smaragdus; et post pauca: in medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus decore a die conditionis tuae. *Lapides pretiosi* apostoli vel omnes sancti, de quibus in apocalipsi: civitas regis magni construitur. *Duo lapides* i. e. jaspis et sardius duorum judiciorum Dei primi per aquam diluvii secundi per ignem figuram habere dicuntur. In apocalipsi: qui sedebat super thronum, similis lapidi jaspidis et sardii. *Jaspis* testimonia scripturarum. In Ysaia: ponam jaspidem propugnacula tua. *Saphirus* spes regni coelorum; ubi et supra: et fundabo te in saphiris. *Margarita* Dominus Jesus Christus. In evangelio: inventa autem una preciosa margarita. *Acervus lapidum* congregatio fidelium populorum, in unam fidem convenientium, quorum figuram tumulus ille lapidum, quem Jacob in monte Galaad fieri praecepit habuit. *Acervus lapidum* collectio reproborum. In propheta: tollite lapides de via et redigite in acervos.

Sal condimentum sapientiae; in evangelio: vos estis sal terrae. Item ibi: habete sal in vobis. *Sal* infatuata Judeorum scientia. In levitico: pluam super terram illam pulverem et sal.

Salsugo cordis compunctio sicuti in Job de Onagris h. e. de monachis dicitur: tabernacula ejus in terra salsuginis. *Salsugo* infidelitas Judeorum vel ariditas mentis, ut in propheta: terram fructiferam in salsuginem.

Ager hic mundus. In evangelio: ager est mundus. *Ager* ecclesia; in genesi: ecce ait Isaac odor filii mei s. o. a. p. c. b. d.; et in evangelio: emerunt ex eis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. *Ager* sacra scriptura. In evangelio: simile est regnum coelorum invento thesauro h. e. Christo, sive dilectione regni coelorum abscondito in agro. *Ager* populus Judeorum, de quo agro Salomon ad Abiatar sacerdotem: vade in agrum tuum, in Anatot in libro regum.

Cultura sancti, qui excoluntur in Deo. In apostolo: Dei agricultura estis.

Sulci corda fidelium. In psalmo: sulcos ejus inebria. Et in Job: si adversum me terra tua clamat, et cum ipsi sulci ejus deflent.

Semen divina praedicatio; in evangelio: exiit qui seminat semen suum. *Semen* haereticorum praedicatio, *aqua* stultitia perfusa. In pentateuco: omne semen super quod ceciderit aqua immundum erit.

Agricola Deus; in evangelio: ego sum vitis vera et pater meus agricola est. Agricolae apostoli vel ceteri praedicatores.

Coloni sancti. In evangelio: malos male perdet, i. e. Judeos, et vineam suam tradet aliis colonis.

Arator crux sive praedicationis officium vel inchoatio boni operis. In evangelio: nemo mittens manum in aratro et aspiciens retro aptus est regno Dei. *Arare*, praedicationis officium exercere. In regum: et ipse in duodecim arantibus unus erat.

Seminare praedicationis in corda fidelium semen spargere. In propheta: et seminabunt agros.

Messis libertas vel copia fidelium. In evangelio: levate oculos vestros et videte regiones quae albae sunt jam ad messem. Aliter: *messis* consumatio seculi, sicut *messores* angeli. *Messis* sermo praedicationis, sicut Job de pravo doctore dicitur, cujus messem famelicus comedit. *Operarii* apostoli vel ceteri praedicatores. In evangelio: rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. *Operarii* haeretici; in apostolo videte canes, videte malos operarios, videte concisiones.

Falces mors carnem succidens seu divinitas circumplectens omnia. In propheta: mitte falces quia aruit messis terrae.

Manipuli fructus justitiae. In psalmo: portantes manipulos suos. Item in aliam partem: non est manipulus in eis faciens farinam, quod etsi fecerit alieni comedent eam.

Spicae initia fidei vel inchoatio bonorum operum sicut in Job de haereticis dicitur: et esurientibus tulerunt spicas.

Stipula aridi ad fidem vel inanes. In apostolo: ligna, foenum, stipula. Et in propheta: heu mihi quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe h. e. nullius boni operis fructus inveni.

Aceris collectio fidelium ad aream ecclesiae sive sanctorum perfecta praedicationis, sicut in Job de haereticis dicitur: inter acervos eorum meridiati sunt.

Area ecclesia. In evangelio: et permundabit aream suam. *Area* praesens mundus. In propheta: filia Babylonis area torturae meae.

Ventilabrum examen justitiae. In evangelio: cujus ventilabrum in manu ejus.

Triticum sancti vel electi Dei. In evangelio: et congregabit triticum suum in horreum.

Frumentum corpus Christi sive evangelicus sermo. In psalmo: cibavit eos ex adipe frumenti.

Granum frumenti Christus. In evangelio: nisi granum frumenti c. i. t. m. f. i. fo. manet. *Frumentum* praedicationis semen. In Salomone: qui abscondunt frumenta, maledicentur in populo.

Horreum regnum coelorum. In evangelio: congregabit triticum suum in horreum.

Ordeum legis littera sive simplex doctrina, sicut in genesi de Ysaac dicitur: et invenit anno illo centumplum ordei; et in evangelio: est puer unus hic qui habet quinque panes ordei.

Paleae peccatores. In evangelio: paleas autem comburet igni inextinguibili. In Ysaia quod paleis ad triticum dicit Dominus.

Zizania scandala vel male viventes. In evangelio: venit inimicus ejus et superseminavit zizaniam in medio tritici.

Molae duae testamenta legis ut quidam volunt. In evangelio: tunc duae erunt in molendino, una assumetur et altera relinquetur. *Mola* circuitus vitae praesentis et labor terrenus. In evangelio: qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus et demergatur in profundum maris. In Ysaia adversus Babyloniam dicitur: tolle molam et molae farinam. Et alibi: ociose erunt molentes in minuto numero. *Molae duae* spes et fortitudo. In deuteronomio: non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam.

Farina multitudo fidelium. In evangelio: mulier accepto fermento misit in farinam sata tria, quod est trinitatis mysterium. *Farina* opus bonum vel malum, sicut est illud in propheta: non est manipulus in eis faciens farinam, quod etsi fecerit alieni comedent eam.

Panis Christus vel sermo ejus. In evangelio: ego sum panis vivus qui de coelo descendi. *Panis* fides. In evangelio: quis vestrum habebit amicum et i. a. i. m. n. et d. e. illi a. c. mihi tres panes. *Panis* caritas ut quidam volunt. In evangelio: aut quis vestrum patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi. *Panes decem* plenitudinem omnium sanctorum decalogum legis obtinet sacramentum in levitico. *Panes duodecim* qui super mensam propositionis per singula sabbata mittebantur duodecim apostolorum obtinet sacramentum, ubi et supra. *Panis* dogma haereticorum. In Salomone: aquae furtivae dulciores sunt et panis absconditus suavior. Item ibi: ne desideres de cibis ejus, in quibus est panis mendacii.

Azima sinceritas mentis absque fermento malitiae. In apostolo: in azimis sinceritatis et veritatis.

Similago fidelium multitudo, puritas mentis, opera misericordiae et fortitudo caritatis. In levitico: si autem offeret anima munus sacrificium Deo similago sit munus ejus.

Subcinericium humilitatis oblatio. In genesi: festinanter consperge tres mensuras similaginis, et fac subcinericium; et in aliam partem: factus est Ephraim sicut subcinericius qui non reversatur.

Fermentum fides. In evangelio mulier accepto fermento misit in farinam sata tria. *Fermentum* corruptio mentis quod est opus peccati. In exodo: omnis qui comederit fermentatum peribit anima ejus.

Clibanus combustio sempiterna. In evangelio: si enim foenum agri quod hodie est et cras in clibanum mittitur. Et in psalmo: pones eos ut clibanum ignis i. t. u. tu. *Clibanus* tribulatio vitae praesentis. In Jeremia: pellis nostra h. e. caro quasi clibanus est a facie tempestatum famis.

Vinea ecclesia. In cantico canticorum: vinea fuit pacifico mea, tradidit eam custodibus, h. e. apostolis. *Vinea* plebs judaica. In psalmo: vineam de Aegypto transtulisti; et in aliam partem: vinea Sodomorum vitis eorum. *Vinea* fidelium plebs. In Salomone: capite nobis vulpes puillas exterminantes vineas. *Vineae* bonorum operum actiones. In propheta: et plantabunt vineas. Et in aliam partem in Salomone: et perrexerunt per vineam viri stulti, et ecce omnia repleverunt urticae. *Vitis* Christus; in evangelio: ego sum vitis vera; et in aliam partem: ex vinea Sodomorum vitis eorum. *Palmities* sancti, ubi et supra: ego sum vitis, vos palmities. Et in aliam partem: et palmities eorum ex Gomorra. *Uva* fructus justitiae. In cantico: expectavi ut faceret uvae; et in aliam partem in deuteronomio: uva eorum uva fellis.

Botrus ecclesia sive corpus Domini. In numeris: eo quod botrum de terrae promissionis in falanga crucis itici speculatores reportassent.

Vindemia consumatio seculi vel vindicta in populum. In psalmo: vindemiam eam omnes qui transeunt viam.

Torcular altare ab eo quod ibi oblationes tanquam fructus conferrantur. In canticum Ysaie: et torcular fodi in ea. *Torcular* futura

tribulatio; in apocalipsi: et ipse calcavit torcular vini irae furoris Dei.

Lacus infernus, posuerunt me in lacu inferiori; et alibi: deduxerunt in lacum mortis vitam meam.

Maceria divina protectio sive angelorum custodia. In psalmo: destruxisti maceriam.

Lacunae corda hominum sapientiae humorem tenentes. In propheta: omnis languicula impletur vino. *Maceria* crux Christi ut quidam volunt. In psalmo: tanquam parieti inclinato et maceriae depulsae.

Vinum sanguis Christi. In evangelio: qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum. *Vinum* gratia spiritus sancti. In evangelio: vinum novum in utres novos mitti debet. *Vinum* sermo divinus sive compunctio cordis. In psalmo: potasti nos vino compunctionis. *Vinum* divinum iudicium. In apocalipsi: ipse calcavit torcular irae furoris Dei. *Vinum* sacra scriptura rectaque doctrina, unde per Ysaïam ad Judeos dicitur: caupones tui miscent aquam vino. *Vinum* opera luxuriae. In apostolo: nolite inebriari vino, in quo est luxuria; et alibi: luxuriosa est res vinum.

Ebrietas sobrietas mentis; in actibus apostolorum: ebrii sunt isti. *Ebrietas* crapula vitiorum. In evangelio: attendite ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate. Et in Salomone: velut si spina nascatur in manu ebriosi.

Sobrietas temperantia. In apostolo: vigilate sobrie et nolite peccare.

Acetum asperitas corruptae mentis, unde in libro numeri Nazareis qui se sanctificabant Domino vinum simul et acetum sumere prohibitum est. Siccera peccati dulcedo, ubi et supra.

Calix passio Domini. In evangelio: potestis calicem bibere quem ego bibiturus sum?

Crux sacra scriptura i. e. duo testamenta ut quidam volunt, sicut in evangelio secundum Lucam duos calices, unum ante coenam, et alium post coenam in pascha Dominus apostolis tradidisse legitur.

TAJONIS SENTENTIARUM LIB. V.

CAP. XXXIII. DE AETERNIS SUPPLICIIS.

Omnipotentis Dei justitia futurorum praescia ab ipsa mundi origine gehennae ignem creavit, qui in poena reproborum esse semel inciperet, sed ardorem suum, etiam sine lignis nunquam finiret. Sciendum est, quod omnes reprobi, qui anima semel et carne peccaverunt, illic in aeterno supplicio in anima pariter et carne cruciabuntur. Per David Prophetam dicitur: Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui. Clibanus namque intrinsecus ardet. Is vero qui ab igne devoratur, ab exteriori ¹⁾ incipit parte concremari. Ut sacra eloquia ardere exterius et interius reprobos demonstraretur, eos et ab igne devorari, et sicut clibanum poni testantur, ut per ignem crucientur in corpore et per dolorem ardeant in morte. In tempore vultus Domini injusti omnes ut clibanus ponuntur et ab igne devorantur, quia apparente iudice quum a visione illius eorum multitudo repellitur et intus per desiderium ardet conscientia et fortis carnem cruciat Geenna. Esayas prophetavit: propterea dilatabit infernus animam suam et aperuit os suum absque ullo termino. Sicut enim infernus sine termino dilatatus dicitur, quia ad se plurimos trahit, ita sine fundo Aides non incongrue creditur, quia eos quos in se suscipit quasi in quadam abyssu suae immensitatis absorbet. Infernus vero recte fundum non habere creditur, quia quisquis ab illo rapitur in immenso devoratur. Sciendum nobis est quia per peccatum tenditur ad infernum et quemque a peccato salvat, de ore inferni liberat; quem vero de ore ejus eripit, ab inferni profundo subducit. Esayas propheta de reprobis aeterno supplicio mancipatis longe ante praedixit: vermis eorum non morietur et ignis eorum non exstinguetur, et erunt usque ad saturitatem visionis omni carni. Quid enim (h)orribilius dici, quid cogitari potest, quam damnationis vulnera suscipere, et dolores vulnerum nunquam finire! In hujus vitae tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet, quia nequaquam mentem metus cruciat quum periculum ceperit quod metuebat. Inferni ignibus reprobi traditi et in suppliciis dolorem sentiunt, et in doloris angustia pulsanti se semper pabore feriuntur, ut et quod timent tolerant, et rursum quod tolerant sine cessatione pertimescant. Hic flamma, quos accendit, inluminat; illic ignis qui cruciat obscurat. Hic metus amittitur, quum tolerari jam ceperit quod timebatur; illic et dolor dilaniat et pabor angustat. Horrendo igitur modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate. Sic se videlicet a damnatis sentiri pondus summae aequitatis debet, ut quia a voluntate conditoris nequaquam sunt veriti discrepare, dum viberent, in eorum quandoque interitu ipsa a suis qualitatibus etiam tormenta discordent, quatenus quo se impugnant cruciatus augeant; et quum varie prodeant multipliciter sentiantur. Inferni supplicia in se dimersos et ultra vires cruciant et in eis vitae subsidium extinguentes servant; ut sic vitam terminus puniat quatenus semper sine termino cruciatus vibat, quia et ad finem per tormenta properat et sine fine deficiens durat. Inferni suppliciis peccatoribus deditis fit miseris mors sine morte, finis sine

1) Hic desinit Codex Aemilianensis; quem Florezius secutus est.

fine, defectus sine defectu, quia et mors vibit et finis semper incipit et deficere defectus nescit. Et mors perimit et non exstinguitur, dolor cruciat sed nullatenus paborem fugat; flamma comburit sed nequaquam tenebras descutit. Quantum per notitiam praesentis vitae colligitur, supplicia ordinem non habent, quae non suam per omnia qualitatem tenent; quamvis illic ignis et ad consolationem non lucet, et tamen ut magis torqueat ad aliquid lucet. Sequaces quoque suos secum in tormenti reprobi flamma inlustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt. Quatenus qui eorum vitam carnaliter contra praecepta conditoris amaberunt, ipsorum quoque eos interitus in augmento suae damnationis affligat, evangelio teste collegimus, in quo veritate nuntiante dives ille, quem contigit ad aeterni incendii tormenta descendere, quinque fratrum describitur meminisse; qui Abraam petiit ut ad eorum eruditionem Eleazarum mitteret, ne illuc eos quandoque venientes poena cruciaret. Qui igitur ad doloris sui cumulum propinquorum absentium meminit constat procul dubio quia eos ad augmentum supplicii paulo post potuit etiam praesentes videre. Quid autem mirum si secum dives ille reprobos accipiat cremari, qui ad doloris sui cumulum eum quem dispererat in sinu Abrahae Eleazarum vidit? Si ergo eidem ut poena cresceret et vir electus apparuit, cur non credendum sit quod videre in supplicio eos etiam quos contra Deum dilexerat possit? Sciendum nobis est quia eos quos inordinate nunc reprobi diligunt, miro iudicii ordine secum tunc in tormentis videbunt, ut poenam propriae punishmentis exaggeret illa auctori praeposita carnalis cognatio periculosa ultione damnata. Ignis itaque qui in obscuritate cruciat credendum est, quia lumen ad tormentum servat. In evangelio veritas dicit: colligite zizania et ligate fasciculis ad comburendum. Fasciculos ad comburendum ligare est: hos qui aeterno igni tradendi sunt pares paribus sociare, ut quos similis culpa inquinat, par etiam poena constringat. Et qui nequaquam dispari iniquitate polluti sunt, nequaquam dispari tormento crucientur. In aeterno supplicio simul necesse est ut damnatio conterat, quos simul elatio elevabit. Quosque non dissimiliter dilatavit ambitio, non dissimilis afflictio angustet, et par cruciet flamma supplicii, quos in igne luxuriae par succendit flamma peccati. Sicut in domo patris mansiones multae sunt ipsa diversitate virtutis, sic damnatos diverso supplicio gehennae ignibus subicit disparilitas criminis; quae scilicet gehenna, quamvis cunctis una sit, non tamen cunctos una eademque qualitate succendit; sicut plerumque uno sole omnes tangimur, qui tamen juxta qualitatem corporum sentitur etiam pondus caloris, sic damnatis et una est gehenna quae afficit, et tamen non una omnes qualitate comburit, quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic ex(h)ibet dispar causa meritum.

CAP. XXXIII. DE SEMPITERNIS REMUNERATIONIBUS ELECTORUM.

Sancta egleſia post finem hujus ſaeculi duplicia recipit, unde bene per prophetam dicitur: in terra ſua duplicia poſſidebunt. Sancti quippe in terra vibentium duplicia poſſident, quia nimirum beatitudine mentis ſimul et corporis gaudent. Johannes in apocalypſi, quia ante reſurrectionem corporum clamantes ſanctorum animas vidit, accepiſſe eas ſtolas ſingulas aſpexit, dicens: Et datae ſunt illis ſingulae ſtolae albae et

dictum est illis ut requiescerent tempus adhuc modicum donec completur numerus conservorum ut fratrum eorum. Ante resurrectionem sancti stolas singulas accepisse dicti sunt, quia sola adhuc mentis beatitudine perfruuntur. Binas ergo accepturi sunt, quando cum animarum perfecto gaudio etiam corporum incorruptione vestientur. Tunc enim vera in nobis libertas erit, quum ad gloriam filiorum Dei adobtio nostra pervenerit. Multitudo electorum nunc ad fidem per sanctos doctores tra(h)itur sed quandoque in coelestem patriam congregabitur, ut ibi omnes electi sine fine laudent quum viderint sine fine quem laudent. In aeterna vita perfecte corpus redemptoris efficitur omnis multitudo sanctorum eique ita tunc inherent, ut eis de corruptione quae per resurrectionem vincitur jam nihil in suo sancto amore contradicat, sed unita gloriae sui redemptoris fiet. Egregius praedicator ait: Et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertate gloriae filiorum Dei. Electos enim nunc poena corruptionis adgravat, sed tunc incorruptionis gloria exaltat. Et quantum ad praesentis necessitatis pondera nunc in Dei filiis de libertate nihil ostenditur. Quantum vero ad subsequentis libertatis gloriam, tunc in Dei famulis de servitute nihil apparebit. Creatura ergo servitute corruptionis exuta et libertatis dignitate accepta in filiorum Dei gloriam vertitur, quia unita Deo per spiritum quasi hoc ipsud quod creatura est transisse ac subegisse declaratur. Hinc psalmista ait: in loco pascuae ibi me conlocavit. Pascua etenim scriptura sancta illam viriditatis aeternae pabulam vocat, ubi jam nostra refectio nullius defectus ariditatem arcescit. De quo pastu rursus ait: nos autem populus ejus et obes (oves) pascuae ejus. Unde et per semetipsum veritas dicit: per me si quis introierit salvabitur et ingreditur et regreditur et pascua inveniet. Justi quum iniquos omnes extrema ultione percuti conspiciunt, ipsi de gloria dignae retributionis (h)ilarescunt, nec damnatis jam tunc ex humanitate compatiuntur, quia divinae justitiae per speciem inhaerentes inconcusso districtiois intime vigore solidantur. Erectas in claritate supernae rectitudinis electorum mentes nulla miseria afficit, quia eas a miseriis altitudo beatitudinis alienas reddit. Bene autem per psalmistam dicitur: Videbunt justi et timebunt, et super eum videbunt et dicent: Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem sibi. Iniquos enim justi nunc vident et metuunt, tunc visuri sunt et ridebunt. Quia enim modo ad eorum labi imitationem possunt, hic habent formidinem; quia vero damnatis tunc prodesse nequeunt, illic non habent compassionem. Aeterno supplicio deditis non esse miserendum in ipsa qua beati sunt justitia judicantis legunt; qui quod suspicari fas non est qualitatem sibi praeceptae felicitatis minuunt, si in regno positi volunt quod implere nequaquam possunt. Quum post hanc vitam ad aeternam perducimur, portae nostrae atria in confessionum laudibus intramus, quia ibi jam angusta non erit, quum nos in laetitia aeternae solemnitatis adsumserit.

Explicit liber sententiarum Sancti Gregorii.

III.

ISIDORI HISPALENSIS LIBER QUAESTIONUM.

Braulio in notissima sua *praenotatione operum S. Isidori* significat, eum inter alios libros scripsisse: „*quaestionum libros duos*, quos qui legit veterum tractatorum multam supellectilem recognoscit.“ Ildephonsus autem dicit: „Collegit etiam de diversis auctoribus quod ipse cognominat secretorum expositiones sacramentorum, quibus in unum collectis idem *liber* dicitur *quaestionum*.“ Quamquam in Isidori operum editionibus liber exstat, qui *liber quaestionum* inscribitur, tamen ejus disputandi forma plane aliena est a quaestionibus, quas in eo inesse titulus videtur declarare velle. In Bibliotheca Hispana Roderici de Castro invenitur epistola Burrielis doctissimi Jesuitae illius (Tom. II, p. 314), ubi mentionem facit libri manuscripti, in quo opus cum tali forma quaestionum et responsionum esse dicit. Quia autem codicis initium defuit, dubitavit Burriel, utrum opus Isidori nomini addiceret necne. — Verum in Alcobacensi Bibliotheca in libro manuscripto saeculi undecimi opus, cujus fragmentum Burrieli notum fuisse videtur, plenum atque integrum reperitur.¹⁾ Inscriptio tamen id attribuit Gregorio papae, quo nomine haud dubio Gregorius Magnus significari videtur; a quo librum non scriptum esse quum ex disputandi modo tum ex tota libri indole, quae prorsus abhorret ab illius viri ingenio, nobis perspicuum fit; et omnino ecclesiae Romanae originem suam non debere, videmus ex biblicorum versione, qua auctor in locis afferendis utitur; namque ea a Vulgata valde differt. Quae quum ita sese habeant, tantum abest, ut putemus esse inscriptionem alicujus momenti, ut statuamus has quaestiones Isidori esse, easque puriore quadam recensione, quam qua usque ad haec tempora typis expressas vidimus. Quae praestantia non solum in forma cernitur, verum etiam, si rem diligentius indages, argumenti magna est discrepantia; continet enim codex Alcobacensis permultas explicationes, quae

1) Cujus codicis litterarum effigies infra praebetur.

in libri textu typis expressi desunt, exempli gratia benedictionum Jacobi interpretationem, et ad Levit. XVII dissertationem de lege Judaica in sacris Christianis sublata, alia. Contra aliis locis editiones libro manuscripto ubiores sunt; quae ubertas, ubi nobis occurrit, non est, quod dubitemus, quin hae copiosiores explicationes interpolatae sint. Viris acris iudicii et artis criticae peritis hanc comparisonem et operis censuram relinquo, contentus, idem nullo commentario addito ex libro illo manuscripto fidelissime erutum publicasse. Nam procul dubio est haud contemnendum neque leve testimonium studii, quo sectabantur patres ecclesiae Hispano-Gothicae periculosissimam spiritualem, quam vocant, intelligentiam rerum, quae artibus symbolicis et allegoriis Scripturae Sacrae vim minuit mutatque, et mythologiam gentilium in sacra Christiana inducendam adjuvat.

IN NOMINE DOMINI JESU CHRISTI INCIPIT LIBER QUAESTIONUM. 1)

In principio inquit fecit Deus coelum et terram. Quid namque per principium, aut quid per coelum, vel quid per terram typice intelligatur, enuclea.

RESP. Principium Christus est, sicut ipse in evangelio Judeis interrogantibus dixit: *Ego sum principium qui et loquor vobis*. In hoc igitur principio fecit Deus coelum i. e. spirituales, qui coelestia meditantur et quaerunt. In ipso fecit et terram, i. e. carnales cunctos, qui terrenum hominem necdum deposuerunt.

QUAEST. Quomodo erat tunc, juxta ut legimus, terra inanis et vacua?

RESP. Terra enim carnis nostrae inanis et vacua priusquam doctrinae spiritualis legis acciperet formam.

QUAEST. Quid namque innuebatur per hoc, quod tenebrae erant super faciem abyssi?

RESP. Quid enim sunt tenebrae, nisi caecitas delictorum? Tenebrae igitur super faciem abyssi erant, quia delictorum caecitas et ignorantiae profunda obscuritas corda nostra tegebat.

QUAEST. Quid figurabatur per hoc, quod spiritus Domini ferebatur super aquas?

RESP. Aqua enim principii undam sacri baptismatis ostendebat, per quod infusione sancti spiritus a veteribus cunctisque criminibus abluimur.

QUAEST. Quid intelligendum est in hoc, quod in primordio operum dierum dixit Deus: *Fiat lux*?

RESP. Id est: illuminatio credulitatis appareat. Nam ideo prima die Deus lucem fidei dedit, quia prima est in conversatione fides; unde et in praeceptis decalogi primum mandatum ad lucem fidei pertinet, cum dicit: *Dominus Deus tuus Deus unus est*. Tunc igitur Deus juxta praescientiae suae gratiam divisit lucem a tenebris, i. e. justos, qui sunt filii

1) Codex (v. s.) addit: a beato Gregorio Pape.

Dei et lucis a peccatoribus, justos vocans diem, peccatores vero noctem. Ecce jam primi diei opera juxta typicam intelligentiam et horae prolata sunt.

QUAEST. Quid enim significatum est per hoc quod secundo die dispositum est firmamentum?

RESP. Firmamentum enim in ecclesia scripturae divinae intelliguntur, quia scriptum est: *Coelum plicabitur sicut liber.*

QUAEST. Quid est quod super hoc firmamentum scripturarum discrevit aquas?

RESP. Si enim quae super firmamentum coelorum discernuntur angelicae potestates intelligantur, discrevit ergo Dominus super hoc firmamentum aquas i. e. coelestes populos angelorum super firmamentum scripturarum, quia sancti angeli per internam contemplationem ante Deum semper adsistunt et non opus habent, ut legentes audiant verbum Dei.

QUAEST. Sequitur, quod die tertio collegit in unum aquas inferiores salsas.

RESP. Aquae istae inferiores homines infideles sunt, qui cupiditatum tempestate et tentationum carnalium fluctibus quatiuntur, et quasi amarae salsuginis, atque ita in se ipsis includuntur.

QUAEST. Alio quoque die segregavit aridam.

RESP. Populum salutis fontem fidei sitientem cum gratia Christi licitum est germinare bonorum operum fructus i. e. decalogi praeceptum, vel evangelicum adimplere mandatum.

QUAEST. Quid per luminaria, quae quarto die emicuerunt firmamento legis in ecclesia?

RESP. Luminaria coeli dominatores sunt ecclesiae sanctae. Emicuerunt enim in coelo luminaria i. e. evangelistae et doctores sanctarum scripturarum in ecclesia.

QUAEST. Sed et quinta die facta sunt in aquis reptilia animarum vivarum simulque et volatilia.

RESP. Per reptilia etenim significantur homines renovati in vitam per baptismi sacramentum; per volatilia vero ostenduntur sanctae animae ad superna volantes.

QUAEST. Sexta post haec die produxit terra animam vivam.

RESP. Terra caro nostra animam vivam produxit, quando in sexta mundi aetate adveniente in carne Christo abstinens ab operibus mortuis viva virtutum germina parit. Deinde produxit terra bestias, homines scilicet viventes in potentia rerum sive ferocitate superbiae. Similiter et pecora fideles inquit in simplicitate vitae viventes. Serpentes quoque innoxios, sanctos scilicet viros astutiae vivacitate bonum a malo discernentes, et in quantum fas est reptantes i. e. scrutantes terrena, per quae intelligant sempiterna. Post haec fecit Deus hominem ad imaginem suam, virum scilicet perfectum, qui ipsam veritatem, quae Deus est contemplabitur intiendo, operatur justitiam, et ipsam, ad cuius imaginem factus est, sequitur veritatem. Sequitur etenim, quod masculum et feminam fecit eos Dominus; per masculum quippe spirituales, per feminam vero obediens plebes ecclesiae demonstrantur, quia sicut viro subdita est mulier, sic spirituali et perfecto viro obediens est ille, qui minus perfectus est. Quibus namque dicitur: *crescite et multiplicamini*, crescite,

inquit, in linguis, multiplicamini in spiritualis intelligentiae sacramentis; tales enim dominantur cunctis animantibus terrae i. e. omnium carnalium perturbationum, et accipiunt in escam omnem herbam seminalem i. e. oblationem corporis Christi, sed et lignum fructiferum i. e. sacri ejus sanguinis sacramentum.

QUAEST. Qualiter se habet hoc quod in uniuscujusque diei perfectione dicit scriptura divina: *et factum est vespere et mane, dies unus?*

RESP. Quaerunt aliqui cum primum vesperum, postea mane scriptura memoraverit, ne forte noctem prius quam diem significare videatur; nec advertunt, quod primo praemiserit diem, dicendo, *et vocavit Deus diem lucem et tenebras noctem*, deinde quod vespera finis diei sit et mane finis noctis: nam ut praerogativa et primatus nativitatibus diei daretur, prius finem diei significavit, post quem sequutura nox esset. Deinde postea finem noctis adjunxit. Eousque autem noctem diei scriptura anteferre non potuit, ut diei et noctis tempora diei appellatione concluderit, et lux ipsa diei auctoritatem nominis indicaverit; principium ergo diei vox Dei est: *fiat lux et facta est lux*. Finis diei vespera est, cui adjungitur nox, et cum factum fuerit mane, fit unus dies; et haec est lex statuti, ut viginti quattuor horae diurnae atque nocturnae diei tantum nomine definiantur, ac sic ipsa mensura viginti quattuor horarum unius diei tempus est; nam sicut in sacra scriptura virorum generatio ponitur, et intelligitur etiam feminarum, quae potioribus viris annectuntur, ita etiam dies numerantur, et noctes intelliguntur adjunctae, et sicut circuitus unus est solis, ita et unus dies. Pulchre autem unum dicturus diem matutino eum fine conclusit, ut a luce inchoare diem doceret, et in luce desinere. Non est enim integrum diei tempus et noctis, nisi fuerit expletum, nam noctis tempus ad quietem corporis datum esse cognoscimus, non ad muneris alicujus et ad operis functionem; unde oportet nos abjicere opera tenebrarum, ut tanquam in die honeste ambulantes opera nostra coram Deo lucere cupiamus. Haec juxta Beati Ambrosii Mediolanensis Antistitis pertractata, cui simillime res noctis ordine ad cursum praeteriti diei pertinentis Beatus Augustinus in exposito versiculi psalmi octogesimi septimi sic memorat dicens: *Tota die expandi manus meas ad te*. Psalmus enim totus in persona Christi est. Quod enim ait: *extendi manus meas* si in hoc crucis patibulum intellexerimus, quomodo intellecturi sumus tota die? Numquid tota die pependit in ligno, cum et nox ad totum pertineat diem? Sed quia hic psalmus totus in oratione est, ideo per diem latina locutione tempus accipitur; unde in hac prophetia psalmi non crucem suam significavit his verbis, sed orationem, quam eum ex forma servi fudisse Deo Patri evangelio testante didicimus. Quasi enim tota die extentas manus insinuat, qui nec per diem ab intentione bonorum operum cessabat, et in oratione ad Patrem pernoctans; sicutque dies et nox diei tantum appellatione adsiscitur, dum Psalmista verbis diei et noctis opus ad totum diem pertinere percensuit. Tota die enim manus expandit, qui nec die nec nocte ab oratione cessavit. Ubi enim tota dies dicitur, nox diei aperte conjungitur, nam et in eo, quod dixit Dominus in evangelio: *sic erit et filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus*, ideo nominavit noctes, quia totos tres in sepulcro non pertulit dies; unde non ait totis tribus diebus sed tri-

bus tantum diebus, quasi adjunctis noctibus ex parte significans totum, dies quippe primus a parte ultima cum nocte totus est dies, et dies ultimus a parte prima est tertius dies, per primum et ultimum diem ex parte significans totum, per medium autem ex toto insinuans partem.

QUAEST. Hactenus sex dies operum Dei quomodo in ecclesia specialiter intelliguntur, expositum patet; in generali autem significatione mundi qualiter hic ordo dierum accipiat, determina.

RESP. Sex diebus mundi consummavit Deus omnia opera sua, et septimo requievit, quia sex aetatibus mundus iste peragitur, et septima erit requies sanctorum cum Domino. Quarum prima aetas est ab Adam usque ad Noe, quae aetas habuit mane conditionem hominis in paradiso, qui lucem cognosceret fidei; habuit vesperam diluvium. Secunda aetas est a Noe usque ad Abraham: habuit mane quasi firmamentum arcam illam, quae natavit inter pluvias et maria; habuit vesperam confusionem linguarum in ruina turris Nemroth gigantis. Tertia aetas ab Abraham usque ad David: habuit mane separationem populi Dei a gentibus per Abraham, quasi separationem aridae fructificantis iustitiae opus ab aquis fluidis et inferioribus hominum peccatorum; habuit vesperam peccatum et malitiam pessimi regis Saul. Quarta aetas a David usque ad transmigrationem Babyloniae: habuit mane ipsum David, a quo coepit splendor regni juxta splendorem luminum coeli; habuit vesperam peccatum regum, per quod gens illa meruit captivari in Babylonia. Quinta aetas est deinde usque ad humilem adventum Domini nostri Jesu Christi: habuit mane ipsam transmigrationem, quando gens illa Hebraeorum inter gentes vivere coeperunt, quasi animalia in aquis; habuit vesperam peccatum idem populi Judaeorum, quando sic excaecati sunt, ut etiam Dominum nostrum Jesum Christum non possint agnoscere. Sexta aetas est, quae nunc agitur usquequo mundus finiat, et veniat Excelsus ad iudicium: habuit mane ipsum adventum Domini nostri Jesu Christi; erit et vespera ejus finis et consummatio seculi. Post istam vesperam fiet mane, cum ipse Dominus in claritate venturus est. Tunc requiescent cum Christo ab omnibus operibus suis omnes electi, quibus dictum est: *Estote perfecti, sicut et Pater vester, qui in coelis est.*

QUAEST. Quid est quod superius septem dies in creatione totius creaturae numerantur, nunc autem unus dies numeratur cum dicitur: *Istae generationes coeli et terrae, quando creatae sunt in die, quando fecit Deus coelum et terram, et omne virgultum agri omnemque herbam regionis, antequam essent super terram?*

RESP. Per hanc recapitulationem unius diei omne tempus hujus vitae significatur, in quo coelum et terra, i. e. creaturae visibiles et invisibiles disponuntur.

QUAEST. Quid est quod subjungitur: *et homo non erat, qui operaretur terram?*

RESP. In hoc loco terra Virgo Maria accipitur; homo igitur non erat, qui operaretur terram, quia nullus homo operatus est in Virginem, unde natus est Christus. Ipse est enim lapis de monte abscisus sine manibus i. e. absque coitu et humano semine de virginali utero, quasi de monte humanae naturae et substantiae carnis abscisus; additur enim *qua fons ascendebat de terra irrigans universam superficiem terrae.*

II.

TAJONIS LIBER SENTENTIARUM.

Codex XLVIII reliquiarum Bibliothecae Manuscriptorum coenobii Ripulensis, quae nunc in archivo regni Aragonici Barcinone asservantur, continet Tajonis librum sententiarum, quem typis edidit Cl. Florezius in volumine tricesimo primo operis, cui apud Hispanos titulus est *España Sagrada*. Librum manuscriptum ad saeculi decimi initium pertinere ex his verbis subscriptis videmus:

Expletus ab opere scribtorio est liber per manus extremitatis fidelis diaconi sub die XIII Kls. Augustas Era DCCCCXLVIII^a. Ob delinquentem scribtozem o vos sanctimoniales puellae Christum Dominum non dedignemini precare forsā obtento vestro sacro mereatur quandoque peccatorum onere carere. Amen. REBILENORTAM.

Itaque liber manuscriptus videtur esse seminarum, quae eo tempore habitabant coenobium, quod San Juan de las Abadesas i. e. Johannis Abbatissarum vocant Hispani, cum Ripulensi conjunctum; eumque possedit Matrona, mulier alioquin ignota; etenim verborum subscriptorum litterae majusculae, si retrorsum leguntur „Matronae liber“ significant.

Opus ipsum Tajonis, quod codex habet, incipit a verbis: „In nomine Domini incipit Liber Sententiarum S. Gregorii Papae Romae,“ similiterque finitur: „Explicit Liber Sententiarum Sancti Gregorii,“ ita ut in codice Gregorio neque Tajoni, ut apud Florezium, attribuat. Ipse autem verborum textus, si paucas scripturae diversitates exceperis, idem atque apud Florezium, et epigrammate, quod ille praeposuit, omisso a libri primi capitum indice incipit.

Quum Codex Aemilianensis, quo Florezius usus est, sub finem mancus esset, operis finem edere non potuit, sed in libri quinti capitis tricesimi tertii initio subsistere coactus est. Quare ex libro manuscripto Ripulensi pleno et integro finem, qui deest apud illum, i. e. caput tricesimum tertium et tricesimum quartum, proscripsi.

Terra, ut diximus, mater Domini Virgo Maria rectissime accipitur, de qua scriptum est: *Aperiat terra et germinet salvatorem*. Istam terram irrigavit fons i. e. sanctus spiritus, quem Dominus fontem aquae vivae in evangelio nominavit. *Formavit, inquit, Dominus Deus hominem de limo terrae*. In hoc loco hominem dicit Christum Jesum qui factus est ex semine David secundum carnem tanquam de limo terrae. *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae*, infusionem utique Sancti Spiritus, per quem in Virgine operata est corporatio Christi. *Et factus est homo in animam viventem*; scilicet ut qui perfectus erat Deus, perfectus crederetur et homo.

QUAEST. Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis. Liceat prius juxta historiam ordinem plantationis paradisi edicere, dehinc qualiter per paradisum ecclesia figuratur exponere. Narra veritatem historiae!

RESP. Paradisus locus est in Orientis partibus constitutus, cujus vocabulum ex graeco in latinum vertitur hortus. Porro hebraice dicitur Eden, quod in nostra lingua deliciae interpretatur; quod vero utrumque junctum faciunt hortum deliciarum. Est enim omni genere ligni et pomiferarum arborum consitus, habens etiam et lignum vitae. Non ibi frigus, non aestas, sed perpetua veris temperies est, e cujus medio fons prorumpens totum irrigat nemus; dividiturque in quattuor nascentia flumina, cujus loci aditus post peccatum hominis interclusus est; septus est enim undique romphea flamma i. e. muro igneo accinctus, ita ut hujus in coelo pene jungat incendium. Cherubim quoque i. e. praesidium Angelorum arcendis spiritibus malis super rompheae flagrantiam ordinatum est, ut flammae homines, Angeli vero boni Angelos submoveant malos, sic ita ut nec huic carni vel spiritui transgressionis aditus pateat paradisi. Haec est ratio paradisi juxta historiam; nunc audi qualiter juxta rationem typicam paradisus accipitur ecclesia. Paradisus, ut diximus, catholica demonstratur ecclesia; sic de illa legitur in Canticis Canticorum; *hortus conclusus soror mea*. A principio autem paradisus plantatur, qua ecclesia catholica a Christo, qui est principium omnium, condita esse cognoscitur.

QUAEST. Quid significat fons procedens de paradiso?

RESP. Fons iste paradisi imaginem portat Christi, qui sitientem paradisum i. e. ecclesiam irrigat verbo praedicationis et dono baptismatis, de quo fonte procedunt quattuor flumina, quattuor scilicet evangelia exundantia in totum orbem.

QUAEST. Quid significant ligna paradisi fructifera?

RESP. Omnes Sanctos.

QUAEST. Quid fructus lignorum?

RESP. Opera bona Sanctorum.

QUAEST. Quid lignum vitae?

RESP. Lignum hoc vitae Christus est, ad quem quisquis porrexerit manum, vivet in aeternum.

QUAEST. Quid lignum scientiae boni et mali?

RESP. Proprium est scilicet voluntatis arbitrium, quod in medio nostri est positum ad dignoscendum bonum vel malum, de quo si quis relictis gratia Dei gustaverit, morte morietur.

QUAEST. Quid est quod tulit Deus hominem et posuit eum in paradiso?

RESP. Quia voluntate Patris assumpsit Christus carnem et factus est caput ecclesiae.

QUAEST. Quid est quod dicit Deus: *non est bonum esse hominem solum?*

RESP. Hic arguuntur haeretici, qui Christum solum hominem putant, et non etiam Deum.

QUAEST. Quid est quod sequitur: *faciamus ei adiutorium simile sui?*

RESP. Quia in ipso homine suscepto ecclesia copulata est Christo. Ad quem enim locutus est Deus, aut prius: *faciamus hominem ad imaginem nostram*, aut post: juxta ipsam formato homini *faciamus ei adiutorium simile sui?* Hoc non sibi soli utique dicit, quia non dicit *faciam* sed *faciamus*. Non Angelis dicit, qui ministri sunt, quia servi sunt, quia opera sunt; servi autem cum Domino, et opera cum auctore non possunt operationis habere consortium; sed dicit hoc utique Filio, qui est juxta Apostolum *imago Dei invisibilis et primogenitus universae creaturae*. Ipse est imago Patris, qui semper est et erat in principio. Denique imago Dei est, quae dicit Philippo: *Philippe, qui me videt, videt et Patrem*. Et iterum: *ego in Patre, et Pater in me est*. Imago enim Dei virtus est, non infirmitas, imago Dei sapientia est, et justitia, imago Dei est solus ille, qui dixit: *Ego et Pater unus sumus*, ita habens similitudinem Patris, ut divinitatis et plenitudinis habeat unitatem, et ideo ad Filium utique dixisse Patrem: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, animam scilicet humanam, in qua lucet divinae operationis effigies; nam aliud sumus nos, qui ad imaginem Dei facti sumus, alia sunt nostra, alia quae circa nos sunt. *Nos sumus* h. e. anima et mens, *nostra sunt* corporis membra et sensus ejus, *circa nos* vero sunt opus seculi vel cuncti appetitus vitae hujus, unde in anima, quod nos sumus, ad Dei imaginem nos factos fuisse cognoscimus.

QUAEST. Quid est quod cunctis creaturis terrae Adam nomen imposuisse describitur?

RESP. Significatum est per hoc, quod cunctis nationibus ad fidem Christi concurrentibus per Christum nomen daretur, utique Christianum, sicut scriptum est: *et vocabo servos meos nomine alio*.

QUAEST. Quid est quod post haec de dormienti Adam costa illi de latere abstrahitur, unde Eva formatur?

RESP. Somnus Adam passio corporis Christi est, sive mors ejus in carne, dormivit namque Adam, et abstrahitur illi costa de latere, unde formatur Eva, quia moritur in carne Christus, pungitur lancea latus, et profluunt sacramenta, unde formatur ecclesia.

QUAEST. Cujus figuram habuit serpens ille in paradiso sapientior omnium bestiarum?

RESP. Serpens ille indicat specialiter diabolum, qui inde serpens dicitur, quod volubili versetur astutia.

QUAEST. Quid est iste per mulierem decipit, et non per virum?

RESP. Per mulierem etenim animalis nostri corporis sensus exprimitur, per virum vero mentis nostrae ratio designatur; et ideo tunc mens nostra ad peccandum seducitur, quando animalis corporis sensus diabolicae suggestionis illecebris inflammatur. Seducitur enim verbis antiqui serpentis Eva, et decipitur Adam, quia inflammatur ad suggestionem

Diaboli carnalis nostra concupiscentia, et per illam inclinatur ad peccandum mentis nostrae constantia.

QUAEST. Quid est quod primi homines post deceptionem antiqui serpentis conteguntur foliis fici?

RESP. Foliis fici se contegunt, qui seculum asperum amplectunt, qui prurigne voluptatis uruntur, vel qui decepti haeretica pravitate et nudati gratia Dei tegumenta mendaciorum tanquam folia colligunt fici, facientes sibi succinctoria pravitate, qualiter de Domino vel ecclesia mentiuntur.

QUAEST. Quid est quod decepti idem primi nostri parentes cum audissent vocem Dei deambulantem in paradiso ad auram post meridiem, absconderunt se in medio ligni paradisi?

RESP. Deambulat Deus in illis et non stat, qui stabiles in ejus praecepto non perseverant; et in medio ligni se abscondit, qui aversus a praeceptis creatoris in errores atque arbitrii sui voluntatibus se convertit.

QUAEST. Quid est quod vocat Deus Adam ubi sit?

RESP. Hic ostenditur quod post peccatum non despicit Deus quemquam, sed omnes per poenitentiam reverti expectat.

QUAEST. Quid est quod antiquo serpenti in maledictione dicitur: *maledictus eris inter omnia animantia, super pectus tuum gradieris et ventrem?*

RESP. Per pectus significatur superbia mentis, per ventrem vero ostenditur desiderium carnis; his enim duabus rebus serpit Diabolus ad eos, quos vult decipere i. e. aut terrena cupiditate et luxuria, aut superbiae insana doctrina.

QUAEST. Quid est quod additur ei: *et terram comedes?*

RESP. Id est ad te pertinebunt, quos terrana cupiditate deceperis.

QUAEST. Subjungitur post haec: *inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius.*

RESP. Semen Diaboli perversa suggestio est, semen autem mulieris fructus est boni operis, quo perversae suggestioni resistitur.

QUAEST. Quid est quod de hoc adhuc adjungitur: *ipsa tuum observabit caput, et tu ejus calcaneum?*

RESP. In hoc loco per serpentem Diabolus, per Evam vero unaquaeque anima humana signatur; caput quippe serpentis observare est initia pravae suggestionis ejus aspicere, sed serpens i. e. Diabolus calcaneum observat, quia bonae actionis nostrae opera usque in finem vitare desiderat, cum enim caput serpentis i. e. prava suggestio inimici deprehenditur, percutere calcaneum molitur, quia etsi prima sui suggestionem Diabolus intentionem nostram non percutit, decipere tamen usque in finem tendit. Quod enim Diabolus non calcaneum viri, sed Evae observat, hoc innotescitur, quod Eva quasi radix nostrae propaginis extitit, ex qua omne humanum genus in arbusta concrevit; et ideo quia Diabolus veneno suadente Evam i. e. radicem nostrae nativitate vitavit, ideo nunc omne genus hominum quasi totam sibi arborem fructum pravi operis ferre concupiscit. Nam et aliter de fructu ventris Mariae, qui est Christus, intelligitur dictum i. e. tu eum supplantabis ut moriatur, ille autem te victo resurget, et caput tuum conteret, quod est mors, sicut

et David dixerat ex persona Patris ad Filium: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.* Aspidem dixit mortem, basiliscum peccatum, draconem Diabolum, leonem Antichristum in ultimo tempore saevientem.

QUAEST. Quid per sententiam in Adam et muliere collatam accipitur, quando in paradiso deliquerunt?

RESP. Per sententiam nostris pro culpa transgressionis illatam parentibus, maledictio terrenae operationis et dolores temporalium curarum praedicti esse monstrantur, in quibus laborat humana propago, quousque colloct sibi meritum bonum redeundi ad patriam paradisi, possitque aliquando manum porrigere ad arborem vitae Christum, et vivere in aeternum. Manus autem porrectio significat crucem vel cruciatum poenitentiae, per quem vita aeterna recuperatur.

QUAEST. Quid intelligitur per tunicam pelliceam, qua primi homines fuerunt induti?

RESP. Per tunicam illam pelliceam corporis mortalitas significatur in genere humano pro peccato collata.

QUAEST. Quid significat natiuitas duorum filiorum Adam, Cain scilicet et Abel, qui sacrificium Domino de primitiis obtulisse leguntur?

RESP. Natiuitas duorum filiorum Adae figuram gessit duorum populorum, qui erant ex ejus genere divisus temporibus ad fidem venturi, pari quidem opere, sed dissimili caritate ante Deum. Quod vero Cain sacrificium ex terrae fructibus reprobat, Abel autem sacrificium ex ovibus, et earum adipe suscipitur, abjectionem veteris sacrificii et susceptionem indicat novi.

QUAEST. Quid est quod Deus sacrificium Abel suscipit et a sacrificio Cain oculos avertit?

RESP. Quia non fuit caritas in Cain, et nisi esset caritas in Abel, non acciperet Deus sacrificium ejus. Quem enim vidit cum caritate offerre, ipsius sacrificium respexit; quem vero vidit cum invidia offerre, ab ipsius sacrificio oculos avertit.

QUAEST. Quomodo scire potuit Cain, quod fratris munera suscepisset Deus et sua repudiasset?

RESP. Antiquitus etenim ignis ad sacrificium devorandum solido veniebat e coelo, quod Sancti Spiritus ostendebat figuram, sicut factum est et in dedicatione templi sub Salomone et in sacrificio Eliae vel Gedeonis; unde de hoc sacrificio Cain et Abel scribitur in Theodotionis translatione: *Et inflammavit Dominus super Abel et super sacrificium ejus super Cain vero et sacrificium ejus non inflammavit.* Et ideo hac flamma descendente in unius sacrificio, patuit alterius repudiatio.

QUAEST. Quid figuratum est in hoc quod Abel occiditur (a) Cain?

RESP. Per Cain Judeorum, per Abel vero Christi monstratur species. Occiditur itaque Abel minor natu a fratre majore natu, occiditur et Christus caput populi minor natu a populo Judeorum majore natu, ille in campo, iste in Calvariae loco.

QUAEST. Quid est quod dicit Dominus ad Cain: *Vox sanguinis fratris tui clamavit ad me de terra?*

RESP. Per sanguinem Abel sanguis intelligitur Christi. Per terram vero, quae sanguinem suscepit Abel, redemptorum fidelium intelligitur

multitudo. Sanguis ergo Abel clamat ad Dominum de terra cum accepto ab omnibus fidelibus Christi corpore et sanguine respondetur amen. Haec est enim vox clara, vox sanguinis Christi; quem ipse sanguis exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum.

QUAEST. Quid sibi vult quod scriptum est: *omnis qui occiderit Cain septem vindictas exsolvet?*

RESP. Postquam Cain occiderat fratrem, interrogatus a Domino, *ubi est Abel frater tuus?* contumeliose responderat: *Nescio; numquid custos fratris mei sum?* Quamobrem maledictione damnatus, ut gemens et tremens viveret super terram, noluit veniam deprecari, sed peccatis peccata congemmans, tantum putavit nefas, cui a Domino ignosci non possit. Denique respondit ad Dominum: *major est iniquitas mea, quam ut dimittar*, i. e. plus peccavi quam merear absolvi. *Ecce hodie ejicis me a facie terrae et a facie tua. Abscondar et ero gemens et tremens super terram, et erit omnis, qui invenerit me, occidet me.* Ejicior, inquit, a conspectu tuo et conscientia sceleris lucem ipsam ferre non sustinens, abscondar et latitem, eritque omnis, qui invenerit me, occidet me. Verum Dominus nolens eum compendio mortis finire cruciatus neque tradens poenae, qua se ipse damnaverit, ait: Non sic i. e. non ita ut existimas morieris, et mortem pro remedio accipiens, verum vives usque ad septimam generationem, et conscientiae tuae igne torqueberis, ita ut quicumque te occiderit secundum duplicem intelligentiam in septimam generationem a magno te liberet cruciatu. Non quo ipse, qui percussit Cain, septem ultionibus subjiendus sit, sed quo septem vindictas, quae in Cain tanto tempore cucurrerunt, solvat in interfecto, occidens eum, qui vitae fuerat derelictus ad poenam. Ut autem quod diximus manifestius fiat, quotidianae consuetudinis ponamus exemplum. Loquitur inter verbera servus ad Dominum: quia incendi domum tuam, et universam substantiam dissipavi, interfice me; dominusque respondeat: non ut vis morieris et finies morte supplicii, verum longo tempore custodieris ad vitam, et tam infelicer in hac luce versaberis, ut quicumque te occiderit, beneficium praestet occiso, dum de tam multis te liberet cruciatibus. Majorum quoque nostrorum ista sententia est, quod putent in septima generatione a Lamech interfectum Cain; Adam quippe genuit Cain, Cain genuit Enoch, Enoch genuit Cainan, Cainan genuit Malaleel, Malaleel genuit Mathusalem, Mathusalem genuit Lamech, qui septimus ab Adam non sponte, sicut in quodam volumine Hebraeo scribitur, interfecit Cain, et ipse postea confitetur: *quia virum occidi in vulnere meo et juvenem in livore meo. Quoniam septies vindicabitur de Cain, de Lamech autem septuagies septies.* Haec quidem de Cain, quod septima generatione interfectus sit, et juxta aliam expositionem poenam sui sceleris dederit. Nihil obscuri arbitror remansisse.

Nunc illud, quod non interrogaveras, dum aliud agimus, irrepsit, quae sint septuaginta septem vindictae, quae in Lamech exsolvendae sint? Ajunt ab Adam usque ad Christum generationes septuaginta septem. Relege Lucam Evangelistam, et ita invenies esse, ut diximus. Sicut ergo septima generatione Cain peccatum est dissolutum, et non judicabit quippe Dominus bis in idipsum, et qui semel recepit mala in vita sua, non eosdem cruciatus patietur in mortem, quos est passus in vitam; ita et

Lamech peccatum i. e. totius mundi atque sanguinis, qui effusus est, Christi solvetur adventu, qui tollit peccata mundi, qui lavit amictum suum in sanguine uvae, et torcular calcavit solus, qui de Edon rubicundus ad coelum ascendens clamantibus Angelis miraculum praeiit, *levate portae capita vestra et introibit rex gloriae etc.* Ajunt Hebraei septuaginta et septem animas ex Lamech progenie reperiri, quae diluvio deletae sunt, et in hoc numero de Lamech factam esse vindictam, quod genus ipsius usque ad cataclysmum perseveraverit. Alii de septem vindictis Cain varia suspicantur et primum ejus asserunt fuisse peccatum, quod non recte diviserit, secundum quod inviderit fratri, tertium quod dolose egerit dicens: *transeamus in campum*, quartum quod interfecerit, quintum quod procaciter negaverit: *nescio, numquid custos sum fratris mei?* sextum quod se ipse damnaverit dicens: *major culpa mea est quam ut dimittar*; septimum quod nec damnatus egerit poenitentiam secundum Ninivitas et Ezechiam regem Judae, qui imminente mortem lacrymis distulerunt, et dicunt illum a clementissimo Deo ideoque ad septimam generationem fuisse dilatum, ut saltem malis ipsis et longae vitae memor compulsus poenitentiam ageret et mereretur absolvi.

QUAEST. Quid est quod Cain dum cognita uxore sua genuisset filium, illico in nomine ejus civitatem aedificavit?

RESP. Quod impiorum progenies civitatem in ipsa mundi origine construit, significat impios in hac vita esse fundatos, sanctos vero hospites et peregrinos esse in terra; nam et Petrus propterea reprehenditur, quod tabernacula in monte fieri cogitavit, quia sancti in hoc mundo tabernaculum non aedificant, qui ad supernam patriam ire festinant.

QUAEST. Quid est quod tempore diluvii inter tot milia populi solus justus invenitur Noe cui septem homines condonantur ad vitam propter justitiam suam?

RESP. Noe per omnia omnesque actus ejus Christum significat; ipse enim interpretatur requies: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* Solus justus invenitur Noe, cui septem homines condonantur propter justitiam suam; quia solus justus est atque perfectus, cui septem ecclesiae propter septiplicem spiritum inluminantem in unam ecclesiam condonantur.

QUAEST. Quid est quod Noe per aquam et lignum liberatur?

RESP. Lignum quippe et aqua crucem significat et baptismum. Sicut enim ille cum suis per aquam et lignum salvatur, sic familia Christi per baptismum et crucis passionem sanatur.

QUAEST. Quid est quod Noe de lignis non putrescentibus arcam instruxit?

RESP. Arca enim ita ecclesiam significat, quae natat in fluctibus mundi hujus. Ligna vero inputribilia, unde arca constructa est, omnes sancti intelliguntur in sempiternum victuri. De lignis enim inputribilibus arca constructa est, quia ecclesia Dei sanctis omnibus confirmata est. Quadratura vero lignorum ipsorum significat stabilem vitam sanctorum.

QUAEST. Quid est quod ligna arcae intrinsecus et extrinsecus bitumine glutinantur?

RESP. Bitumen quippe est violentissimum ac ferventissimum gluten,

significans dilectionis ardorem in sanctos per quod vim magnae fortitudinis ad tenendam societatem spiritalem omnia tolerant.

QUAEST. Quid est quod arca trecentis cubitis longa est?

RESP. In his trecentis cubitis signum crucis Christi ostenditur. Trecentorum etenim numerus Tau littera continetur, cujus species crucis demonstrat signum, per quod socii Christi passionis effecti quasi super aquam diluvii, ita per baptismum longitudinem adipiscimur vitae aeternae.

QUAEST. Quid est quod latitudo ipsius arcae quinquaginta cubitis expanditur?

RESP. Latitudo arcae significat caritatem spiritalem, quae diffusa est in cordibus nostris per eundem spiritum sanctum, qui datus est nobis. Quinquaginta ergo cubitis latitudo arcae expanditur, quia quinquagesimo die post resurrectionem suam Christus spiritum sanctum misit, qui corda credentium dilatavit.

QUAEST. Quid est quod altitudo ipsius arcae triginta cubitis surgit?

RESP. Altitudo arcae Christus est, altitudo ecclesiae sanctae qui triginta annorum aetatem gerens doctrinam evangelicam consecravit.

QUAEST. Quid est quod eadem arca collecta in unum cubitum desuper consumatur?

RESP. In uno cubito consumatur arca, quia in unitate fidei clarescet ecclesia.

QUAEST. Quid est quod aditus introeundi in eandem arcam in latere sit?

RESP. Quia nemo intrat in ecclesiam nisi per sacramentum remissionis peccatorum quod de Christi latere aperto manavit.

QUAEST. Quid est quod inferiora arcae bicamerata et tricamerata construuntur?

RESP. Quia ex omnibus gentibus vel bipartitam multitudinem congregat ecclesia propter circumcisionem et praepitium vel tripartitam propter tres filios Noe, quorum progenie repletus est orbis. Quid est: *et cuncta animalium genera includuntur in arca?* nisi quia ex omnibus gentibus et nationibus congregatio fit in ecclesia.

QUAEST. Quid est quod septena sunt munda et bina immunda?

RESP. Septena sunt munda, quia boni et fideles servant unitatem septiformis spiritus in vinculo pacis. Bina sunt autem immunda, quia mali in binario numero ad scismata faciles et quodammodo divisibiles ostenduntur.

QUAEST. Quid est quod ipse Noe cum suis octavus numeratur, qui in arca salvantur?

RESP. Noe ut diximus Christi, arca vero ecclesiae typum portavit; cum suis enim Noe numeratur octavus quia in Christo spes resurrectionis nostrae apparuit, quia octavo die i. e. post sabbati septimum primo a mortuis resurrexit. Qui dies a passione tertius, numero autem dierum qui per omne tempus evolvuntur, et primus est et octavus.

QUAEST. Quid est autem quod per septem dies ex quo ingressus est Noe in arcam factum est diluvium?

RESP. Quia in spem futurae quietis, quae septimo die significata est, baptizamur.

QUAEST. Quid est quod praeter arcam omnis caro consumitur?

RESP. Quia praeter ecclesiae societatem nemo salvatur.

QUAEST. Quid est quod quadraginta diebus et quadraginta noctibus pluit?

RESP. Quia omnis reatus peccatorum qui in decem praeceptis legis admittitur per universum orbem terrarum qui quatuor partibus continetur sacramento baptismi coelestibus abluitur.

QUAEST. Quid est quod septimo mense arca requievisse monstratur?

RESP. Per hoc etenim ad illam septenariam requiem significatio recurrit, in qua perfecti requiescunt in vitam perpetuae immortalitatis.

QUAEST. Quid est quod quindecim cubitis excrevit aqua excedens altitudinem montium?

RESP. Octo itaque et septem quindecim faciunt. Sed octo significant resurrectionem, septem quietem. Per hoc igitur sacramentum resurrectionis et quietis transcendit sancta ecclesia omnem sapientiam superbiorum. Hinc sunt in templo quindecim gradus, hinc et in psalmo quindecim cantica graduum.

QUAEST. Quid est quod demissus corvus de arca Noe est reversus?

RESP. In hoc loco corvus significat homines immunditiae cupiditatis teterrimos et ob hoc ad ea quae foris ecclesia sunt in hoc mundo nimium intentos.

QUAEST. Quid est quod columba emissa, non inventa requie, ad arcam revertitur?

RESP. Hic ostenditur per novum testamentum requiem sanctis in hoc mundo non esse promissam.

QUAEST. Quid est quod post alios septem dies dimissa non est reversa?

RESP. Per hoc significat in fine seculi quando erit sanctorum requies quod jam nullis mysteriis corporalibus egeamus.

QUAEST. Quid est quod sexcentesimo et uno anno vitae Noe i. e. peractis sexcentis annis aperitur arcae tectum?

RESP. Quia finita sexta aetate seculi revelabitur absconditum sacramentum atque promissum.

QUAEST. Quid est quod de arca conjuncti exeunt, qui disjuncti intraverant?

RESP. Quod in ingressione seorsum viri et seorsum feminae memoratae sunt, postmodum autem exeunt Noe et uxor ejus, filii ejus et uxores filiorum ejus h. e. cuncti masculi et feminae: egressio ex arca finem significat seculi quando in resurrectione justorum omnimoda et perfecta pace spiritui corpus adhaerebit nulla mortalitatis indigentia vel concupiscentia resistente.

QUAEST. Quid est quod post diluvium de vinea quam plantavit Noe inebriatus est et nudatur in tabernaculo suo?

RESP. In hoc loco cui non appareat per Noe Christi esse figuram, qui inebriatus est, dum passus est; nudatus est cum crucifixus est; in domo sua i. e. in gente sua et in domesticis sanguinis sui, itaque Judaeis. Tunc enim nudata est mortalitas carnis ejus. Quam nuditatem i. e. passionem Christi videns Cham derisit. Et Judaei Christi mortem videntes subsanaverunt. Sem vero et Jafeth tanquam duo populi ex cir-

cumcisione praeputioque credentes cognita nuditate patris, qua significabatur passio salvatoris, sumentes vestimentum, posuerunt super dorsa sua et intrantes aversi operuerunt nuditatem patris nec viderunt quod verendo texerant. Sicuti et nos quoddammodo passionem Christi velamento tegimus i. e. sacramento honoramus ejusque mysterii rationem revelantes Judaeorum detractionem operimus. Vestimentum enim significat sacramentum, dorsa vero memoriam praeteritorum quia passionem Christi jam transactam celebrat ecclesia non adhuc expectat futuram. Medius autem frater Cham est impius populus Judaeorum. Et ideo medius quia nec primatum apostolorum tenuit nec ultimus in gentibus credidit. Vidit nuditatem patris quia consensit in necem Domini salvatoris. Ideoque fit servus fratrum suorum sicut est hodie gens ipsa Judaeorum quasi quaedam scriniaria Christianorum. Bajulant illi legem et prophetas, et ut testimonium assertionis ecclesiae, ut nos honoremus per sacramentum quod nuntiant illi per litteram.

QUAEST. Quid significatum est per benedictionem illam in duobus fratribus, majore ac minore collatam, qui nuditatem patris operuerunt cum eis dictum est: *benedictus, inquit, Dominus Deus, Sem sit cum servis ejus, dilatet Deus Jafeth, et habitet in tabernaculis Sem?*

RESP. Sem, major natu, ipse est ex quo patres et prophetae et apostoli generati sunt. Jafeth autem gentium est pater, qui etiam latitudo interpretatur quia cum ingenti multitudine dilatatus est populus ex gentibus qui cum eisdem apostolus erat habitaturus. Sicut et nunc videmus in tabernaculo Sem transire habitationem Jafeth h. e. in domo legis et prophetarum ecclesiam; ecce istum dilatatum!

QUAEST. Quid est quod peccante Cham posteritas ejus dampnatur?

RESP. Quia plebs Judaea quae Dominum crucifixit etiam in filiis poenam damnationis suae transmisit dicendo: *sanguis hujus super nos et super filios nostros*. Sed et reprobi quidem hinc delinunt, et in posterum i. e. in futurum sententiam damnationis excipiunt.

QUAEST. Quantae gentes exortae sunt de tribus filiis Noe?

RESP. Septuaginta duae i. e. de Jafeth quindecim, de Cham triginta, de Sem viginti septem.

QUAEST. Quid est quod primus post diluvium inter omnes Nebrot, filius Cus, nova imperii cupiditate arrepta tyrannide aedificandae turris confusionis extitit auctor?

RESP. Nebrot pro eo quod ultra naturam suam coeli alta penetrare contendit diabolo comparatur, qui cogitatione cordis intumescens super sidera coeli exultare se voluit, unde confusus interiit.

QUAEST. Quid est quod idem Nebrot venator esse scribitur?

RESP. Quia diabolus animarum terrenarum deceptor capiens homines ad mortem. Cujus figuram habuit turris ipsa confusionis. Turris idem superbia istius mundi est vel impia dogmata haereticorum quae a Christo disperguntur absque illa sola ecclesia, quae praeostensa est per domum illam Eber, ubi propria remansit loquela, sicut et in sola ecclesia, quae est domus Christi, unitas fidei sine scismate perseverat.

QUAEST. Quid intelligitur per hoc quod Dominus loquitur ad Abraham dicens: *Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui?*

RESP. Quis autem alius exiit in Abraham de terra sua et de cognatione sua ut apud externos locupletaretur et esset in gentem magnam nisi Christus, qui relicta terra et cognatione Judaeorum praepollet nunc ut videmus in populis gentium. Sed et nobis ad exemplum Christi exendum est de terra nostra i. e. de facultatibus mundi hujus opibusque terrenis et de cognatione nostra i. e. de conversatione et moribus vitiosisque prioribus. Sive de domo patris nostri i. e. de omni memoria mundi ut ei renuntiantes possimus in populo Dei dilatari et in terram coelestis repromissionis, cum tempus advenerit introduci.

QUAEST. Quid mysteriorum gestamen in hoc quod revertenti Abraham a caede hostium, cum occurrisset ei Melchisedech rex Salem, sacerdos Dei, benedixit Abraham offerens panem et vinum in sacrificium Deo?

RESP. Hunc Melchisedech apostolus Paulus sine patre et sine matre commemorans figuraliter refert ad Christum. Non quod absque patre et matre fuerit Melchisedech, cum ipse Christus secundum utramque naturam et patrem habuerit et matrem, sed quod subito introducantur in Genesi occurrisset Abraham et nec ante nec postea ejus nomen feratur adscriptum. Et ideo Melchisedech figuraliter refertur ad Christum pro eo quod est solus Christus de patre sine matre genitus per divinitatem, atque de matre sine patre editus per humanitatem. Ipseque est sacerdos aeternus, ad quem Deus: *tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*. Utique propter mysterium sacramenti, quod Christianis celebrari praecepit, ut non secundum Aaron pecudum victimas sed oblationem panis ac vini i. e. corporis et sanguinis ejus sacramentum in sacrificio offeramus. Nomen verum ipsud Melchisedech rex pacis vel rex justitiae interpretatur. Quod bene refertur ad Christum. Ipse est enim rex pacis quia per ipsum reconciliamur Deo. Ipse rex justitiae quia ipse veniet ut discernat sanctos ab impiis. Idem quoque unus est sacerdos et rex qui redemptionem omnium hostiam Deo patri se ipsum obtulit et ut verus rex in praesenti seculo populum suum regit et in futuro judicabit.

QUAEST. Quid est quod Abraham, dum esset de posteritate sollicitus, fit illi duplex figura promissi seminis ejus i. e. in similitudine arenae maris vel multitudine stellarum coeli futura?

RESP. Per hoc quod ejiciens Deus Abraham foris ostendit ei stellas coeli dicens: *Sic faciam semen tuum*, insinuavit Christianam gentem, cujus ipse pater in fide subsistit, velut stellas coeli resurrectionis lumine coruscare. Per hoc vero quod monstravit illi arenam maris et dixit: *sic erit in multitudine semen tuum*, aperte innuit quod esset quidem copiosa gens Judaeorum sed sterilis et infecunda sicut arena maneret.

QUAEST. Quid significatum est et per hoc quod post factam ad Abraham duplicem promissionem futuri seminis ejus locutus est ei Dominus dicens: *Sume, inquit, mihi vaccam triennem et capram trinam et arietem annorum trium, turturem quoque et columbam?*

RESP. Per vaccam scilicet significata est plebs posita sub jugo legis. Per capram eadem plebs peccatrix futura. Per arietem eadem plebs etiam regnatura. Quae animalia ideo trima dicuntur quia populus ipse Hebraeorum quem haec animalia figurarunt tanquam tertiam aetatem gerens adolevit, dum ab Adam usque ad Noe, deinde ad Abraham, et inde

usque ad David multiplicato ordine crescere coepit. Per turturem vero et columbam spirituales in eo populi figurati sunt.

QUAEST. Quid est quod tria illa animalia i. e. vacca capra et aries dividuntur?

RESP. Quia carnales et in populo veteri et nunc inter se proni ad scismata dividuntur.

QUAEST. Quid est quod turtur et columba non dividuntur?

RESP. Quia spirituales indivisi sunt nec scisma cogitant nec ab haereticis seducuntur.

QUAEST. Quid significant volucres quae descendebant super corpora quae divisa erant?

RESP. Per volucres illas spiritus immundi significantur pastum suum de carnalium divisione quaerentes.

QUAEST. Quid est quod confidens illis Abraham abiciebat eas?

RESP. Quia multos carnales merita sanctorum in finem mundi ab angustiis liberabuntur.

QUAEST. Quid est quod circa solis occasum pavor irruit in Abraham et horror magnus et tenebrosus?

RESP. Nisi quia circa hujus seculi finem magnam perturbationem ab Antichristo in sanctis ostendebat futuram.

QUAEST. Quid est quod tunc cum occubisset sol facta est caligo tenebrosa et apparuit clibanus ardens inter media illa quae divisa erant?

RESP. Per hoc significatus est post finem seculi futurus dies iudicii quando per ignem segregabuntur sanctorum populi et iniquorum.

QUAEST. Quid est quod post haec praecipitur ad Abraham in mysterio circumcisionis ut infans octo dierum circumcideretur?

RESP. Quid aliud circumcisio significet nisi renovatam naturam post baptismum post expoliationem veteris hominis. Et quis est octavus dies nisi Christus qui hebdomade completa h. e. post sabbatum resurrexit. Nam quomodo valeat apud nos aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides vel pro maioribus virtus sacrificii vel pro his qui ex Abrahae stirpe prodierunt mysterium circumcisionis.

QUAEST. Quid est quod non solum filios sed et servos vernulos et emticios circumcidi praecipitur?

RESP. Quia ad omnes gentes gratia redemptionis pertinere monstratur.

QUAEST. Quid est quod dicit: *masculus qui non fuerit circumcisis octava die peribit anima illa quia pactum meum irritum fecit?*

RESP. Quia nisi quem regeneratio baptismi liberet, peribit anima ejus de populo suo i. e. de sanctorum consortio, quia pactum Dei irritum fecit, quando in Adam originaliter etiam ipse peccavit.

QUAEST. Quid significatum est per hoc quod tres viri venerunt ad Abraham in convalle Manbre sedenti eo ad ostium tabernaculi, quos ille quasi unum adoravit, quorum et pedes lotos lavit, et ille vitulum in lacte et butiro coctum et Sarra ex tribus satis subcinericios panes paravit?

RESP. Notandum quippe est quod Abraham triplicem habeat figuram in semetipso. Prima salvatoris quando relictis cognatione sua venit in hunc mundum. Altera patris quando immolavit unicum filium. Tertiam vero quae hoc loco est figuram gestavit sanctorum qui adventum Do-

mini cum gaudio susceperunt. Tabernaculum autem illud Abrahae typum habuit Jerusalem, ubi pro tempore prophetae et apostoli habitaverunt, ubi et primum Dominus adveniens a credentibus exceptus, ab incredulis in ligno suspensus est. In tribus autem viris, qui venerunt ad illum, Domini Jesu Christi praenuntiabatur adventus, cum quo duo angeli comitabantur, quos doctores Moysen et Elian accipiunt: unum praelegis latorem qui per eandem legem adventum Domini indicavit; alium qui in finem mundi venturus est, denuntiaturus secundum adventum Christi atque ejus evangelium Judaeis praedicaturus. Unde et in monte, cum Dominus fuisset transfiguratus, hi duo Moyses et Elias cum eo apostolis visi sunt. Quod vero Abraham tres videns unum adoravit, Dominum scilicet salvatorem, ostendens cujus adventum est praestolatus juxta quod in evangelio Dominus ait: *Abraham quaesivit videre diem meum et vidit et gavisus est.* Tunc enim futuri aspexit mysterium sacramenti. Quod pedes eorum lavit in extremo mundi lavacri purificationem demonstravit futuram. Siquidem et convivium praeparat, vitulum scilicet saginatum. Iste autem vitulus tener saginatus Domini Jesu Christi est corpus, qui propter salutem credentium ad arborem crucis est immolatus. Hic est verum vitulus dominici corporis, qui in evangelio pro peccatore occiditur filio. Sed et butirum et lac cum carne vituli adposuit. Lac quippe praelegis figuram ostendit. Unde dicit apostolus: *Lac vobis potum dedi non escam.* Butirum autem uberrimum et pinguisimum evangeliorum est testimonium. Sed proinde vitulum cum lacte et butiro Abraham edendum adposuit quia corpus Domini quod est praefiguratum in vitulo nec sine lacte legis nec sine uberrimo evangelii testimonio esse potest. Tria autem sunt sata, unde Sarra panes subcinericios fecit, trium filiorum Noe imaginem indicaverunt ex quibus omne genus hominum natum est, qui divinae trinitati credentes ex aqua baptismatis per ecclesiam cujus imago Sarra erat conspargendi essent et in uno pane Christi corporis redigendi. Azimi autem panes eo quod sine fermento malitiae et sine fervore perversae doctrinae oportet esse credentium unitatem. Subcinericii vero ut per poenitentiam praeteritorum delictorum spiritus sancti vapore decocti velut esca beneplacita Deo acceptabiles efficiuntur. Sub arbore autem eos sedisse passionis dominicae erat signum cujus ipsi sunt praedicatores. Quod autem promittit Deus Sarrae sterili filium dicens: *circa tempus hoc veniam, non de temporibus significat sed de qualitate adventus sui quando per filium repromissum fidelis erat populus nasciturus.* Risus autem Sarrae duplicem intelligentiam habet; sive quod risus esset futurus incredulis Christus sive quod omnes inimicos in judicio esset risurus. Unde et ipse qui natus est de Sarra risus nomen accepit. Isaac enim ex hebraea lingua in latinum sermonem risus interpretatur.

QUAEST. Quid significat quod a quinquaginta justis usque ad decem si invenirentur in Sodomis dixerit Dominus urbem esse salvandam?

RESP. Numerum esse quinquagenarium propter poenitentiae signum posuit si forte converterentur et salvarentur. Quinquagenarius enim numerus semper ad poenitentiam refertur. Unde et David quinquagesimum psalmum scripsit poenitentiae. Usque ad decem autem justos non perire Sodomam dixit, quasi in quolibet per decem praeceptorum custodiam

Christi nomen inveniatur iste non perit. Denarii enim numeri figura crucem Christi demonstrat.

QUAEST. Quid est quod quinque fuerunt civitates quae imbris igneis conflatae sunt?

RESP. Nisi hoc quod qui quinque sensus corporis sui libidinose tractaverint in illo futuro incendio concrematuri sunt. Cujus similitudinem expressit Loth qui ex illo Sodomorum incendio meruit salvus evadere. Loth typum tenuit sanctorum, qui in fine seculi ab impiorum incendio liberabuntur. Cujus vero uxor ejus quae retro respexit imaginem praetulit nisi eorum qui per gratiam Dei vocati retro respiciunt postmodum.

QUAEST. Quid est quod ipse Loth ardentem Sodomam fugiens Segor venit et nequaquam ad montana conscendit?

RESP. Quid per ardentem Sodomam nisi illicita carnis incendia et mundi desideria ostenduntur; et quid per altitudinem montium nisi speculationes perfectorum. Quid vero per Segor nisi actualis vita monstratur. Ardentem ergo Sodomam fugere est illicita carnis incendia et ipsa mundi desideria declinare. In Segor vero commemorare est in actione juste consistere, quia sunt multi qui mundi quidem illecebras fugiunt, sed prius in actione mundissimae vitae consistunt, quasi Loth in Segor ut possint post in montana conscendere i. e. contemplationem perfectorum speculari.

QUAEST. Quid est quod ipsa civitas Segor juxta Sodomam esse scribitur?

RESP. Quia actualis vita nec a mundi curis ex toto discreta est, nec iterum a gaudio aeternae salutis aliena.

QUAEST. Quid est quod Abraham prius de ancilla habuit filium, et secundo de libera.

RESP. Hoc apostolus duo esse testamenta significat. Agar quippe secundum quod ait Apostolus in servitute genuit carnalem populum Judaeorum. Sarra vero libera minorem genuit populum qui in libertate vocatus est, qua libertate liberavit eum Christus.

QUAEST. Quid est quod filius ancillae expelli jubetur et non manere in domo liberae?

RESP. Hoc igitur mysterio figurabatur priorem populum in servitute peccatorum generatum in domo ecclesiae non manere in aeternum, neque esse heredem vel consortem cultoribus Christi, nec cum filio nobili i. e. fideli populo regnum coelestis gloriae possessurum.

QUAEST. Quid mysteriorum gestum est per hoc quod cum ejeceret Abraham Agar de domo liberae datis panibus et utrem aquae imposuit super humeros ejus infantem et dimisit eam. Aut quid per hoc quod cum erraret ipsum in solitudine morientem filium siti projecit sub arbore, sicque ei apparens angelus Domini demonstravit illi fontem aquae et potavit illa filium suum?

RESP. Exiens Agar de domo in humeros suos infantem imposuit, quia errans ab intellectu legis peccator et insipiens populus Judaeorum cervicem matris suae synagogae gravavit dum dicit: *sanguis hujus super nos et super filios nostros*. Per panes autem hoc significatum est quod vetus sacerdotium panes propositionis sicut scriptum est portaret securus

et vesceret. Uter vero aquae qui defecit judaica purificatio significabatur defectura; sive doctrina eorum carnalis in pelle mortua clusa i. e. in carne veteris hominis praevaricationis sententia damnata quae nec refrigerium praestat nec satiat sitem, sed aestu tepido vomitum facit. Quod vero Agar erat in solitudine cum filio suo significat synagogam cum populo suo expulsam de terra sua sine sacerdotio et sacrificio in toto orbe terrarum et viam, quae est Christus, penitus ignorare. Quod filius siti deperit ostendit populum Judaeorum nullam habere spiritalem purificationem. Quod vero filium morientem siti sub arborem projicit significat quosdam ex eodem populo ad umbram ligni crucis refugium petituros. Quod explorat puer plorans et exaudivit eum Deus et sic demonstrante angelo aspicit fontem, hoc pro illis dicit qui ex Judaeis ad Christum convertuntur ac flentes retroactos errores exaudiuntur reseratisque oculis cordis vident fontem aquae vivae. *Qui sitit veniat et bibat.* Angelus autem ipse similitudo est Eliae, per quem populus iste est crediturus. Sicut per Malachiam dicitur: *ecce ego mittam vobis Eliam, qui convertat corda patrum in filios.*

QUAEST. Quid mysteriorum praefiguratum est per hoc quod Abraham jubetur unicum filium immolare?

RESP. Quis in Abraham per illam immolationem figurabatur nisi pater excelsus. Quis in Isaac nisi Christus. Nam sicut Abraham unicum et dilectum filium Deo victimam obtulit, ita Deus pater unigenitum filium suum pro nobis omnibus tradidit. Et sicut Isaac ipse sibi ligna portavit quibus erat imponendus, ita et Christus gestavit in humeris lignum crucis suae in quo erat crucifigendus. Duo autem servi illius dimissi et non perducti ad locum sacrificii Judaeos significabant quod ideo non pervenerunt ad locum sacrificii quia cum serviliter viverent et carnaliter superent nec humilitatem nec passionem Christi intellexerunt. Et ideo hi servi dicuntur duo quia idem populus in duas partes dividendus erat, quod factum est Salomone peccante in manu Roboam et Jeroboam. De quibus duobus servis saepe per prophetas dicitur, *adversatrix Israel et praevaricatrix Juda.* Asinus autem ille insensata est stultitia Judaeorum qui portabat omnia sacramenta et quod ferebat nesciebat. Quod dicitur eis: *expectate hic cum asino; postquam autem adoraverimus revertemur ad vos*, quia, cum plenitudo gentium subintraverit, tunc omnis Israel salvus fiet. Triduum autem illud quod venerunt ad locum immolationis tres mundi aetates significat. Unam ante legem i. e. ab Adam usque ad Moysen; aliam sub lege i. e. a Moyse usque ad Johannem. Tertiam sub gratia i. e. quae nunc est ab ipso Domini adventu per evangelium gratiae manifesta. In qua tertia aetate quasi post triduum sacramentum sacrificium Christi completum est. Deinde Isaac ligatis pedibus altari superponitur, et Christus in ligno suspensus cruci addigitur. Illud vero quod figuratum est in Isaac et transectum est ad arietem cur ita nisi quia Christus ipse filius ipse agnus, filius quia natus aries quia immolatus. Vepres enim ubi haerebat aries cornua crucis sunt; cornibus ergo haerentem arietem crucifixum Dominum significat sive antequam immolaretur spinis a Judaeis coronatum. Vepres enim spinae sunt.

QUAEST. Quid est quod peracto sacrificio Deus ad Abraham: *in semine tuo benedicentur omnes gentes?*

RESP. Quia completo sacrificio passionis et resurrectionis Christi omnis justificatus est mundus.

QUAEST. Quid est quod moriens Sarra in sepulcro duplici sepelitur?

RESP. In hoc loco Sarra anima fidelis ostenditur quae sic secundo moritur ut Deo vivat. Gemina vitae requiem suscipitur i. e. in actione boni operis et contemplatione divinitatis.

QUAEST. Quid est mysteriorum actum per hoc quod Abraham servo suo seniori qui super omnia ejus erat dicit, postulans jurejurando fidem, *pone, inquit, manum tuam sub femore meo, ut adjurem te per Dominum coeli et terrae, ut non accipias uxorem filio meo Isaac de filiabus Cananeorum sed ad terram et cognationem meam proficiscaris, inde accipies uxorem filio meo?*

RESP. Quid vult Deus coeli ad femur Abrahae nisi ut agnoscatur sacramentum? Per femur enim genus intelligitur; ergo quae fuit illa conjuratio nisi quia significabatur de genere Abrahae venturum in carne Dominum coeli. Servus autem ille senior legislatorem Moysen aperte monstravit per quem sponsa Christi ecclesia disponebatur. Qui ideo senior nuncupatur quia de eo Dominus dicit: *Non est fidelis in domo mea sicut servus meus Moyses.* Abiit itaque puer in Mesopotamiam in civitatem Nahor, stetitque circa fontem, quaerens sponsam filio Domini sui. Sic et lex venit ad fontem baptismatis et ibi occurrit ei virgo Rebecca i. e. ecclesia. Viditque Rebecca puerum i. e. ecclesia sermonem propheticum. Deposuitque de humero hydriam utique seculi elatam facundiam, inclinans semetipsam ad humilem sermonem propheticum. Suscepitque fidei ornamenta i. e. scripturarum aureos sensus ecclesiarum argenti eloquium. Sicque Rebecca secuta puerum venit ad Isaac, ecclesia secuta verbum propheticum venit ad Christum. Quod tamen Rebecca cameli dorso deducitur, quia ad Christum ex gentilitate ecclesia properans in tortis vitiosisque vitae veteris conversationibus invenitur. Quo viso Isaac descendit de camelo, quia cognito Domino vitia sua gentilitas deseruit. Quod verecundata pallio velatur, quia ecclesia coram Christo de erroribus primis confunditur. Quod vero inclinato jam die egressus est in agro Isaac, ostenditur quod extremo hujus mundi tempore velut in diei fine ad demonstrandum se ecclesiae Christus quasi in agrum ita in hunc mundum exivit. Quod vero invenit eum Rebecca ad puteum visionis i. e. quod ecclesia Christum ad lavacrum aquae reperit ubi purificetur. Sicque dein hoc copulatur sponso suo Christo adhaerens illi gloria aeternitate et regno.

QUAEST. Quid est quod Isaac postquam benedixit eum Dominus et magnificatus est valde secundum quod scriptum est: *adgressus est opus et coepit fodere puteos quos foderant pueri patris ejus Abraham, invidentesque ei Palestini obstruxerunt eos, implentes humo, sicque postea Isaac, imo pueri ejus, fodiunt novum puteum, et invenerunt aquam vivam?*

RESP. Quis iste Isaac nisi salvator noster exprimitur, qui dum descendisset in istum torrentem Gerara primo omnium illos puteos fodere vult, quos foderant pueri patris sui i. e. Moyses, David, Salomon et Prophetæ. Isti foderant puteos legis et prophetarum veteris testamenti quos tamen terrena et sordida repleverat intelligentia Judaeorum.

Hos cum vellet purgare Isaac i. e. Christus, ut ostenderet quia quaecunque lex et prophetae dixerunt de ipso dixerunt, rixati sunt cum eo Philistim i. e. populus a regno Dei alienus. Disceditque ab eis Isaac quia non vult esse Christus cum ipsis qui in scripturarum puteis aquam nolunt habere sed terram. Et dicit eis: *ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. Fodit ergo die hinc Isaac novum puteum, immo pueri Isaac fodiunt. Pueri inquit Isaac i. e. Christi, Matthaeus, Marcus, Lucas et Johannes, Petrus et Jacobus, Judas et Apostolus Paulus qui omnes novi testamenti puteos fodiunt, et invenerunt aquam vivam, quae sit fons aquae salientis in vitam aeternam. Post haec fodit Isaac puteum tertium ejus loci nomen appellavit latitudo dicens: *nunc dilatavit nos Dominus et fecit crescere super terram*, sicut vere dilatatus est Christus et implevit omnem terram scientia trinitatis; exeuntes pueri ejus per universum orbem terrae et collocantes ubique latitudinem ecclesiae sanctae foderunt puteos, et aquam omnes ostenderunt, baptizantes omnes gentes in nomine patris et filii et spiritus sancti.

QUAEST. Quid est quod Isaac dum rogaret Dominum, ut pareret uxor ejus, quae sterilis erat, et dum interrogasset, et hoc Rebecca accepit responsum a Deo: *duae gentes sunt in utero tuo et duo populi de ventre tuo dividuntur. Populusque populum superabit et major serviet minori?*

RESP. In hoc mysterio aperte pater qualiter minor populus ecclesiae synagogae populum superavit et quomodo plebs Judeorum tempore major servit minori populo Christianorum. Sed intra nosmetipsos duae gentes et duo populi sunt, vitiorum scilicet atque virtutum. Sed virtutum populus minor est et vitiorum major quia plura sunt vitia quam virtutes. Sed per gratiam Dei populus populum superat et major minori servit i. e. caro spiritui et vitia virtutibus cedunt. Quid est quod nascentibus duobus filiis minor calcaneum tenet majoris; nisi quia mystice majorem populum Judaeorum superat minor populus gentium. Quid est quod Esau major natu primogenita sua propter escam vendidit fratri minori natu, nisi quod propter praesentis seculi lucra major populus Judaeorum non solum primatus sui honorem amisit, verum etiam et regni coelestis praemium purpuratum adipisci non meruit.

QUAEST. Quid mysteriorum ostenditur per hoc quod Isaac dat benedictionem uberrimam in Jacob?

RESP. In hoc loco Isaac portat imaginem Dei patris, Rebecca spiritus sancti, Esau populi prioris et diaboli, Jacob ecclesiae et Christi. Senuisse Isaac consummationem orbis ostendit. Oculos illius caligasse, fidem periisse de mundo. Quod ad percipiendam benedictionem filius major vocatur acceptio legis est Judaeorum. Quod escas ejus atque capturam diligit pater, homines sunt ab errore salvati quos per doctrinam justus quisque venatur. Quod Rebecca loquitur ad Jacob ut vadat ad gregem et accipiat inde duos haedos praedicat carneum salvatoris adventum in quo liberaret eos qui peccatis tenebantur obnoxii. Nam haedi pro peccatoribus in omnibus scripturis accipiuntur. Quod autem duos jubetur afferre duorum populorum significatur adsumptio. Quod teneros et bonos docibiles et innocentes animas. Stola Esau fides et scripturae sunt Judaeorum quae illis primo datae sunt et postmodum gentilium indutus

est populus. Pelles autem quae Jacob brachiis circumdatae sunt peccata utriusque plebis sunt, quae Christus in extensione manuum cruci secum pariter adfixit, quia non sua in corpore suo sed aliena peccata portavit. Quod Isaac quaerit ad Jacob cur tam cito venisset quia admiratus velocem ecclesiae credentium fidem. Quod cibi delectabiles offeruntur, quia hostia placens Deo salus est peccatorum. Jam vero benedictio ipsa prolata ab Jacob completa videtur in Christo, cum dicitur: *ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*. Ager enim mundus intelligitur qui odore nominis Christi repletus clarescit. Cujus erat benedictio de rore coeli h. e. de verborum pluvia divinatorum. Et de pinguetudine terrae h. e. congregatione fidelium populorum. Multitudo igitur frumenti et vini sacramentum est corporis et sanguinis Christi cui serviunt populi ex gentibus ad eam conversi. Ipsum adorant tribus in populi ex circumcisione credentes. Ipse est Dominus fratrum suorum quia dominatur populo Iudaeorum. Ipsum adorant filii matris ejus et ipse secundum carnem ex ea natus est.

QUAEST. Quid est quod post illatam benedictionem in Jacob cum venisset Esau repente expavit Isaac et alium se pro alio benedixisse cognovit, nec tamen indignatur revelato sibi sacramento cum loqueretur ad eum Esau, sed confirmavit benedictionem in Jacob dicens: *Et benedixi eum et benedictus est?*

RESP. Benedictio quae data est in Jacob, mysterium fidei est, quod per Christum claret in populo Christiano. Sed neque majorem filium apparet fuisse despectum, quia cum intraverit plenitudo gentium tunc omnis Israel salvus fiet. Cujus tamen Esau i. e. majori populo Iudaeorum benedictionis prophetia haec est: *in pinguedine terrae et in rore coeli erit benedictio tua. In pinguedine utique terrae i. e. in fecunditate rerum et potentia regni quae in illo populo fuit. Et in rore coeli i. e. in eloquiis Dei. Ipsi enim credita sunt eloquia Dei et legis testamenta. Vives inquit gladio i. e. quia populus ille sanguini deditus necem in Christo vel prophetis exercuit. Et fratri tuo servies*, minori scilicet populo christiano. Tempusque venit cum excutias et solvas jugum de cervicibus tuis i. e. dum per agnitionem fidei ad gratiam Christi fueris conversus. Tunc depones onus legis; etiam non servus populi minoris sed per fidem frater vocaberis.

QUAEST. Quid est quod Esau post benedictionem patris invidiae stimulis concitatus necem fratri suo Jacob fraudulenter excogitavit?

RESP. Hoc Judaicus populus in Christo praemeditatus est.

QUAEST. Quid est quod Jacob dolos fugiens fratris relicta domo patria et parentibus vadit in regionem longinquam ut acciperet sibi uxorem?

RESP. Non aliter et Christus relictis parentibus secundum carnem i. e. populum Israel et patriam et Hierosolimam et omnes regiones Judae abiit in gentibus accipiens sibi inde ecclesiam.

QUAEST. Quid figurarum gestum est per scalam quam in visione vidit Jacob dum pergens Mesopotamiam dormiret in Bethleem.

RESP. In hoc loco somnus Jacob mors sive passio Christi est. Lapis ad caput ejus qui est unctus ipse Christus significatur; caput enim viri Christus est. Quis enim nesciat Christum ab unctione appellari. Dixitque: *vere hic est Domus Dei*, quia ibi natus est Christus in Beth-

leem. Porta quoque coeli quia ibi in terra descendit, inde iterum ad coelum conscendit. Sicut enim somnus Jacob mors sive passio Christi est, ita et erectio lapidis resurrectio Christi est. Porro scala ipse Christus est qui dixit: *ego sum via*. Per ipsam ascendebant angeli et descendebant i. e. evangelistae et praedicatores Christi. Ascendentes utique cum intelligentes ejus divinitatem inveniunt eum in principio verbum Deum apud Deum per quem facta sunt omnia. Descendentes autem ut eum invenient natum ex muliere factum sub lege ut eos qui sub lege erant redimeret.

QUAEST. Quid praeostensum est quod post hanc jussionem Jacob iter faciens vidit oves et pastores et puteum aquae vivae et lapidem magnum superpositum puteo?

RESP. Figuraliter per oves justorum populi significantur. Pastores vero prophetae intelliguntur. Lapis autem superpositus puteo figuram Domini praeferbat. Puteus autem gratiam spiritus sancti praefigurabat per praedicationem Christi venturum ad ecclesiam ex gentibus quae oblata erat nondum apparente Christi in carne.

QUAEST. Quid rerum figuratum est cur omnes filii Jacob de liberis et de ancillis geniti aequales honore et heredes a patre sunt constituti?

RESP. Quia Christus Jesus omnibus gentibus qui per fidem corpori ejus conciliantur cunctis pari honore et gloria coelestia regni largiendo compensat. Nec est discretio Judaeus an Graecus barbarus an Scythia servus an liber sit, quia per omnia et in omnibus Christus est.

QUAEST. Quid figurarum praetulerunt duae liberae uxores Jacob, videlicet Lia lippis oculis, et Rachel clara aspectu.

RESP. Lia enim major natu synagogae tenuit typum, quia prior Dei genuit populum. Haec quidem legitur oculis gravida, quia lex quae per Moysen data cooperta est atque signata. Rachel autem minor et pulchra prior sterilis et postmodum fecunda similitudo est ecclesiae. Quae ideo junior quia tempore posterior. Pulchra vero quia sancta corpore et spiritu. Oculi ejus decori qui evangelium praespiciere meruerunt. Sed et per Liam activa vita monstratur quia actio laboriosa quidem et gravis est minusque alta considerans, sed in eo quod se erga proximi utilitatem plus exhibet foecundior in operibus quasi in filiis crescit. Per Rachel autem contemplativa vita ostenditur quia per contemplationis otium licet minus operum filii generantur tamen pervenit ad gloriam permansuram. Quid est quod Jacob pro Rachel servivit et supponitur ei Lia major, nisi quia Dominus ut ecclesiam adsumeret prius synagogam sibi conjunxit. Servitur itaque Jacob septem annorum numerum pro duabus uxoribus quod vitae praesentis tempus significat, quod per septem dies evolvitur. In quo Dominus formam servi accepit factus obediens paternae voluntati usque ad mortem, ut sibi synagogae et ecclesiae populum copularet. Jacob pascit oves et Dominus dicit: *ego sum pastor bonus*. Ille mercedis lucro varium sibi pecus abstulit, et Christus diversarum gentium varietatem sibimet congregavit. Ille ad multiplicandas oves tres virgas amputatis corticibus in albiis aquarum apposuit, et Dominus noster in aquam baptismatis nomen patris et filii et spiritus sancti populo fidei proposuit, ut quisquis haec corde pleno perspexerit efficiatur ovis Dei.

QUAEST. Quid sibi hoc figuraliter velit quod cum Jacob ignorante socero cum uxoribus remearet in patriam Laban eum cum furore persequitur?

RESP. Laban quippe qui interpretatur dealbatio in hoc loco inconvenienter diabolus accipitur vel immundus. Qui cum furore Jacob persequitur quia electos quosque qui redemptoris nostri membra sunt persequendo opprimere conatur. Hujus filiam seu mundi sive diaboli Jacob abstulit cum sibi Christus plebes ex circumcisione et praeputio copulavit. Laban ergo veniens apud Jacob idolum non invenit quia ostensis mundi thesauris diabolus in redemptore nostro vestigia concupiscentiae terrenae non repperit. Sed quae Jacob non habuit, ea Rachel sedendo cooperuit. Ut saepe dictum est Rachel ecclesia figuratur. Sedere autem est humilitatem poenitentiae adpetere. Rachel ergo idola sedendo operuit, quia sancta ecclesia Christum sequens vitium terrenae concupiscentiae cooperuit. Nam et nos ipsi idola sedendo premimus si culpam avaritiae poenitendo dampnamus.

QUAEST. Quid figurarum praetulit per hoc quod Jacob cum angelo luctasse scribitur?

RESP. In hoc facto principaliter sacramenti dominici imago praefigurata est. Vir enim ille typum Christi evidentissime gessit, Jacob vero in hoc loco Judaeorum, qui ex ejus stirpe descendit. Cui tamen viro ideo Jacob praevaluit utique valenti ut mysterium figuraret passionis Domini quando soboles Jacob quasi cum infirmo ita cum carne Christi certamen inierunt invalescentes in passione ejus et dicentes: *crucifige, crucifige*. Quod enim Jacob benedictionem ab eodem angelo quem victor superaverat impetravit sacrumque Israel non accepit hujus nominis impositio utique benedictio fuit. Interpretatur autem Israel Videntem Deum quod erit in fine praemium sanctorum omnium. Porro quod tetigit illi angelus latitudinem femoris et claudum reddidit sicque erat unus atque idem Jacob benedictus et claudus, benedictus in eis qui in Christum ex eodem populo crediderunt atque infidelibus claudus. Nam femoris nervum vel latitudo generis intelligitur multitudo.

QUAEST. Quid est quod post haec adjecit idem patriarcha vidisse Deum facie ad faciem?

RESP. Quia idem Deus homo erat futurus, qui cum Jacob populo luctaretur in terram.

QUAEST. Quid sibi velit hoc quod Dina filia Jacob dum egressa esset ut videret mulieres regionis vi opprimitur a Sicem?

RESP. Dina quippe sinagogam vel illam animam significat quam in exterioribus seculi curis repertum Sicem princeps terrae opprimit i. e. diabolus vitio concupiscentiae carnalis corrumpit.

QUAEST. Quid est quod Rachel cum pareret Benjamin vocavit nomen ejus *filius doloris mei*?

RESP. Per Benjamin enim terrestris figurabatur Jerusalem quae in tribu est ejusdem Benjamin, cujus populus gravi dolore afficit matrem effundendo sanguinem prophetarum et intendendo in necem Domini salvatoris.

QUAEST. Quid est quod Ruben concupiscentia libidinis motus in concubinam patris sui praeceps effebuit?

RESP. Ruben quippe primogenitum populum figuravit qui torum concubinae polluit i. e. legem veteris testamenti; ideo in concubina ponitur, quia apostolus Agar quae concubina fuit in veteri testamento posuit typo.

QUAEST. Quid significat futurorum per hoc quod Judas cum Tamar nura sua concubuit cum ascenderet ad tondendas oves gregis sui?

RESP. Juda qui confessio interpretatur aperte Christum significat qui exultans a spiritu dicit: confitebor tibi Domine pater coeli et terrae et cui confitentes flectunt omnia genua coelestium terrestrium et inferorum. Venit igitur Dominus ad tondendas oves h. e. exonerandas sarcinis peccatorum ut essent oves ejus veluti greges detonsarum. Sicque accipit ab eo Tamar in occulto annulum fidei et virgam crucis per quod conceptione sanctae meruit ubertatis.

QUAEST. Quid significant duo gemini in utero Tamar?

RESP. Duo gemini in utero ejus duos populos figuraverunt quorum posterior natus manum prior ex utero misit quia gentium populus ante quidem est prophetas ostensus sed postea revelatus. Cujus ideo obstetrix ligavit dextram coco quia idem populus per sanguinem Christi crucis notatus est signo.

QUAEST. Quid mysteriorum in cunctis actibus praetulit historia quae scribitur de Joseph?

RESP. Joseph qui venditur ab invidentibus fratribus, in Aegypto perductus atque ibidem sublimatus est, Christum Dominum figuravit. Senescenti enim Jacob natus scribitur Joseph quia dum senescente mundo manifestatus Dei filius per Mariae Virginis partum quasi serius advenit, tanquam filius senectutis secundum sacramentum suscepti corporis qui erat ante secula semper apud patrem. Tunica autem polymita quam fecit ei pater varietatem populorum ex omnibus gentibus in corpore Christi congregatam significavit. Somnium vero illud per quod fratrum manipuli adoraverunt manipulum ejus illud est quod in Christo impletum est: *Adorabunt eum omnes reges terrae et omnes gentes servient ei.* Per fidem scilicet fructum bonorum operum offerentes. Ipsum autem adorat sol i. e. excellentia sanctorum; ipsum luna i. e. ecclesiae claritas; ipsum stellae i. e. omnium fidelium numerositas confitetur et laudat. Jacob mittit filium suum ut de fratribus sollicitudinem gereret, et Deus pater misit unigenitum filium suum ut genus humanum peccatis languidum visitaret. Invenit ergo Joseph fratres suos in Dotain quod interpretatur defectio. Qui ideo in grandi defectione erant quia de fratricidio cogitabant. Quum vidissent Joseph fratres sui procul occidere eum cogitaverunt, ut Judaei videntes Christum ut eum crucifigerent unum omnes concilium statuerunt. *Fera inquit pessima Joseph devoravit* i. e. judaica bestia interfecit Christum. Nudaverunt Joseph fratres sui tunica polymita et talari; et Judaei Christum per mortem crucis expoliaverunt tunica corporali. Polymita quidem i. e. decorata omnium diversitate virtutum. Resperserunt tunicam (h)oe di sanguine quia falsis eum testimoniis accusaverunt. Mittitur dehinc Joseph in cisternam et Christus expoliatus carne humana descendit ad infernum. De cisterna quoque levatur Joseph et Smaelitis i. e. gentibus venditur; et Christus postquam de inferno regreditur ab omnibus gentibus fidei commercio comparatur. Joseph per

Judae consilia triginta argenteis distrahitur et Christus totidem argenti numero venundatur. Venundatur itaque Joseph in Aegypto, emitque eum Eunuchus i. e. populus castus in evangelicis disciplinis. Jam vero quod cum eo mulier illa adultera male uti voluisset, ille statim relicto pallio fugiit foras; hoc significatur Joseph quippe qui ut diximus in omnia et per omnes actus suos redemptoris nostri imaginem praetulit. Mulier vero illa adultera sinagogae speciem habuit. Quid vero pallium illud Joseph nisi textum litterae legis expressit. Unde dum mulier illa adultera Joseph male uti voluisset ille relicto pallio fugiit foras, quia dum sinagoga Jesum Christum Dominum nostrum non Deum sed purum hominem esse credidit, quasi adulterino complexu constringere eum voluit. Sed ipse ilico textum litterae ejus oculis relinquit et ad cognoscendam suae divinitatis potentiam conspicuum sequentibus praebuit. Adultera quoque mulier apud se pallium retinuit, quia sinagoga legis litteram non amisit. Joseph vero ab ea nudus exivit, quia redemptor noster illam deserens ad gentium cognitionem in sua divinitate conspicuus venit. Post haec denique missus Joseph in carcerem invenit ibi duos eunuchos de domo regis vinctos duorum populorum credentium vel incredulorum figuram significantes. Qui conclusi sub peccato Adae transgressione obnoxii tenebantur. Qui ideo eunuchi dicuntur quia castam acceperunt regulam disciplinae; *eloquia*, inquit, *Dei casta*. Denique post trinam lucem Domino ab inferis resurgente et legis obscura velut Josephi somnia revelante solutus est a peccatis credentium populus et de inferni carcere liberatus redditur in ministerio legis divinae; incredulus autem populus Judaeorum quem ille eunuchus alius indicavit transgressionis ligno suspenditur, quia in conversationis ligno non credidit. Praeterea narrat Farao somnium; interpretatur Joseph; per septem igitur spicas plenas seu septem vaccas in pinguibus ostendebantur septem carismatum spiritalium dona. Quibus ubertas fidei larga pietate redundat. At contra per septem steriles fames veritatis et justitiae in novissimis temporibus significabatur. Dehinc congregat Joseph per septem annos in (h)orreis frugum abundantiam, quia condet Christus frumenta fidei in orreis sanctorum per illam septem carismatum gratiam, ut cum septem anni inopiae coeperint i. e. cum iniquitas illa occurrerit septem capitalium criminum sub Antichristo quando fames fidei fuerit et salutis, tunc sancti patres et fideles habeant copiosam justitiae frugem ne fides eorum inopia sermonis adtenuata deficiat. Inde Joseph promeruit curram, et Christus ascendit curram regni coelestis; constituitur Joseph super universam terram Aegypti, et Christus accepit a patre potestatem et nomen, quod est super omne nomen ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium terrestrium et infernorum. Accepit et annulum quod est signaculum fidei quod credentium animae salutis signo signantur. Induiturque stola byssina i. e. immortalitatis splendore et regla. Accepit et torquem aureum i. e. intellectum bonum. Praecedit praeco ante eum i. e. aut Johannes Baptista ante primum adventum Christi vel Helias ante secundum. Vocatur quoque Joseph lingua aegyptiaca salvator mundi sicut et Christus salvator ostenditur non tantum unius terrae Aegypti sed etiam totius mundi. Triginta annorum erat Joseph quando in conspectu regis Faraonis stetit, eisdemque annis fuisse legitur Christus quando sub typo Faraonis in conspectu

mundi apparuit revelatus. Accepit Joseph ex gentibus uxorem et Christus ecclesiam, ex quo genuit duos filios i. e. populos ex circumcissione et praeputio congregatos. Post haec Joseph penuria frumenti salvavit Aegyptum et Christus fame verbi Dei liberat mundum. Aperuit enim orrea sua Christus in omni orbe terrarum et erogatione frumenti sui omnia subjugavit. Nisi enim Joseph fratres vendidissent, defecerat Aegyptus; nisi Christum Judaei crucifixissent, perierat mundus. Post haec dicit Jacob filiis suis: *est frumentum in Aegypto*. Dicit et Deus pater: *ex Aegypto vocavi filium meum*. Descendunt igitur decem profectiones in Aegyptum i. e. Judaei decalogo legis in numero constituti quos cognoscens Christus, ipsi autem non agnoverunt eum. Quibus Joseph i. e. Christus et triticum dedit et argentum reddidit, quia non pecunia emitur Christus sed gratia. Dehinc vidit Joseph Benjamin parvulum, vidit et Dominus Jesus Paulum qui ex ejus stirpe descendit. Parvulum i. e. humilem quando lux coelestis circumfulsit. Flevit itaque Joseph Benjamin; caecitas Pauli fletus est Christi. Lavit faciem suam Christus ubi baptizatus est Paulus per quem Dominus Jesus a pluribus videretur. Quid est dehinc quod in sacco Benjamin invenitur scyfus Joseph, nisi quia in corpore Pauli doctrinae coelestis praeulgit eloquium. *Scyfus* inquit *intra saccum*, doctrina intra legem et lucerna intra modium. Missus tamen Ananias manum posuit, marsupium solvit; marsupio soluto argentum resplendivit. Sicque soluto sacco i. e. deposito legis velamine adeptus est gratiam libertatis et revelata facie sermonis evangelium praedicat. Dati sunt Benjamin triginta argentei cum quinque stolis optimis. Triginta argenteos a Christo accipit quicumque praedicat trinitatem ad Christi gloriosissimam crucem. Accipit et quinque stolas Benjamin; accipit et Paulus sapientiae gratiam omniumque sensuum multiplices disciplinas secundum quod et ejus praecellit et exuberat portio meritum. Accipiunt et alii fratres ejus binas stolas i. e. praedicatores sancti mysticam vel moralem intelligentiam secundum quod scribitur: *omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus*. Mittuntur et patri munera a Joseph, sicut et Christus per gratiam evangelicam promissis muneribus invitat ad se majorem populum Judaeorum. Vocatur Jacob a filiis suis ut veniat ad Joseph quia Petro Paulo Johanne et caeteris apostolis populus ille Judaeorum invitat ad gratiam Christi. Dehinc occurrit Joseph patri suo, occurrit scilicet et Christus venienti ad suam confessionem populo suo. Tradidit post haec Joseph parentibus et fratribus optimam terram Gessen, sic et Dominus dat terram repromissionis regni Dei patriarchis et prophetis sive omnibus sanctis de quibus ipse dicit: *hi sunt fratres mei qui faciunt voluntatem patris mei qui in coelis est*.

QUAEST. Quid est quod Joseph festinans accipere benedictionem patris duos filios suos obtulit Manasem et Effraym, posuitque Effraym ad sinistram, Manasem autem ad dextram avi constituit. Quos ille cancellatis manibus benedixit quasi crucis mysterium praefigurans?

RESP. Per hoc mysterium sicut factum est in Esau et Jacob dicente Domino: *major serviet minori*, ita in istis duobus filiis Joseph. Nam major Manasses qui interpretatur oblivio typum gessit Judaeorum qui oblitus est Deum suum qui fecit eum. Minor vero Effraym qui interpretatur secunditas Christianorum tenuit figuram qui per fidem Christi

fecundatus est in latitudinem mundi. Hos quidem cum benedicere vellet Jacob posuit Joseph Effraym ad sinistram, Manasse autem ad dextram avi constituit. Ille vero praefigurans mysterium crucis translata in minore dextra majori sinistram superposuit. Sicque crucis similitudo super capita eorum denotata per Manassem Judaeis scandalum, per Effraym vero Christianis futuram gloriam praesignavit, quia seniores Manassem per crucis mysterium de dextro fecit sinistrum et juniorem Effraym de sinistro mutavit in dextrum. Talique sacramento majori populo Judaeorum praepositus est minor populus gentium.

QUAEST. Quid mysteriorum profert, quod vocatis Jacob filiis suis, ut benediceret eos, tam mystico ordine sub verbis benedictionis futura praedicavit?

RESP. Per hoc quod vocatis Jacob filiis suis ait eis: *Congregamini, ut annuntiem vobis quae ventura sint diebus novissimis*, apparet quod per cunctorum filiorum benedictionem novi testamenti mysteria praedicavit, ideoque Ruben primogenitum populum figuravit, qui violavit cubile Dei Patris, quando carnem, quam sibi Christus sponderat, confixit in patibulo crucis. Simeon scriba designat Judaeos, qui in furore suo occiderunt Prophetas et in dolore subfuderunt fixuras clavorum Christi, firmissimum murum in quo credentes stabili robore cor muniant. Levi auctor et figura est principum sacerdotum, qui Dominum crucifixerunt. Judas qui interpretatur confessio, redemptorem nostrum significat; hunc Judam i. e. Christum, qui est verus confessor ad Patrem, laudant fratres sui i. e. Apostoli vel homines sancti, de quibus ipse dixit: *ii sunt fratres mei*; ipsum adorant filii Patris sui, ii scilicet, qui ex filiis Jacob per electionem gratiae salvi facti sunt. De hoc scribitur: *Catulus leonis Juda*, quoniam Christus nascendo parvulus factus est, sicut scriptum est: *parvulus natus est nobis*, huic dicitur: *ad praedam, fili mi, ascendisti*, acsi dicatur Christo, ascendens in cruce captivos populos redemisti. *Requiescens*, inquit, *accubuisti ut leo*, sicut et Christus in cubili sepulchri, quasi leo securus quidem corporis somno quievit, devictoque mortis imperio post triduum resurrexit, quia catulus leonis, cum natus fuerit, tribus diebus et tribus noctibus dormit, tunc deinde patris fremitu vel rugitu veluti tremefactus cubilis locus suscitatur catulum dormientem, quod valde convenienter de passionis morte aptatur in Christo, qui post triduum resurrexit, quem Deus pater suscitavit a mortuis, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Ille alligat ad vineam pullum suum i. e. populum ex gentibus ad doctrinam Apostolorum, qui sunt ex vinea domus Israel. Alligat et ad vitem asinam suam i. e. Ecclesiam ex nationibus congregatam ad vitem corporis sui vinculo caritatis et disciplinae evangelicae nexu, ipse enim dixit: *Ego sum vitis vera. Lavabit et in vino stolam suam* i. e. carnem suam in sanguine passionis sive sanctam Ecclesiam in vino illo, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, et *in sanguine uvae pallium suum* i. e. omnes gentes, quas corpori suo conjunxit, sicut scriptum est: *vivo ego, dixit Dominus, nisi omnes induam sicut vestimentum*; hos quippe Christus in sanguine uvae mundavit, quando sicut botrus in ligno crucis pependit, tunc enim ex latere ejus sanguis et aqua profluxit, sed aqua nos abluit, et sanguis redemit. *Pulchriores*, inquit, *sunt oculi ejus vino*. Oculi Christi

Apostoli sunt et Evangelistae, qui scientiae lumen universo corpori Ecclesiae praestant. *Sed et dentes lacte candidiores.* Dentes Christi praedicatores sunt sancti, qui praecidunt ab errore homines, et eos docendo quasi comedendo in Christi corpore transferunt. Yfacar Ecclesiae ex gentibus tenuit typum, qui vero populus ex gentibus *in terminos accubabat*, quia, praestolato mundi fine, requiescere in illa beatitudine futura sperat, et praetermissis omnibus, quae versantur in medio, ultimam illam beatitudinem tota fidei devotione desiderat, et fortis iste asinus requiem ac terram optimam videt, qui simplex gentilitas, idcirco se ad superiora boni operis erigit, quod ad aeternae vitae patriam tendit. Qui *ad portandum humerum supponit*, quia conspecta superna requie ad portanda praecepta divina se ipsum in operatione subponit, et quidquid intolerabile infirmumque carnis fragilitate videtur, hoc ei levius ac facile pro spe remunerationis ostenditur. Zabulon ecclesiam significat, quae secus fluctus hujus vitae habitans omnes tentationes et turbines seculi portat. Nephtali exprimit omnes sanctos praedicatores, qui instar cervi transilientis ad superna se erigunt, cunctisque credentibus doctrinae eloquia conferunt. Dan Antichristum significat, qui humanae vitae hujus vincula sequi i. e. extrema seculi supplantare nititur morsu pestiferae praedicationis, ut dejiciat eos, qui extolluntur in hujus mundi deliciis. Gad Christum demonstrat, qui in secundo adventu suo contra Antichristum accinctus virtute judicii praeliaturum se nunciat. Aser eundem demonstrat Dominum Jesum Christum, cujus pinguis est panis in ora credentium. Joseph typum Christi gestavit, ipse est *filius ad crescens*, utique crescens Christus in gentibus, cum innumeram sibi plebem Ecclesiae ex omnibus gentibus ampliavit, ipse et *decorus aspectu*, quia *speciosus forma prae filiis hominum*. Filiae, inquit, *discurrerunt supra murum* i. e. gentes, vel Ecclesiae, quae crediderunt in Christum, quae discurrunt super soliditatem fidei, ut per contemplationem verum sponsum accipiant Christum, et osculo caritatis illi copulentur, atque adhaereant Christo, sed objurgati sunt eum i. e. falsis testimoniis populus Judaeorum calumniati sunt in Domini passione. *Sedit in forti arcus ejus*, quia virtute Christi concidit omnis nequitia perfidorum. *Et dissoluta sunt vincula brachiorum ejus* sive quando eum vinctum Judaei ad Pilatum duxerunt, sive quando suspensum in ligno crucifixerunt. *Deus*, inquit, *Patris tui erit adjutor tuus*, quia quisquis audivit filium, nisi solus Deus Pater, qui locutus est ad eum: *et clarificavi et iterum clarificabo*. — *Et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus coeli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum*. Per benedictionem coeli universa coelestia; per benedictionem abyssi universa terrestria subjecta sunt Christo, ut omnibus Angelicis et hominibus dominetur. *Benedictionibus*, inquit, *uberum et vulvae* i. e. sive duorum testamentorum sive benedictionibus uberum Mariae, de qua scriptum est: *beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti*. *Fiat*, inquit, *in capite Joseph*, quia omnes istae benedictiones super caput Christi pronuntiantur, quas incarnatus accepit. *Et super verticem Nazarei* scilicet quia de Christo scriptum est: *Nazareus vocabitur*, h. e. Sanctus Dei. — Benjamin Pauli Apostoli imaginem praetulit, qui et Apostolorum minimus fuit, et

de tribu ejus descendit. Iste est lupus rapax, mane persecutor diripiens, vespere doctor pascens. Finit.

INCIPIT DE LIBRO EXODI.

QUAEST. Quid significatum est per hoc, quod scribitur, post mortem Joseph crevisse filios Israel et invaluisse nimis?

RESP. Post mortem Joseph creverunt filii Israel, quia postquam Christus pro omnibus suscepit mortem, per quam destruxit diabolum, qui habebat mortis imperium, multiplicatus est fidelium populus.

QUAEST. Quid significatum est per hoc quod Farao afflixit filios Israel luto et latere?

RESP. Farao figuram diaboli habuit qui quasi in Aegypto, ita in hujus saeculi captivitate populum Dei perdere et terrenis vitiorum operibus praegravare temptavit.

QUAEST. Quid figuratum est per hoc quod jubet Farao masculos occidere et feminas vivere?

RESP. Quia diabolus vigiles animi sensus i. e. rationem prudentiam innocentiam et fidem vel reliquos fortissimos sensus in homine conatus occidere ut interfectis virtutibus vitia remaneant quae in feminarum figura ponuntur.

QUAEST. Quid est quod Moyses ad ripam fluminis expositus reperitur?

RESP. Nisi quia Dominus cujus Moyses typum induerat ad flumen lavacri salutaris a credentibus invenitur.

QUAEST. Quid est quod filia Faraonis descendens ad lavacrum fluminis collegit infantem?

RESP. Nisi quia ecclesia ex gentibus lavacri salutaris sanctificationem desiderans excepit Christum a sinagoga matre carnali projectum, quasi infantem; igitur quia tunc parvulus videbatur Christus cum in homine cerneretur.

QUAEST. Quid figuratum est per hoc quod Moyses peregrinum fratrem injuriam ab Aegypto patientem defendit et eundem Aegyptium occidit?

RESP. Aegyptius ille diaboli typum gestavit, qui sanctis omnibus, qui sunt quasi peregrini et (h)ospites super terram injuriosus existere videbatur quem Christus interficit per passionem suam, et peregrinum fratrem i. e. credentium populum ab ejus insidiis liberat et sua defensione conservat.

QUAEST. Quid est quod cum apparuisset in rubo Dominus Moysi mittens eum ad gentem quam praesciebat iniquam futuram, rubus ipse ardebat et non consumebatur?

RESP. Quid est enim flamma ardens nisi lex per Moysen a Domino data. De qua legis flamma scriptum est: *in dextra ejus ignea lex est*. Et quid rubus ille nisi judaicum populum designavit peccatorum suorum spinis indutum. Flamma vero ignis in rubo est lex in populi Judaicorum; sed rubus ardens consumi non potuit, quia Judaicus populus et ignem quidem legis accepit et tamen peccatorum suorum spinas nunquam deseruit nec ejus populi vitia divini sermonis flamma.

QUAEST. Quid est quod in rubo et non in alio ligno apparuit Dominus Moysi?

RESP. Semper enim Deus abstulit Judaeis occasionem idolatriae; ideo propterea Dominus Moysi in rubo apparuit juxta litteram, ne forte Judaei in eodem ligno exculperent idolum. Ab aliis typice rubus ad legem refertur sive ad ecclesiam.

QUAEST. Quid est quod per Moysen projecta virga in terram versa est in serpentem cujus rursus adprehensa cauda facta est virga?

RESP. Per serpentem enim mors accipitur quia serpens persuasit homini mortem. Virga itaque in serpentem, Christus in mortem. Expavit Moyses et fugit serpentem, sicut et mortuo in carne Christo expaverunt apostoli et ab illa sepe in qua fuerunt ad modicum quodammodo recesserunt. Adprehensa rursus cauda efficitur virga, quia novissima inimica morte destructa ad id quod fuerat Christus resurgendo reversus est, resumens hominem quod fuerat exutus per mortem et apparens in virga et gloria regni sedet ad dextram patris.

QUAEST. Quid significatur per manum Moysis in sinu missam et in ordinem suum conversam?

RESP. Manus enim Moysis plebs Judaeorum accipitur quibus scriptam tradidit legem. Albor enim in cute lepra est i. e. immunditia. Vertitur ergo manus Moysi in alborem immunditiae sicut et plebs Judaea tunc per incredulitatem aliena est a sinu Dei et foris immunda remansit. Sed revocata manus in sinu ad pristinum redit colorem, quia plebs illa i. e. in sinu Moysi missa i. e. ad intelligentiam spiritualem quae est in lege redacta cum agnoverit Dominum salvatorem, tunc ad salutis integritate revertetur colorem.

QUAEST. Quid figuratum est per hoc quod Moyses et Aaron intrantes ad Faraonem petent viam trium dierum proficisci in deserto populum Israel et ibi sacrificare Domino Deo?

RESP. Israel quippe populus videns Deum dicitur, per quod sancta ecclesia aperte monstratur. Via ista Christus est qui dixit: *ego sum via, veritas et vita*. Quae via triduo nobis incedenda est quia qui confessus fuerit in ore suo Dominum Jesum et crediderit in corde suo quod Deus illum suscitavit a mortuis tertia die salvus erit. Haec est tridua via per quam pervenitur in locum in quo Domino imoletur i. e. ad gloriam resurrectionis per quod redditur sacrificium laudis.

QUAEST. Quid est quod dicunt Israelitae: *abominationem Aegyptiorum immolavimus Domino Deo nostro*?

RESP. Aegyptus mundus iste accipitur. Israelitae vero ecclesiae populi sunt. Abominationes ergo Aegyptiorum Israelitae Domino offerunt quia simplicitatem conscientiae quam sapientes hujus mundi quasi fatuitatem deputant, hanc justis Deo in sacrificium immolant. Quia *quod stulta sunt mundi elegit Deus*, juxta apostolum.

QUAEST. Quid est quod ex eo quod loqui coepit ad Faraonem magis affligitur populus Dei?

RESP. Quia ex quo in animam hominis sermo Dei prolatus fuerit acrius callidis hostis consequitur et majora vitia, quibus vincat, immittat.

QUAEST. Quid est quod in conspectu Faraonis virga Aaron versa in serpentem devoravit serpentes Aegyptiorum?

RESP. Nisi quia Christus verbum caro factum est qui serpentis diri venena evacuavit per remissionem et indulgentiam peccatorum.

QUAEST. Quid est quod scribitur indurasse Deus cor Faraonis?

RESP. Nisi quia diabolus ita induratus est post peccatum, ut poenitentiae compunctione nunquam emolliatur. Sicut in Job de eo scriptum est: *cor ejus indurabitur quasi lapis.*

QUAEST. Quid significatum per decem plagas in Aegypto irrogatas?

RESP. Aegyptus namque seculi forma est; et ideo quod certum est in Aegypto corporaliter in nobis qui in hunc mundum consistimus gerantur spiritualiter. In prima plaga aquae vertuntur in sanguinem, quia in hoc mundo erratica et lubrica philosophorum docina quasi in sanguinem vertantur, dum in rerum causis carnaliter sentiunt. In secunda plaga ranae producuntur i. e. locacissima vanitas haereticorum et inflata modulatione producta carmina poetarum. In tertio signo scynifes producuntur i. e. homines mente corrupti et immitissima inquietudine exagitati ac reprobi circa fidem. Quarto signo Aegyptus muscis percutitur. Musca enim insolens et inquietum est animal, in qua quid aliud quam insolentes curae desideriorum carnalium designantur. Aegyptus ergo muscis percutitur, quia eorum corda qui hoc saeculum diligunt desideriorum suorum inquietudinibus feriuntur. Quinta plaga animalium nece vel pecudum Aegyptus verberatur, per quam accipitur stultitia mortalium, quae tanquam irrationabilia pecora cultum et vocabulum Dei inposuerunt figuris hominum et pecudum ligno et lapidibus impressis. Sexto verbere producuntur vesicae i. e. dolosa seculi et purulenta malitia vel inflata superbia ac tumens in carnalium corda iniquitas. Septimo verbere veniunt desuper voces et tonitrua et grando et ignis discurrens. In tonitruis enim increpationes divinae correptionis intelliguntur, quia non cum silentio verberat sed dat vocem et doctrinam coelitus mittit, per quam possit culpam suam castigatus cognoscere mundus. Dat et grandinem per quam tenera vastetur nascentia vitiorum. Dat et ignem i. e. spiritum sanctum per quem incentiva voluptatis et libidinis consumuntur. Per locustas enim quae octavo signo ingeruntur vagae et salientes animae intelliguntur in seculi voluptates. Nono signo tenebrae factae sunt quia carnales non intelligunt scientiam doctrinae divinitatis. Decimo signo delentur primogenita Aegyptiorum i. e. nequitia spiritualium potestatum et mundi rectores tenebrarum, sive auctores et inventores falsorum quos Christi veritas cum suis delevit auctoribus.

QUAEST. Quid significatum est per occisionem agni in Aegypto quando pascha celebravit populus Dei?

RESP. In occisione quippe agni occiditur Christus de quo in evangelio dicitur: *ecce agnus Dei.* Vespera enim immolatur agnus; qui in vespera mundi immolatus est Christus.

QUAEST. Quid est quod prohibentur qui pascha faciunt frangere ossa agni?

RESP. Quia non franguntur in cruce ossa Domini sicut scriptum est: *(h)os ejus non comminuetis.*

QUAEST. Quid est quod sanguine agni illinuntur Israelitarum postes ne vastator angelus audeat inferre perniciem?

RESP. Quia fideles populi signantur signo dominicae passionis in frontibus ad tutelam salutis, ut hi soli ab interitu liberentur, qui cruore dominicae passionis corde et fronte signantur.

QUAEST. Quid est quod jubetur de agni illius esu ut omnis alienigena non comedat sed in una domo vescatur nec efferatur de carnis ejus foras?

RESP. Hoc de Christi corporis sacramento, cujus agnus ille figuram obtinuit, proprie tenetur scriptum. Corpus ejus et sanguis in una domo ecclesiae catholicae vesci praecipitur. Nec foris afferri jubetur i. e. in plebe haeticorum quae ab eadem ecclesiae catholicae unitate foris vagantur.

QUAEST. Quid est quod in manu Moysis exspoliato Aegypto ab auro et argento Dei populus proficiscit?

RESP. Nisi quod ex gentibus animae pretiosae tanquam vasa aurea et argentea cum suis utique corporibus, quod sublatae vestes Aegyptiorum significant, adjungunt se populo Dei ut simul de hoc seculo tanquam de Aegypto liberentur.

QUAEST. Quid est quod etiam fermento sublato profecti sunt?

RESP. Nisi ut nos exeuntes a seculi hujus illecebris non ambulemus in fermento veteris malitiae ac nequitiae i. e. in conversationibus pristinis sed in azymis sinceritatis et veritatis quod est renovatio vitae per baptismum in Christo Jesu.

QUAEST. Quid est quod praecipitur illis septem diebus azyma comedere?

RESP. Nisi ut nos in hoc mundo qui septem dierum recursu peragitur simpliciter et pure conversemur et non ex veteris corruptionis malitia delectemur. Nam quid est aliud fermentum nisi naturae corruptio.

QUAEST. Quid figuratum est in hoc quod Dominus per noctem in columna ignis et per diem in columna nubis dignatus est praecedere populum?

RESP. Nubes ita praecedens Christus est quem nubes sancti pluerunt i. e. prophetae praedicaverunt super terram. Idem etiam et columna quia rectus et firmus est et fulciens infirmitatem nostram. Apparens per diem in nubem i. e. sacramentum divinitatis ejus in hoc mundo in carne quasi in nube, in iudicio vero tanquam in terrore nocturno apparebit in igne quia tunc erit magna tribulatio seculi quando lucebit iustis et ardebit iniustis.

QUAEST. Quid est quod sequentibus Aegyptiis Moyses virga percutit aquas et populus transit per siccum?

RESP. Quid virga nisi crux Christi et quid mare rubrum nisi baptismum accipitur Christi sanguine consecratum. Quid sunt hostes sequentes Dei populum qui moriuntur a tergo, nisi diabolus et peccata praeterita quae in spiritali baptismo suffocantur.

QUAEST. Quid est quod post transitum rubri maris canit canticum populus Deo Aegyptiis et Faraone submerso?

RESP. Quia postquam de lavacro fideles conscendent extinctis peccatis hymnum in voce gratulationis emittunt dicentes: *cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est, equum et ascensorem projecit in mare* i. e. diabolus et vitia peccatorum suffocavit in lavacro.

QUAEST. Quid est quod post maris transitum ducitur populus per desertum ut ad locum perveniat repromissum?

RESP. Quia baptizati omnes eunt per mundum quousque promissam patriam aeternae beatitudinis introeundo fruuntur.

QUAEST. Quid est quod Moyses in aquis amaris mittit lignum et factae sunt dulces?

RESP. Intellige, aquas amaras occidentis litterae et legis habere figuram. Quibus si mittatur confessio crucis adjuncto passionis dominicae sacramento tunc efficitur aqua legis mirae suavitatis et amaritudo litterae vertitur in dulcedinem intelligentiae spiritualis.

QUAEST. Quid est quod primo ducitur Israel ad aquas salsas et amaras quae per lignum effectae sunt dulces et postea pervertuntur ad fontes?

RESP. Quia primo ducitur populus ut instruatur littera legis et cum per lignum vitae i. e. per intellectum spiritalem dulcis ei effecta fuerit lex tunc de veteri testamento transitur ad novum et venit ad duodecim apostolicos fontes, ad septuaginta palmarum arbores i. e. ad praedicationem septuaginta discipulorum per quos palmas victoriae Christi mundus agnovit. Sed et isti septuaginta arbores possunt figurare redemptorum populum septiformi spiritu plenum. Qui quasi duodecim fontibus ita duodecim apostolorum doctrina rigantur.

QUAEST. Quid innotescitur per hoc quod cum murmuraret in deserto populus propter famem conversus prospexit in nubem gloriam Dei; aspexitque vespere coturnicem et mane alterius diei manna?

RESP. Quid per volucrum esca nisi veteris legis eloquia praenotantur, qua plebem carnalem tanquam carne alat Deus per verba divinitus missa quasi per volatilia. Unde et vespere dantur quia lex adveniente die i. e. in carne apparente Christo in finem erat juxta litteram abitura. Manifestato autem lumine fides datur manna populo i. e. Christus qui tanquam panis vivus de coelo descendit quia per nubes evangelicas universo orbi pluitur et fidelem populum incorruptibiliter pascit.

QUAEST. Quid est quod sexta die duplum manna jubetur colligi quae etiam in septimum h. e. in sabbatum sufficere possit?

RESP. Sextus dies ista est sexta aetas mundi in qua nunc sumus. In hac ergo duplum colligit qui propter spem vitae aeternae verbum Dei et audit et facit. In hac ergo duplum recondet qui et bene vivit et bene facit. Quod ideo propter sabbatum duplum reponitur quia bonorum operum facta propter futuram requiem praeparantur. Quod enim non propter sabbatum servabatur et manna computrescebat et ebulliebant vermes ex eo quia et qui non propter futuram requiem sed propter praesentem vitam et amorem seculi thesaurizant his in futurum ille vernis ebullit qui non moritur in aeternum.

QUAEST. Quid est quod post manna queritur populus ab ardore fitis et fons de petra rupit?

RESP. Idem autem petra, quae percussa aquam evomit, Christi figuram habuit: sicut dicit apostolus: *Petra autem erat Christus*, ad quem, petram i. e. Christum, velut virga ita lignum passionis accessit, ut emanaret credentibus gratiam. Percussa enim petra fons manavit quia percussus in cruce Christus sitientibus lavaeri gratiam et donum Spiritus sancti effudit.

QUAEST. Quid est quod post haec dum vellet expugnare Dei populum Amalec elevatis Moyses manibus in similitudinem crucis evincitur?

RESP. Haec crucis similitudo per Moysis manus demonstrata victoriam dominicae passionis monstravit. Per quod Amalec i. e. diabolus evincitur qui obvias perdere conatur perfectae fidei populum.

QUAEST. Quid est post haec quod quadragesima septima die egressionis Israel ex Aegypto accedens ad montem Synai illico ascendit Moyses in monte et Dominus descendit ad eum?

RESP. Mons quidem altitudo contemplationis nostrae est in qua ascendimus ut ad ea quae ultra infirmitatem nostram sunt intuenda sublevemur. In hanc et Dominus descendit quia sanctis multum proficientibus purum de se aliquid Dominus eorum sensibus aperit.

QUAEST. Quid est quod quinquagesima die post passionem Domini, quam pascha illud praefigurabat, datus est Spiritus sanctus promissus paraclitus descendens super apostolos et qui cum eis erant in centum viginti Mosaicae aetatis numeros constitutos et divisis linguis credentium totus evangelica praedicatione mundus impletus est?

RESP. Dicitur illic scripta lex digito Dei, et Dominus dicit de Spiritu sancto: *in digito Dei ejicio daemonia*. Aspicit illic cunctus populus voces et lampades montemque fumigantem, tonitrua quoque et fulgura, clangoremque bucinæ praestrepentem. In vocibus namque et tonitruis clamor praedicationum intelligitur; in lampadibus claritas miraculorum, in sonitu bucinæ fortis praedicatio sanctorum quae omnia in adventum sancti Spiritus completa sunt quando discipuli Christi in varietate linguarum praeceptis et signis intonaverunt.

QUAEST. Quid est quod legem daturus Dominus in igne fumoque descendit?

RESP. Nisi quod et fideles claritate suae ostensionis illuminat et infidelium oculos per fumum erroris obscurat.

QUAEST. Quid est quod dans deinde Deus Moysi legem in decem hoc verba constituit?

RESP. Dat igitur Dominus Moysi legem innocentiae nostrae et significationis suae eandemque in decem verba constituit et saxeis tabulis digito suo scripsit. Quae quidem praecepta ita sunt distributa ut tria pertineant ad dilectionem Dei, septem ad amorem fraternum quibus societas humana non laeditur. Primum decalogi mandatum ad Deum patrem pertinet dum dicit: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est*, utique ut homo hoc audiens unitatem divinitatis agnoscat et fornicationem suam in idolis non effundat. Secundum praeceptum de filio est cum dicit: *non adsumas nomen Domini Dei tui in vanum* i. e. ne aestimes creatum esse Christum filium Dei, sed credas eum aequalem esse patri, Deum de Deo, verum verbum apud Deum, per quem facta sunt omnia. Tertio praecepto legis insinuat de observatione sabbati quod ad spiritum pertinet, secundum cujus dono requies nobis aeterna promittitur. In aliis enim diebus operum non est nominata sanctificatio nisi in sabbato ubi dicit *requievit Deus*. Proinde igitur hoc mandatum refertur ad Spiritum sanctum tam propter nomen sanctificationis quam propter aeternam requiem ad donum sancti Spiritus pertinentem. Post tria praecepta quae ad Deum pertinent succedit septenarius numerus mandatorum ad dilectio-

nem pertinens proximi. Et incipit ab honore parentum cum dicitur: *honora patrem tuum et matrem*; quod tamen mandatum, in ordine quartum, est in septenario numero ad dilectionem pertinens proximi primum cum Dominus in evangelio dicit: *honora patrem tuum et matrem, quod est mandatum primum*. Sed quomodo primum quia quartum, nisi quia aut praedictum est in septenario numero qui pertinet ad dilectionem proximi primum est in altera tabula. Nam ideo duae tabulae legis datae sunt propter dilectionem Dei et proximi vel mysterium testamenti. Jubetur ergo in hoc praecepto filios honorare parentes neque costumeliosos illis existere sed officio pietatis debitam reverentiam exhibere. Quintum mandatum est *non moecaberis* i. e. ne quisquam praeter matrimonii foedus aliis feminis misceatur. Sextum *non occides* etenim non solum opere perpetrans omicidium facit, sed et qui indigentibus qui mori possit non miseretur et idem per omicidia tenebitur. Septimum *non furtum facias* quod est vitium rapacitatis. Octavum *non falsum testimonium dices* quod est crimen mendacii et falsitatis. Nonum *non concupisces uxorem proximi tui*. In hoc praecepto vetat intentionem adulterinae cogitationis. Decimum *non concupisces rem proximi tui*. In quo praecepto damnat ambitionem seculi et refrenat concupiscentiam rerum. — Horum primum praeceptum prohibet superstitionem, secundum vetat errorem, tertium interficit seculi amorem, quartum impietatem, quintum allidit fornicationem, sextum crudelitatem, septimum rapacitatem, octavum perimit falsitatem, nonum adulteram cogitationem, decimum mundi cupiditatem. Sicut enim decem plagis percutiuntur Aegyptii ita decem praeceptis conscribuntur tabulae quibus reguntur populi Dei. Cur autem in duabus tabulis scripta est lex, nisi propter duo testamenta significanda aut propter duo praecepta dilectionis Dei videlicet atque proximi in quibus tota lex pendet atque prophetae. Cur lapideae idem tabulae fuerunt nisi ad significandum cor lapideum Judaeorum, unde et apostolus ait: *non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis carnalibus*. Quia per lapidum duritiem significatum est cor intelligens et per carnis sensualitatem significatum est cor intelligens.

QUAEST. Quid est quod Deus ad Moysen: *Altare de terra facies mihi*?

RESP. Altare quippe de terra Deo facere est incarnationem mediatoris sperare. In altare ergo de terra oblatum munus offerimus si actus nostros dominicae incarnationis fide solidamus.

QUAEST. Quid est quod adjicitur: *quod si altare lapideum feceris mihi, non aedificabis illud de sectis lapidibus*.

RESP. Sectis lapidibus: Ii sunt qui unitatem scindunt ac dividunt semetipsos a societate fraterna per odium vel scismata, tales enim in corpore suo non recepit Christus. Non secti vero lapides ii sunt qui fidei morumque unitate solidantur. His non est inlectum ferrum quia incorrupti sunt et jacula maligni spiritus ignita non receperunt.

QUAEST. Quid est quod primitias et decimas in lege offerre jubentur?

RESP. In primitiis enim honorum principia voluntatum, in decimis autem perfectio et consummatio honorum operum designatur. Quod ad Deum referri praecipimus a quo et boni operis initium et perfectionis donatur effectus.

QUAEST. Quid est quod dicitur *primogenita asini mutabis ove*?

RESP. Per asinum quippe hoc loco immunditia, per ovem vero innocentia designatur. Asini ergo primogenita ove mutare est immundae vitae primordium ad innocentiae simplicitatem convertere.

QUAEST. Quid est quod in hanc legem oculum pro oculo dare jubetur?

RESP. Oculum enim est quisque doctor tanquam vitae demonstrans iter. Iste autem si intentionem auditoris per aliquam perniciosam doctrinam conetur extinguere ut oculum laedat animae et intellectum ejus turbet talis proscribi necesse est ab ecclesiae praesulatu. Sed qui dentem laesit auditoris per quos scripturarum cibos comminuebat, auferatur et ipse et opus ejus procul de medio electorum. Si quidem et manus pro manu et pes pro pede deposcitur. Manus est actio operantis per quam inceditur ad bonum vel malum. Praecidatur ergo ille qui scandalum facit in fide vel in actibus bonis quod per manum signatur aut qui offendiculum praebet quo pedes intelliguntur.

QUAEST. Quid est quod inter haec praecipitur ut Hebraeus puer si forte in servitute devenit sex annis serviet, septimo sero anno liber dimittatur? Quod si egredi a servitute noluerit propter uxorem et filios perforabitur auricula ejus et erit servus in seculum?

RESP. Hoc non de praesenti dicitur seculo sed de futuro quia in sex aetatibus hujus seculi servientes in septima vero die aeterno sabbati liberamur. Si tamen voluerimus esse liberi dum adhuc in seculo servimus peccato, si autem noluerimus justitiam operare propter requiem sempiternam perforabitur nobis auricula in testimonio inobedientiae et cum uxore et filiis nostris quos protulimus libertati i. e. cum carne et operibus ejus jugiter peccati servi erimus in aeternum.

QUAEST. Quid est quod Moyses videns peccasse populum in vitulo confregit tabulas legis quas acceperat et postmodum eandem legem in aliis tabulis recepit scriptam?

RESP. Per hoc ostensum est quod lex veteris testamenti finem haberet et novi succederet gratia testamenti sicut scriptum est: *vetera transierunt et ecce facta sunt nova.*

QUAEST. Quid figuratum est per hoc quod confractum vitulum Moyses minutatim concidit et aspergens in aquam potum populo dedit?

RESP. In vitulo illo diaboli corpus ostenditur quod est omnis societas gentilium idolatriae dedita. Hanc sacrilegam societatem Dominus noster Jesus Christus in illo igne conburet de quo in evangelio dicit: *ignem veni mittere in terram.* Quia dum in eum credunt gentes igne virtutis ejus diabolica in eis forma dissolvitur et illa malae conspiracy conflatio verbo veritatis discisa et comminuta in aquam baptismi mittitur ut eos Israelitae i. e. evangelistae praedicatores in baptismum in sua membra h. e. in dominicum corpus transferant. Sicut dictum est Petro de ipsis gentibus: *macta et manduca.* Si macta et manduca, quare etiam non: concide et bibe? Ita ille vitulus per ignem zeli et aciem verbi et aquam baptismi ab eis potius quos absorbere conabatur absorptus est.

QUAEST. Quid significatum est per hoc quod pro peccato vituli jubet Moyses populo ire de porta usque ad portam per medium castrorum et occidere vir fratrem suum et proximum suum?

RESP. Hoc praedicatoribus aperte mandabitur in ecclesia ut in populo Dei cum gladio praedicationis verbi de porta usque ad portam i. e. vitio usque ad vitium discurrentes per quod ad mentem mens ingreditur cum gladio increpationis discurrant. Sed et ipse numerus trium milium interfectorum triplicem formam indicat peccatorum. Omne enim peccatum aut facto aut verbo aut cogitatione committitur. Quid autem sibi velit quod Moyses quadraginta diebus jejunavit? Quadragenario enim numero et Moyses et Helias et ipse Dominus jejunaverunt. Per Moysen itaque lex, per Heliam prophetia, per ipsum Dominum novi testamenti mysteria designantur. Unde nobis in hoc typo praecipitur, ut ex lege et prophetis ut ex ipso evangelio quod testimonium habet a lege et prophetis instructi, ab omnibus mundi illecebris aviditatem nostram tanquam jejunii temperantiam refrenemus, quamdiu perfectio decalogi legis per quattuor ejusdem mundi partes i. e. toto orbe praedicatur ut decem quater ducta quadragenarium numerum signet.

QUAEST. Quid innuitur per hoc quod Dominus dicit ad Moysen: *posteriora mea videbis, faciem meam videre non poteris?*

RESP. Quid est faciem meam videre non poteris nisi quamvis usque ad paritatem angelicam humana natura proficiat et ad contemplandum Deum indefessa intemptione consurgat videre tamen ejus essentiam plene non praevalet, quam nec ipsa perfectio angelica in toto vel integre se attingit scire. Sicut scriptum est: *pax Dei qui exsuperat omnem sensum* ut subaudias et angelorum. Sola enim sibi integre nota est trinitas et humanitati susceptae quae tertia est in trinitate persona. In sequentibus vero verbis cum dicitur: *posteriora mea videbis*, futurum Christi ecclesiaeque mysterium figuratum est. Gestavit quippe Moyses in hoc loco typum populi Judaeorum in Christum postea credituri. Ideo dictum est illi: *cum transiero posteriora mea videbis*. Qui sensus tunc monstratus fuisse completur, quando in evangelio cum ascendisset Jesus in morte apparuerunt Moyses et Helias colloquentes cum Jesu. Ideo ibi completa est ista promissio quam accepit in monte Sina cum dictum est: *posteriora mea videbis*. Vidit ergo posteriora ejus i. e. vidit quae in posterioribus et novissimis facta sunt.

QUAEST. Quid est quod ibidem ait Dominus ad Moysen: *est locus apud me, stabis supra petram*, et paulo post: *tollam inquit manum meam et videbis posteriora mea?*

RESP. Locus iste apud Deum ecclesia catholica est, petra vero ipse Christus. Apud se esse Dominus locum per(h)ibet de quo videatur et ideo in petram Moyses inponitur ut inde speciem Domini contempletur. Quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit divinam praesentiam non agnoscit, de qua soliditate Dominus dicit: *super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*.

QUAEST. Quid est quod descendente denuo Moysen cum tabulis facies ejus glorificata videatur sed tamen velamine tegitur?

RESP. In Moysen quippe lex; facies igitur Moysi glorificata velamine tegitur quia lex mystico velamine cooperitur dum infidelibus intellectus ejus occultus tamen quasi templo Domini ostenditur reseratus. Ita Moysi facies i. e. ex divino (h)abet cornua duorum testamentorum, quibus contra docmata falsitatis incedat armatus. Cum enim Moyses et

prophetiae ad litteram leguntur: quasi facies Moysi quodammodo velamine tegitur ita ut non possit loquentis legis gloriam sustinere. Sed si conversi fuerint ad Deum aufertur velamen quia occidens littera moritur et vivificans spiritus suscitatur. Dominus enim Deus spiritus est, et lex spiritalis est, quae habet figuram futurorum bonorum.

QUAEST. Quid in hoc ostenditur quod in arca testamenti reponuntur tabulae legis?

RESP. Arca testamenti ecclesia Christi est, quae habet intra se duas tabulas testamenti i. e. observantiam legis et evangelii.

QUAEST. Quid est quod inter hoc foris inauratur arca?

RESP. Quia ecclesia quasi aurum radiat tam interius vitae splendore quam exterius doctrinae et sapientiae claritate.

QUAEST. Quid corona aurea per circuitum et quattuor circuli aurei indicant qui per quattuor angulos iubentur adjungi?

RESP. Per quattuor circulos quattuor sancti evangelii libris catholica ecclesia accincta praedicatur. Quae tamen in terra unius coronae ambitu i. e. intra ejusdem fidei unitatem concluditur.

QUAEST. Quid est quod vectes de lignis inputribilibus fiunt qui ad portandam arcam circulis inseruntur?

RESP. Quia praedicatores sancti fortes ac perseverantes esse iubentur, qui instructione sacrorum voluminum semper inhaerentes sanctae ecclesiae unitatem denuntiant et quasi intromissis circulis arcam portant. Quid est quod adhuc vectes auro operiri iubentur, nisi ut praedicatores ecclesiae cum sermone aliis insonent ipsi etiam vitae splendore fulgescant.

QUAEST. Quid est quod in hac testamenti arca tria fuerunt i. e. urna aurea habens mannam, tabulae quoque et virga Aaron?

RESP. Arca ut praedictum est ecclesia est habens duas tabulas lapideas i. e. testamentorum perpetuam firmitatem. Urnam quoque auream i. e. carnem Christi puram atque sinceram quae reconditum in se manna perpetuae divinitatis conservat. Habet et virgam Aaron i. e. ejusdem veri summi pontificis nostri salutare vexillum immortalis memoriae semper viriditatem frondens.

QUAEST. Quid per propitiatorium super arcam testamenti positum figuratur?

RESP. Propitiatorium ipse Christus insinuat qui arcae superponitur sicut et Christus est caput ecclesiae. Cujus a dextris et sinistris duo Cherubim consistunt i. e. plenitudo scientiae duorum testamentorum.

QUAEST. Quid per altare ostenditur cui semper ardere ignis iubetur?

RESP. Altare illud corpus Christi significabat sive omnes sanctos in quibus ardet semper divinus ignis et semper consumitur caro.

QUAEST. Quid per mensam?

RESP. Mensa ecclesiae typus est in qua pascimur alimentis scripturarum, de quibus Dominus dicit: *venite et edite de meis panibus.*

QUAEST. Quid per candelabrum?

RESP. Illud septem ramorum sancti Spiritus gerebat imaginem qui septiformi gratia illustrat ecclesiam omnem in unitate fidei consistentem. Hic eundem candelabrum Christum intelligunt gestantem septem ecclesias i. e. septiformem spiritus splendorem. Huic candelabro fiunt

municipatoria quae in ecclesia forcipes nuncupantur, per quod duo testamenta interpretantur.

QUAEST. Quid per oleum olivarum quod de arboribus ad luminaria tabernaculi sumendum Dominus praecepit?

RESP. Et hic sancti Spiritus gratia ostenditur, unde in cordibus nostris humen veritatis accenditur.

QUAEST. Quid figuratur per cuncta utensilia ad usum tabernaculi praeparata?

RESP. Tabernaculum hoc ut diximus per allegoriam ecclesia est in hujus vitae eremo constituta. Columnae ejus quattuor sunt evangelistae. Harum columnarum bases prophetae sunt quia supra fundamentum prophetarum evangelistae ecclesiam collocant. Caput autem columnarum aureum ille est de quo dicit apostolus: *caput viri Christus est*. Tabulae deauratae per circuitum tabernaculi extentae praedicatio apostolorum est per mundi ambitum dilatata. Quorum et bases ut praedictum est prophetae significatur. Tentoria autem reliqua credentium plebs intelligitur quae (ha)eret et pendet in funibus fidei. Funis enim triplex non disrumpitur quae est trinitatis fides ex qua pendet et per quam sustinetur omnis ecclesia. Undecim vero vela cilicina quae quinquagenis ansulis copulantur transgressores legis h. e. peccatores in ecclesia intelliguntur. In cilicio quippe peccatum ostenditur propter (h) oedos qui ad sinistram ponuntur. In undenario vero numero transgressio praeceptorum sanctorum monstratur. Sed hic vela cilicina quinquagenis ansulis copulantur, quia inveniunt peccatores in ecclesia poenitentiae signum per quod spem remissionis per indulgentiam adsequantur peccatorum. Unde et quinquagesimus psalmus veniae et remissionis est. Per pelles vero arietum duces praepositique ecclesiae ostenduntur qui contra procellas et turbines seculi quasi ecclesiae tegmentum laborant. Per oppansum velum in medium tabernaculi velamen intelligitur legis. Cujus secreta populus ille interjecto velamine videre non poterat, sed posteaquam Christus adveniens tempore passionis velum illud a summo usque ad deorsum disrumpit, omnia illa quae antea erant occulta per Domini passionem ad nostram fidem sunt revelata. Per diversa vero donaria templi munera significantur meritorum quibus ornatur ecclesia. Porro unguentum quo perungitur tabernaculum chrisma est, quo ungitur populus fidelis in ecclesia, in quibus divinitas tanquam in tabernaculo habitat. Incensum autem orationes fidelium esse monstrantur. Secundum quod in apocalypsi illi viginti quattuor seniores procidentes ante agnum habebant unusquisque citharas et fialas aureas plenas adoramentis supplicationum quae sunt orationes sanctorum.

QUAEST. Quid per indumenta pontificis demonstratur quibus induebatur Aaron sacerdos intrans in sancta sanctorum?

RESP. Aaron sacerdos qui cruore victimarum populum expiavit verum summumque sacerdotem significat Christum qui sacrificio sanguinis sui peccata diluit mundi. Vestis ejusdem sacerdotis ecclesia est, quam exhibuit sibi Christus gloriosam non habentem maculam neque rugam. Quattuor colores, ex quibus vestis illa contextitur meritorum, diversitatem quae intra sanctam ecclesiam in Christi corpore rutilat. Poderem illam lineam incarnationem Christi accipimus quae de terra

est. Ciarim super caput ejus auream splendorem divinitatis intelligimus. Feminalia vero illa castitatem corporis Christi et integritatem ostendunt. Cingulum illud sacerdotale chorus sanctorum est vel concordia fratrum qui in unitate fidei Christum amplectunt. Tunica vero talaris a capite usque ad plantas dimissa eadem ecclesia Christi est a principio mundi usque in finem temporum permansura. Mala punica in inferioribus posita ejusdem ecclesiae unitatem declarant. Tintinnabula autem inter mala granata consonantia prophetae intelliguntur et doctores sancti in medio ecclesia collocati. Quorum lingua doctrinae scientiam resonans tangit utramque tintinnabuli i. e. partes legis et evangelii. Haec autem tintinnabula in extremo vestimenti sunt posita ut doctores sancti de fine mundi et de vita futura disputantes nunquam sileant. Superhumeralis autem illud potestatem insinuat salvatoris et regnum quia *principatus ejus super humeros ejus*. Duo lapides smaragdini in superhumerali partes positi duo vero sunt populi Christo conjuncti qui habent in se sculpta nomina duodem patriarcharum i. e. ad imitamentum vitae exempla sanctorum apostolorum. Possunt et hi duo lapides duo testamenta intelligi sive littera et spiritus in quibus tenentur legis universa mysteria, in dextra scilicet superhumerali parte spiritus, in laeva littera. Rationale vero pectori superpositum et quaterno lapidum ordine distinctum sermonem figurat evangelicum, qui quadruplicato ordine veritatem fidei nobis et doctrinam trinitatis exponit. Explicit liber exodi.

INCIPIT DE LIBRO LEVITICI.

QUAEST. Quid significatum est per hoc quod ignis in sacrificio veteri figuraliter apparebat?

RESP. Nisi quod in hunc intercessu sacrificii per Spiritum sanctum universa absolvuntur peccata.

QUAEST. Quid est quod mel in sacrificio non offertur?

RESP. Per mel enim voluntas carnis monstratur. Mel enim in Dei sacrificio non offertur quia nihil voluptuosum nihilque suave mundi hujus Domino placet. Unde et pascha cum amaritudinibus manducatur i. e. cum contritione spiritus, quia contritum et humiliatum Deus non deserit.

QUAEST. Quid est quod sal in omnibus sacrificiis jubetur admisceri?

RESP. Id est ut omnia quae ad Christi honorem offerimus sal rationis atque discretionis semper accipiant.

QUAEST. Quid est quod in sacrificio veteri oleum offerebatur?

RESP. Nisi ut quidquid ad cultum Christi et devotionem sanctorum impendimus totum cum (h)ilaritate faciamus. *Hilarem enim datorem diligit Deus.*

QUAEST. Quid significant quattuor genera oblationum, quae in exordio levitici continentur, i. e. vitulum de armento, agnum de ovibus, turturem et columbam ac similam azymam, quod in testamento veteri libabatur?

RESP. Per vitulum de armento Christus demonstratur ex patriarcharum progenie descendens. Qui aratro crucis suae terram carnis nostrae perdomuit atque Spiritus sancti semine virtutum frugem ditavit. Secunda hostia, agnus de ovibus ablatus, idem Christus propter innocentiam figuratur. Tertium sacrificium dicitur turtur et columba. Per

turturem carnem Christi accepimus quia *speciosae genae tuae sicut turtur*. Per columbam vero Spiritus sancti figura monstratur, quia Dominus dicit: *in quem videris spiritum descendantem sicut columbam, hic est filius meus*. Hic turtur et columba vero Christi est caro sancto Spiritui sociata, et per mysterium passionis sacrificium Deo in odorem suavitatis effecta. Ista tria sacrificia offert homo i. e. Christus Jesus; quantum autem anima offert i. e. ecclesia. Offert itaque ecclesia sacrificium de similia quae ex convenientibus membris quasi similia ex multis credentium granis collecta est. Legis et evangeliorum mola in littera et spiritu separatur. Per aquam etiam baptismatis adunata crismatis oleo peruncta sancti Spiritus igne solidatam et per humilitatem spiritus Deo hostia placens effecta. Hae sunt quattuor oblationes quadriformem Christi ecclesiae habitum demonstrantes.

QUAEST. Quid quod in lege praecipitur de eo qui iuramentum protulit ut vel male quid vel bene faceret atque hoc ipsum oblivione transcendet jubetur, ut offerat agnum de gregibus sive capram. Sin autem non potuerit offerre pecus, offerret duos turtures aut duos pullos columbae, unum pro peccato et alterum in holocaustum?

RESP. Iuramentum utique proferre est voto nos divinae servitutis alligare. Et cum bona opera promittimus bene nos facere spondimus. Cum vero abstinentiam cruciatumque carnis nostrae vovemus male ad praesens nos nobis facere iuramus. Sed haec transgrediens pro peccato agna offerri de gregibus sive capra praecipitur. Quid enim per agnam nisi activae vitae innocentia. Quid per capram quae in summis saepe extremisque pendens rupibus pascitur nisi contemplativa vita significatur. Qui ergo se conspicit promissa haec proposita non implere in sacrificium Dei sese studiosius debet vel innocentia boni operis vel in sublimi pastu contemplationis accingere; et bene agna de gregibus, capra vero offerri de gregibus non jubetur, quia activa vita multorum est, contemplativa paucorum. Dum enim haec agimus quae multos agere et egisse conspiciamus quasi agnam de gregibus damus. Sed cum offerentis virtus ad agnam capramque non sufficit in remedio poenitentis adiungitur ut duo columbarum pulli vel duo turtures offerantur. Scimus quia columbarum pulli vel turtures pro cantu gemitus habent; quid ergo per duos columbarum pullos vel duos turtures nisi duplex poenitentiae nostrae gemitus designatur. Ut cum ad offerenda bona opera non adsurgimus nosmetipsos dupliciter defleamus, quia et recta non fecimus et prava operati sumus. Unde et unus turtur pro peccato, alter vero offerri in olocaustum jubetur. Olocaustum namque totum incensum dicimus; unum ergo turturem pro peccato offerimus cum pro culpa gemitus damus. De altero vero olocaustum facimus cum pro eo quod bona negleximus nosmetipsos funditus succedentis igne doloris ardemus.

QUAEST. Quid est quod filii Aaron imponentes altari ignem alienum igne divino exusti sunt?

RESP. Hi filii Aaron illos significant qui Dei traditione contempta alienas doctrinas appetunt et sacrificia prophana adsumunt.

QUAEST. Quid est quod per legis mandatum omne animal quod ruminat et ungulam findit munda dicuntur, quod ruminat vero et ungulam non findit immunda narratur?

RESP. Per hoc etenim praeceptum non pecora sed mores hominum discernuntur. Denique ii homines mundi sunt qui ruminant et in ore semper portant quasi cibum praecepta divina. Hi et ungulam findunt quia duo testamenta legis et evangeliorum credentes firmo gressu innocentia vitae incedunt. Judaei autem ruminant quidem verba legis sed ungulam non findunt, quia nec duo testamenta recipiunt nec in patrem et filium fidei suae gressus statuunt, propterea immundi habentur. Haeretici vero licet ungulam findant atque in patrem et filium credentes duo testamenta recipiant, tamen quia doctrinam veritatis in ore non ruminant et ipsi immundi sunt. Quod autem in piscibus hi qui squamam ac pinnulas habent pro mundis habentur, homines intelliguntur fortes in fide habentes pinnae contemplationis i. e. desiderio ad superna tendentes. Qui autem sine squamis sunt, immunda sunt quia dicari (?) et lubrici et effeminati mores in eis improbantur.

QUAEST. Quid est quod in lege praecipitur, mulierem quae masculum parit septem diebus esse immundam et octava purificari. Quae autem feminam peperit bis septem diebus in immunditia scribitur permanere?

RESP. Per septem dies praesentes vitae tempus accipitur quia in septimana dierum consumatus est mundus. In quo tamen die purgandus est ille qui viriliter egit, et statim munda efficitur mater quae genuit eum, quia purgatam vitii carnem e resurrectione suscipiet. Qui vero nihil in se habet virile adversus peccatum sed remissus et effeminatus permanserit in actibus suis iste neque in praesentis saeculi ebdomada neque in futura purgabitur ab immunditia sua.

QUAEST. Quid intelligitur dive(r)sitas leprae quae in lege notatur?

RESP. Lepra quippe doctrina est falsa. Unde aperte leprosi intelliguntur haeretici quia unitatem fidei verae non habentes varias doctrinas profitentur erroris. Unde legislator sex species leprae in homine posuisse notatur, prima capitis et barbae, secunda calvitii et recalvationis, tertia carnis et cutis, quarta cutis corporis et cicatricis alvae cum rubore, quinta ulceris et cicatricis, sexta ustionis. In capite lepram portant qui in divinitate vel in ipso capite quod est Christus male intelligendo peccant. In barba lepram gerunt qui de apostolis et sanctis Christi perverse aliquid sentiunt atque eos parvum quodlibet praedicasse confingunt; quia sicut barba ornamentum est viri ita sancti apostoli et doctores ornamentum praestant corpori Christi. In corpore lepram habent, qui ecclesiae detrahunt. In carne et cute lepram gerunt qui carnalia vel exteriora suadere conantur. In cicatrice sanati ulceris lepram portant qui post manifestationem fidei quam per novum testamentum a Christo suscepit, ad veterinosos doctrinae errores revertatur. In carne viva gestat lepram qui de anima quae vita est carnis aliquod falsum existimat, sicut qui animam de carnis substantia propagatam asserunt vel ipsam animam simul cum corpore mori putant. In cicatrice ustionis lepram habent qui inani abstinentiae cruciatu corpora sua exurunt et per infidelitatem non munditiam inde sed lepram gignunt, *ad tendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum in hypocrisi loquentium mendacium et cauteriatum habentes suam conscientiam prohibentium nubere et abstinere se a cibis quos Deus creavit ad percipiendum.*

QUAEST. Quid significatur per colores harum leprarum in lege i. e. pallidam rubentem albam lividam nigram et florescentem?

RESP. Per pallidam lepram inbecillem et fragilem fidem animae denotavit; per rubicundam homicidii cruore mentem infectam ostendit, per albam illos haereticos indicat qui se mundos appellant, vel illos qui de falso merito gloriantur; per lividam invidiae et livoris notas abominant; per nigram idololatriae sacrificio denigratam conscientiam detestat; per florescentem vero avari crimen ostendit.

QUAEST. Quid intelligitur per legem in pontifice magno cujus manus in sacerdotio consecratae sunt?

RESP. Sacerdos magnus inter fratres suos Christus est qui post resurrectionem suam dixit: *vade ad fratres meos et dic eis: ascendo ad patrem meum, et patrem vestrum Deum meum et Deum vestrum. Super cujus caput fustum est unctionis oleum juxta quod de eo scriptum est: Unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae prae participibus tuis.* — *Cujus consecratae sunt manus* i. e. eas in passione extendit pro expiatione totius seculi. *Vestimentum ejus non scinditur* quia ecclesiam suam quae illi inhaerendo vestis est propria non patitur dividi in haereses et scismata. *Ad mortuum non accedet* quia peccatum non fecit. Anima enim quae peccavit ipsa morietur. In patre et matre non contaminabitur, quia Christus nec in patre pollutus est cum ante secula nasceretur de patre nec in matre commaculatus est cum in seculo nasceretur ex matre. *De sanctis non discedit* quia Christus susceptionem carnis sic suscepit in mundum ut nunquam desereret coelum. *Viduam et repudiatam et meretricem non ducet in uxorem sed virginem.* Vidua et repudiata est sinagoga, de qua per Isaian dicitur: *quis est hic liber repudii matris vestrae quo dimisi eam.* Meretrix autem haeresis est quae multorum errori vel libidini patet. Tales non copulantur Christo nisi sola virgo ecclesia quae non habet maculam neque rugam, de qua apostolus ait: *respondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Haec quidem quae de summo sacerdote in Christo praedicta sunt sic interpretantur in membris suis et maxime in sacerdotibus ad quos pertinent spiritalia sacramenta. His igitur jubetur ne caput disco operiant i. e. ut sacramenta Christi velamento mysteriorum honorent. Vestimenta non scindent ne ad haeresim vel scismata transeant. Ad mortuum non ingrediuntur ut ad omne peccatum quod ad mortem pertinet non accedant. Super patre suo et matre non inquinabitur scilicet ne tanta pietate indulgeat parentum amorem, ut Dominum suum offendat et creatorem, neque ita misereatur propinqui ut erga Deum videatur culpabilis. Quanti enim clericorum et monachorum curam gerunt parentum, suas animas perdiderunt. De sanctis non egreditur ut semper in opere et cogitatione sancta moretur. Viduam et repudiatam et meretricem non ducet uxorem sed virginem i. e. ut nihil de vetere homine et pristina voluntate amplectant sed vitam omni puritate florentem possideant.

QUAEST. Quid est quod inter haec praecipitur ipsis sacerdotibus ut ministrantes in templo vinum et siceram non bibant nec habeant partem in terram nisi solum Deum?

RESP. Jubetur eis ut vinum et siceram non bibant i. e. ne ebrietate et crapula et curis hujus vitae praegraventur corda eorum nec

etiam habeant partem in terram ne dum de terrenis cogitant superna obliviscantur.

QUAEST. Quid est quod ab hujus convivio jubetur vicinus et mercenarius separari et servis tantum ciborum dari reliquias?

RESP. Vicinus haereticus est, qui proximum se titulo christiani nominis adserit. Mercenarium Judaeum ostendit qui fructum observantiae legis carnaliter quaerit. Cum istis ergo sacerdos Dei non participat evangelii pabulum quod est ad refectionem animarum, sed tantummodo cum servis Christi.

QUAEST. Quid est quod in sacerdotibus dari jubetur de his quae superferuntur altari pectus et brachium dextrum?

RESP. Per pectus ut habeat mundas cogitationes in pectore et legis doctrinae notitiam. Per brachium dextrum opera bona ad pugnam contra diabolum et armatam manum ut bonum quod corde conceperit operum exemplis perficiat. Datur ei et de privato maxilla ut eloquentiam habeat. Datur ei et de victimis venter cujus indicio discat luxuriam extinguere et corrumpere gulam.

QUAEST. Quid est quod inter haec jubetur ipsis sacerdotibus ut nulla debilitate insignes sint, nec caecus nec claudus vel parvo aut grandi aut torto naso, nec fracto pede aut manu nec gibberosus, nec lippus nec albuginem habens in oculo, nec jugem scabiem, nec impetiginem in corpore nec ponderosus?

RESP. Quae omnia referuntur ad animae vitia. Mens enim in homine non natura damnatur. Caecus quippe sacerdos est qui scripturae scientiam non intelligit et quo gressus doctrinae vel operis porrigat per ignorantiam nescit. De talibus enim scriptum est per Isaiam: *speculatores ejus caeci omnes*. Claudus est qui quidem intelligit quid docere debeat sed tamen praecepta quae docet (non) implet. Parvo antem naso est qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est. Grandi et torto naso est furibundus et minax cum superbiae arrogantia vel immoderata discretionem. Fracto pede vel manu est qui via Dei quam docet pergere non studet. Gibberosus sacerdos est quem terrenae cupiditatis pondus deprimit et tardius ad superna intendit. Lippus est cujus quidem ingenium ad cognitionem veritatis emicat, sed hoc carnaliter quidem vivendo obscurat. Albuginem habet quidem in oculo qui arrogantia sapientiae seu justitiae caecatur. Jugem habet scabiem cui carnis petulantia sine cessatione dominatur. Impetiginem habet in corpore qui avaritia vastatur in mente. Quae si in parvo non compescitur nimirum sine mensura dilatatur. Ponderosus est qui si et turpitudinem non exercet opere, cogitatione tamen continua sine moderamine gravatur in mente. Talis nec sancta ingredi nec nomen antistitis poterit possidere quia et terrenis gravatur desideriis et expers est scientiae veritatis.

QUAEST. Quid est quod Moyses juxta praeceptum Dei lavisse Aaron et filios ejus legitur et sic eos applicasse ad sancta?

RESP. Jam enim tunc purgationem mundi et rerum omnium sanctitatem baptismi sacramenta significabant.

QUAEST. Illud autem quid sibi velit, quae gerebantur in sacrificio vituli vel hircorum pro sacerdotis peccato?

RESP. Vitulus itaque hic qui pro peccato sacerdotis et totius po-

puli emundatione occidi jubetur figuram Domini et salvatoris nostri in semetipso lineabat. Qui non solum pro peccatis sacerdotalis populi verum et pro omni humano genere cunctisque nationibus ad aram crucis est immolatus. Duo autem hirci duorum populorum figuram praespiciua ratione demonstraverunt propter originalem peccati praevagationem hircorum formam gerentes. Ex his unus in sorte Domini venit, significans populum credentium per cultum poenitentiae habere consortium in regno Dei. Alius vero hircus qui in sorte Domini non venit similitudinem tenet infidelium qui nunquam in Christum credere voluerunt. Hi itaque in similitudinem hirci dimissarii accipiunt maledictionem totius populi et omnes iniquitates humani generis et projiciuntur in desertum locum. Sed quid est omnes iniquitates et maledictiones hunc hircum accipere, nisi quia omnia peccata quae ab Adam usque ad Christum humanum genus admisit illi soli sunt percepturi qui neque credere in Christo neque expiari Christi sanguine voluerunt.

QUAEST. Quid significare videtur universa diversitas victimarum, quae in hoc Levitico libro dinumerantur, quae debeant vel offerri vel non offerri?

RESP. Pro comparatione quippe pecudum in sacrificio conversatio hominum demonstratur, per panes quoque alienigenarum, qui non offerri mandantur, doctrina haereticorum, vel studia superstitiosa secularium litterarum, quae extra fidem sicut aliena putantur.

QUAEST. Quid est quod quaeritur a quibusdam Judaeis dicentibus: Quare non circumcidatur carne Christianus, si Christus non venit legem solvere, sed adimplere?

RESP. His protinus respondendum est: Idcirco jam non circumciditur Christianus, quia id quod eadem circumcisione prophetabatur, jam Christus implevit. Expoliatio enim carnalis generationis, quae in illo facto figurabatur, jam Christi resurrectione adimpleta est; circumcisio igitur Judeorum in carne, quae gerebatur octava die, justificationem. Novi Testamenti, quae populi Christianorum figurabat adventum per baptismi sacramentum, per eum qui die octava, quae est prima post sabbatum, et a passione tertia die resurrexit.

QUAEST. Quaeritur itaque, cur sabbati otium non observet Christianus, si Christus non venit legem solvere sed adimplere?

RESP. Respondetur, imo id propterea non observat Christianus, quia quod ea figura prophetabatur, jam Christus implevit. Sabbatum enim Hebraeis ex interpretatione vocabuli requies nominatur, eo quod in ipso die requievisset. Siquidem et eo die requievit Dominus in sepulcro, ut quietis illius mysterium confirmaret, quod Judaeis observandum in umbra futuri praeceptum est; sed postquam Christus in sepultura sua ejus figuram adimplevit, observatio ejus quievit; unde jam nos quidem supervacuum ducimus juxta litteram observantiam sabbatorum, ex quo per Christum spes revelata est nostrae quietis.

QUAEST. Item quaeritur quare Christianus non observet differentiam ciborum, quae in lege praecipitur si Christus non venit solvere legem sed adimplere?

RESP. Ideo hoc non observat Christianus, quia quod illis figuris prophetabatur, jam Christus implevit. Non admittit ad corpus suum,

quod est ecclesia Sanctorum, quidquid per illa animalia in moribus im-mundorum hominum significatum est.

QUAEST. Item quaeritur quare Christianus non animalibus immola-tis carnis et sanguinis sacrificia offerat Deo, si Christus non venit legem solvere sed adimplere?

RESP. Propterea enim haec Christianus jam offerre non debet, quia ea quae a talibus rerum figuris illa prophetabant, jam immolatione car-nis et sanguinis sui Christus implevit.

QUAEST. Item quaeritur, cur azyma sicut Iudaei non observet Chri-stianus, si Christus non venit solvere legem sed adimplere?

RESP. Propterea magis hoc non observat Christianus, quia quod illa figura prophetabatur, expurgato veteris vitae fermento, novam vitam demonstrans, jam Christus implevit, praecipiens nobis ut ambulare de-beamus in azymis sinceritatis et veritatis toto hujus vitae tempore, quod septenario dierum numero volvitur.

QUAEST. Item quaeritur cur de carne agni Christianus pascha non celebret?

RESP. Quia id quod illa figura praenunciabatur agnus immaculatus sua passione Christus implevit.

QUAEST. Quid similiter et per celebrationem novae lunae figura-batur?

RESP. Id est nova creatura in Christo per baptismum reparata.

QUAEST. Quid et per scenopegia, quod est dedicatio tabernacu-lorum?

RESP. Quia jam tabernaculum Dei fideles ejus esse coeperunt, in quibus ipse habitare dignatur i. e. in medio ecclesiae sanctorum.

QUAEST. Quid etiam et per septimum annum remissionis?

RESP. Nisi quia jam nos per Christum septimam illam requiem futurae beatitudinis speramus, quando recipient sancti omnesque animae terram corporum suorum, a quibus exierant, ut possideant eam in aeternum. *Explicit.*

INCIPIT DE LIBRO NUMERORUM.

QUAEST. Propter quod appellatus est liber numeri?

RESP. Eo quod egressus Israeliticae multitudinis populus ex Aegypto in eodem perfectorum virorum computatio et numerus teneatur insertus. In quo etiam profectioes eorum et mansiones a finibus Aegypti usque ad locum et tempus in quo Moyses defunctus est numerantur.

QUAEST. Quid significant quadraginta duae mansiones filiorum Israel per deserta usque ad terram promissam?

RESP. Harum numerus mansionum numerus intelligitur generatio-num, per quas pervenitur ad Christum quibus est et terra virginea repromissa i. e. ab Abraham usque ad David generationes quattuor-decim et a David usque ad transmigrationem Babilonis generationes quattuordecim. Et a transmigratione Babilonis usque ad Christum ge-nerationes quattuordecim i. e. simul generationes quadraginta et duae. Per has currit omnis Israelita verus qui de terra transire festinat ad coelum. Per quod et Dominus atque salvator a primo patriarcha pervenit

ad virginem quasi ad Iordanem quae pleno gurgite fluens spiritus sancti gratiis redundavit.

QUAEST. Quid figurarum est gestum per tot catalogos mansionum cum ostensione virtutum?

RESP. Prima mansio est Ramasse, quod interpretatur commotuum vel tonitruum. Egressi namque filii Israel ex Aegypto altero die post pascha primo mense novarum frugum venerunt Ramasse. Aegyptus namque hic mundus est. Adeo per hoc in figura monstratum est quia cum commoti fuerimus ad praedicationem evangelicae tubae ut ad coelestis patriae desideria attendamus exeuntibus nobis in mense primo i. e. quando cuncta renovantur per Christum, primum quasi in Ramasse ita in tonitruis evangelicae praedicationis nostram intentionem defigimus. Secunda mansio est in Soccoth quod interpretatur tabernacula sive tentoria per quod sancta ecclesia figuratur, in qua praedicatione evangelica collocamur. Tertia mansio est Ethiam quod interpretatur fortitudo sive perfectio; in qua mansionem primum videtur Dominus praecedens populum in columna ignis sicut et nobis postquam in ecclesia collocamur scientiae Christi lumen refulget. Quarta mansio est Phairoth quae interpretatur os nobilium, significans quia nos adsumpta fortitudine divisione Domini i. e. cognitione scientiae Christi nobilitamur in fide Aegypti i. e. mundi in falsa declinantis. Quinta mansio est Mara quod sonat tabernacula transmigrantium ad quae nos pervenimus transacto mari rubro quod baptismum figuratur, et per crucis lignum in amaritudine litterae legis spiritualis nobis suavis compenditur. Sexta mansio est Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum quasi duodecim figurae apostolorum et septuaginta palmae in typo septuaginta discipulorum, per quorum praedicationem ad palmam victoriae Christi totus mundus occurrit. Septima mansio est iterum ad mare rubrum quod est baptismi typus cruore dominico consecratus. Octava mansio est in solitudine Sin qua tenditur usque ad montem Sinai. Sin interpretatur rubus vel odium. In rubo namque ecclesia demonstratur ubi dum venerimus grande odium patimur inimici. Nona mansio est in Depethath quae dicitur pulsatio, quia postquam venerimus in locum ecclesiae incipimus pulsare ut aperiatur nobis sacramenti dominici janua. Decima mansio est in Alus, tribuitur ubi manna i. e. sacramenta intelligentiae divinitatis Dei quod est panis angelorum omniumque fidelium. Undecima mansio est in Rafidin ubi Jesus in typo salvatoris militat contra Amalech i. e. diabolus et in signo crucis omnia tentamenta daemonum devincuntur. Ibi venit Jetro ad Moysen i. e. ecclesia ex gentibus ad Christum, dans consilium septuaginta seniorum i. e. omnium gentium congregationem quos replevit spiritus Dei. Duodecima mansio est in solitudine Sinai. Sinai quippe interpretatur rubus quo significatur ecclesia in qua nobis juxta numerum duodecim mansionum duodecim apostoli praedicant. In hac mansionem Sinai i. e. ecclesia datur lex populo Dei. Ibi fabricatur tabernaculum in typo ecclesiae, indumentaque pontificum et levitarum caeremoniae vel cuncta tabernaculi utensilia quae ad cultum sanctae ecclesiae referuntur. Ibi fit pascha secundi mensis in typo secundae nativitatis per lavacri sacramentum. Ibi ab anno vicesimo adnumerantur populi qui ad proelium eliguntur significans per mysterium quia ab hac aetate annorum contra

unumquemque vitiorum bella nascuntur. Ideoque eliguntur ad pugnam ut habeant contra has libidines conflictum ne luxuriis superentur. Ibi ab anno vicesimo et quinto levitae tabernaculo ecclesiae servire mandantur. Ex quinquagenario per quod jam interna requies domito bello mentis exprimitur custodes vasorum Dei fieri mandantur. Ibi fieri jubentur duae tubae in typo duorum testamentorum quorum percepto clangore populi moveantur ad proelium i. e. ad resistendum hostilium tentamentis. Tertia decima mansio est in sepulcris concupiscentiae ubi populus fastidians coelestem panem carnes Aegyptias desideravit. Quo exemplo docemur ut qui conversationem reliquamus seculi et simplicem mannae cibum i. e. puram et coelestem vitam quaerimus carnales hujus seculi voluptates et concupiscentias pristinorum morum jam non debeamus adpetere, ne vertatur desiderium nostrum in tumulos et simus sicut sepulcra dealbata quae foris apparent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia. In hac mansionem descendit Dominus in nube et retraxit de spiritu qui erat in Moyse et dedit septuaginta viris, significans in nube carnem Christi diffusam esse per fidem Spiritus sancti gratia super populos ex septuaginta gentium linguis electos. Quarta decima mansio est in solitudine Aseroth ubi Maria in typo sinagogae obtrectans contra Moysen i. e. Christum propter uxorem suam Aethiopissam i. e. ecclesiam ex gentibus, ideo leprae sorde perfunditur nec redit ad tabernaculum ecclesiae, donec post numerum septem dierum i. e. post agnitionem septiformis spiritualis gratiae ad veniam plebs illa fuerit suffragata. Quinta decima est in Rettma quod intelligitur sonitus sive juniperus. Fertur autem juniperi lignum multo tempore conservare ignem ita ut si pruna ejus cinere fuerit adoperta, usque ad annum perveniat. Ex quo innuitur post sepulcra concupiscentiae transire nos ad lignum tempore multo calens ut sinus ferventes spiritu et claro sonitu atque in altum exaltata voce evangelium Domini praedicemus. Ex hac mansionem usque ad tricesimam secundam ea quae per historiam mysterialiter gesta sunt nunc notantur quia non sunt per mansiones singulas singulariter distributa. Duodecim namque exploratores mittuntur Scribarum ac Phariseorum gestantes imaginem qui terruerunt Dei populum gratiam divinae promissionis adipisci se posse per Christum. Botrus quippe defertur in ligno a duobus portatoribus duorum populorum significantia exprimens; inspicient Christum in ligno pendentem; quorum prior Judaicus gradiens adversus terga dat Christo, posterior Christianus quum eam portat et inspicit et sequitur Christum. Ibi quidam homo reperitur sabbato ligna colligans, significans quem cum peccato dies judicii invenerit. Ex hinc sequitur excidium Core Datan et Abiron et ceterorum qui se a Moyse et Aaron segregantes sacrificandi sibi licentiam usurparunt, haereticae pravitatis ostendentes perniciem, qui se a sacerdotibus Christi et a societate ecclesiae dividunt et sacrificia profana adsumunt. Hi ob temeritatis audaciam terrae compagibus ruptis viventes profundi hiatus merguntur, significantes impium dogma haeticorum in ignem aeterni judicii praeparata ultione perire. Deinde Aaron sanctus cernens ruinam mortis in populo turibulum accipiens obviam currit. significans illud tempus quando verus sacerdos Dominus Jesus Christus ruinam mortis in mundo aspiciens occurrit a

summo coelo venitque obviam quasi gigans ad currendam viam. Stetit inter priores et subsequentis temporis populos quasi inter vivos et mortuos. Sicque turibulum passionis suae accipiens et in odorem suavitatis suspendit ignis aeterni perniciem et inimicam pertulit mortem. Hic quoque et virga Aaron post siccitatem floruit, per quod caro insinuat Christum, quae posteaquam de Jesse radice subcisa est vivacius mortificata revivescit. Itaque virga post ariditatem virescens est Christus post mortem resurgens. Restat inter ea vitula rufa in olocausto concremata, cujus cinis expiatio populi est. Vitula ista rufa caro est salvatoris rosea sanguine passionis super quam non est impositum jugum quia caro Christi non est subjugata delicto. Quem ejecerunt filii Israel extra castra sicut et Christum crucifixerunt extra portus Jerusalem. Qui enim offerunt vitulum immundi sunt, quia qui apprehenderunt Christum et occiderunt peccatores habentur. Et qui ejus colligit cineres mundus est, quia qui passionem Christi et doctrinam ejus per orbem terrarum adspergentes populos Domino collegerunt isti mundi et sancti sunt in aeternum. Lignum autem et hyssopus crucem accipimus et baptismum per quod Christi sanguinem adjunctum corde et corpore mundamur ab omni delicto, ut simus mundi in die septima i. e. regno sanctorum. Sextima decima mansio est in Ratmoth quod dicitur malum punicum, significans ecclesiam ex multis nationibus ad fidei unitatem collectam. Septima decima mansio est in Lebna, quod intelligitur *in latere*; per quod carnalia opera designantur per quae arguentur plerique qui post ordinem ecclesiasticum videntur ad opus laterum i. e. carnalia opera transmigrare. Octava decima mansio est in Ressa, quae vertitur *in frenos*, ut cursus vagi atque praecipites eorum qui ad lutulenta opera descendunt scripturarum retinaculis dirigantur. Nona decima mansio est in Calta quae interpretatur ecclesia, scilicet ut gressus vagantium scripturarum frenis ad ecclesiam retrahantur, et fores quas ante relinquerant rursus intrare festinent. Vicesima mansio est in monte Geser, quod interpretatur pulcritudo quod est Christus ad quem perveniat, qui per frenos scripturarum ex vagatione ad ecclesiam reducantur. Vicesima prima mansio est in Arada quod est miraculum, scilicet ut post frenos intromittamur in ecclesiam. Post habitationem ecclesiae ascendimus ad Christum in quo positi miraculum gloriae aeternae conspiciamus. Vicesima secunda mansio est in Maceloth quod est multitudo credentium, unde scriptum est: *ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum*. Vicesima tertia mansio est in Taad quod est pavor i. e. custos beatitudinis. Vicesima quarta mansio est in Thareth quod vertitur in malitiam, scilicet ut sollicitus sit quisque qui habet pavorem de divinis miraculis ne malitia diaboli de ecclesia abstrahatur. Vicesima quinta mansio est in Metca quod est in *dulcedinem*. Scilicet ut qui ascendit in excelsum et admiratus est Christum timuitque ruinam et depulit insidiatores, iste dulcedinem illam adsequitur mysteriorum Dei de qua scriptum est: *quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel et favum ori meo*. Vicesima sexta mansio est in Asmana i. e. in festinatione. Scilicet ut refecti dulcedine eloquiorum Dei festinemus ad altiora obliviscentes terrena. Vicesima septima mansio est in Moseroth quod interpretatur vincula. Illa scilicet vincula Christi de quibus Isaias dicit: *virī sublimes*

ad te transibunt et tui erunt servi et postea ambulabunt colligati in vinculis. Vicesima octava mansio est Baneiacam quod interpretatur *in filios*. Qui sunt isti filii nisi illi de quibus dicit psalmista: *afferte Domino filii Dei*. Vicesima nona mansio est in monte Gualgat quod interpretatur concisio. Denique non enim esse possumus filii Dei nisi occisa et extincta fuerint in nobis omnia vitia delictorum. Tricesima mansio est Jethetha quae interpretatur bonitas quae est Christus. Tricesima prima mansio est in Ebrona quae interpretatur transitus i. e. mundus unde debemus transire ad meliora. Tricesima secunda mansio est in Asingaber, quod dicitur ligna saltus, per quod multitudo credentium figuratur. Tricesima tertia mansio est in Cades i. e. in sancta. In hac mansionem moritur Maria et sepelitur i. e. sinagoga juxta litteram moritur ut ecclesia per gratiam revivescat. In hac mansionem propter aquas contradictionis Moyses offendit Dominum et pro(h)ibetur transire Jordanem. Perturbatusque murmure populi dubitanter petram virga percussit sed ilico aquae fluxerunt et torrentes vallum inundaverunt. In scriptis sanctis Moyses pro aliis atque aliis miraculis aliam atque aliam gerit personam. Unde in hoc loco populi Judaeorum sub lege positi induebat figuram. Nam sicut Moyses petram virgam percussit de Dei virtute dubitavit, ita ille populus qui sub lege per Moysen data tenebatur Christum ligno conficiens cum virtutem Dei esse non credit. Sed sicut percussa petra manavit aquam sitientibus, sic plaga dominicae passionis effecta est vita credentibus. Tricesima quarta mansio est in monte Hor, quod est in extremis finibus Edom, quasi in extremo veteris testamenti. Ibi moritur Aaron i. e. vetus sacerdotium, ut per figuram Eleazari novi testamenti sacerdotium successionem monstraretur. Hic enim in figura Christi et Jordanem sanctificans transiit et cum arca sanctae ecclesiae populum ad patriam repromissam praecedat, Jesu ipso salvatore vero ducatum praebente. Tricesima quinta mansio est in Solmona. Tricesima sexta mansio est in Funon. Hae duae mansiones in ordine historiae non inveniuntur. Hic filii Israel manna fastidiunt et a serpentibus vulnerantur. Nec evadit serpentibus, nisi qui respicit serpentem aeneum in ligno pendentem. Serpens namque in ligno est caro Christi in cruce, secundum quod ipse Dominus dixit: *sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto sic exaltari oportet ad terram filium hominis*. Denique mannam fastidiunt qui divinitatem Christi contempnunt. Sed hi a serpentibus vulnerantur i. e. diaboli mortifero veneno serpuntur. Nec redeunt ad salutem nisi qui aspiciunt aeneum serpentem pendentem i. e. qui confitentur Dominum Jesum Christum gloria crucis in hujus mundi eremo de diabolo triumphantem. Tricesima septima mansio est in Oboth quae vertitur in Magos sive Pytones, quia post confessionem fidei quae corde creditur et ore confitetur magici pytones i. e. artes diabolicae vel haereticorum carmina ad bella nos provocant, sed nos obduramus aures nostras ne audiamus voces incantantium et sirenarum carmina negligimus. Tricesima octava mansio est in Jevanim, i. e. in acervos lapidum, sanctorum populum figurantium. Tricesima nona mansio est in Dibongat; hic militat populus contra Seon regem Amorreorum qui interpretatur temptatio oculorum, significans diabolus qui mendacio fallendi se velut angelum transfiguratur. Sed et contra Og regem Basan qui interpretatur con-

clusio, quia et ipse in typo diaboli accipitur qui difficultate vitiorum intercludere molitur viam fidei nostrae ne pateat nobis transitus ad regnum promissum vitae aeternae. Quadragesima mansio est in Selmon Deblata, quod vertitur in *contentu opprobriorum*. Scilicet ut continentes nobis opprobrium seculi nostri sequamur munimina salvatoris. Quadragesima prima mansio est in montibus Abbarim quod est contra faciem montis Nabo, ubi moritur et sepelitur Moyses, terra repromissionis ante conspecta. Nabo interpretatur conclusio, in qua finitur lex et non invenitur ejus memoria. Porro gratia evangelii quae succedet per Jesum absque ullo fine tenditur et in omnem terram exit sonus ejus atque in finem orbis terrae verba illius. Quadragesima secunda mansio est in campestribus Moab supra Jordanem juxta Jerico ubi fixerunt tentoria ab domo solitudinis usque ad Belsatim in planitie Moab ubi residens populus ad Balaam quem mercede conduxerat Balac. huc Dei jussu benedicitur et maledictio mutatur in laudes.

QUAEST. Quid est quod iste Balaam dum pervenire ad praepositum tenderet, asina cui praesidebat dum vidisset angelum loquitur?

RESP. Quae est enim haec asina nisi bruta gentilitas quam quondam Balaam i. e. seductor idolatriae quasi brutum animal et nulla ratione renitens quo voluit errore substravit. Sed ista angelum Dei vidit quem homo videre non potuit. Et vidit et detulit et locuta est ut agnosceremus posterioribus temporibus sub adventu magni angeli Dei gentilem illam plebem mutata duritie stoliditatisque natura solutis Deo linguis locuturam. Ita ut quae erat subjecta perfidiae in vocem fidei et confessionis erumpet. Sic et caro nostra animal est; plerumque enim caro per molestias tacta flagello suae menti Deum indicat quem mens ipsa carni praesidens non videbat. Ita ut anxietatem spiritus proficere in hoc mundo cupientis velut iter tendentis impediatur donec ei invisibilem qui sibi obviat innotescat. Unde et bene per Petrum dicitur: *correctionem habuit suae vesaniae subjugale mutum quod in hominis voce loquens prohibuit prophetae insipientiam*. Insanus quippe homo subjugali muto corripitur quando elata mens humilitatis bonum quod tenere debeat ab adflicta carne memoratur. Sed hujus correptionis donum idcirco Balaam non obtinuit quia ad maledicendum pergens vocem non mentem mutavit. Consilium quippe dedit regi Balac ut mulieres in meritorio poneret et ante januas earum aras, ut venientes filii Israel prius sacrificarent idolis et sic ingrederentur ad mulieres unde fornicatus est Israel cum filiabus Madian. Sed Finees sacerdos zelatus ut Domini furorem placaret zambrini et scortum madianitum pugione transfigit, significans per crucem Christi non solum idolatriam sed etiam omnem carnis affectum vel concupiscentiam perimi seculi et tunc placari Deum dum carnis extinguitur desiderium.

QUAEST. Quid est quod sexcenta milia armatorum de Aegypto numerantur egressi et ex ipsis non sunt amplius quam duo tantum terram repromissionis ingressi?

RESP. Hac figura demonstrat multos per baptismum ad fidem transire sed ad patriam coelestem valde paucissimos pervenire. Quod vero duo tantum ingrediuntur duorum populorum in Christo credentium figura monstratur sive activa et contemplativa vita ad aeternam beatitudinem pertinentes.

QUAEST. Quid est quod dehinc interpellant quinque filiae Salfat quae in iudicio Dei haereditatem accipiunt inter fratres suos?

RESP. Quia plebs quae sub quinque libris legis est ab evangelii possessione non excluditur si convertatur et vivat.

QUAEST. Quid est quod dehinc cum texeretur bellum contra Madianitas moritur ibi divinus Balaam?

RESP. In nece Balaam error perfidiae ligno crucis interficitur fitque inde Amalec praedae divisio i. e. oblatio animarum in tabernaculo Dei.

QUAEST. Quid est quod filii Ruben et Gat et dimidia tribus Manassae jumenta plurima habentes citra Jordanem possessionem accipiunt et in repromissionis terram haereditatem habere noluerunt?

RESP. Illorum personam figurant quos multa mundi implicamenta occupavit et ob hoc habitationem coelestis patriae nequaquam desiderant.

QUAEST. Quid est quod docetur dehinc populus ut intra sancta idola destructa nullus de priore habitatore servetur?

RESP. Scilicet ut dum per fidem in terram promissionis quae est sancta ecclesia ingredimur simul cum idolatria etiam omnia vitia extinguamus. Finit liber numeri.

INCIPIIT DE LIBRO DEUTERONOMII.

QUAEST. Quid indicat per hoc quod undecim diebus Deuteronomium a Moyse scribitur?

RESP. Nisi ad significandum judaicae plebis lapsum in evangelio per transgressionem decalogi mandatorum. Deuteronomium enim secunda lex dicitur, per quod novum testamentum aperte monstratur.

QUAEST. Quid est quod inter cuncta innumerabilia libri hujus praecepta interdicatur ne nemus complantetur juxta altare Dei?

RESP. Nemus frondentes arbores et infructuosae sunt solum ad delectationem visus plantatae. Tales sunt et gentiles qui rationem suam verborum decore componunt ut non convertantur a vitiis sed istius mundi seductione persuadeant. Nos autem secundum praeceptum Dei juxta altare nemus non plantamus si circa dominicam fidem nihil in verbis aut factis infructuosum aut illecebrosus componimus sed sola puritate veritatis scientiam praedicationis tenemus.

QUAEST. Quid est quod praecipitur intrantibus terram promissam et plantantibus ligna pomifera ut auferatur praeputia eorum pomorum?

RESP. Ligna quippe pomifera sunt opera virtutibus secunda. Praeputia quippe lignorum auferimus si primordia nostrorum operum adprobamus ne aliquid adversum subripiat et inde generetur reatus criminis unde per primordia boni operis putatur causa virtutis.

QUAEST. Quid est quod jubetur: *non operaberis in primogenito bovis et non tondebis primogenita ovium?*

RESP. In primogenito quippe bovis operari est bonae conversationis primordia in exercitio actionis seculi ostendere. Ovium quoque primogenita tondere est humanis oculis inchoantia bona nostra opera demundare. In primogenito ergo bovis non operamus si bonum quod robustius incipimus exercere in aperto citius non ostendimus. Et primogenita ovium non intendimus si quicquid innoenum agere inchoamus secreti velamine occultamus. Ad sola ergo divina sacrificia bovum pri-

mogenita oviumque proficiunt, si quicquid forte et innocuum incipimus hoc ad honorem intimi iudicis in ara cordis immolamus.

Non arabis in bove simul et asino. In bovis nomine populus ex circumcissione positus sub iugo legis accipitur. In asino autem populus gentium pertinens ad evangelium figuratur. In bove quippe simul et asino arat qui sic recipit evangelium ut judaicarum superstitionum ceremonias quae in umbra et in imagine praecesserant non relinquit. Ita in bove bene operantium vita. Fatuum sapienti in praedicatione non socies, ne per eum qui rem implere non valet illi qui praevallet obsistat.

Non alligabis os bovi trituranti. Dictum est quod in bovis nomine vita unicujusque operantis exprimitur. Et ideo dignum est ut recipiat operarius mercedem suam, ut qui spiritalia seminat illorum carnalia metat quibus verbum praedicationis erogare procurat. Sic enim dicit apostolus; *si nos vobis spiritalia seminavimus dignum est ut carnalia vestra metamus.*

Non coques (h) oedum in lacte matris suae. (H) oedus hic sub peccatoris figura introducitur, proinde omnis peccans non est coquendus in lacte matris i. e. non est purgandus mediocribus tenerrimisque ecclesiae disciplinis sed austerioribus praeceptis. Ejus sunt excōquenda peccata cujus magna sunt crimina, ut qui per lasciviae blandimenta se perdidit fortiori disciplina se redimat.

Non indues vestem et lana linoque contextam. Per lanam quippe simplicitas, per linum vero subtilitas designatur. Et nimirum vestis quae ex lana linoque conficitur linum interius celat et in superficie lanam demonstrat. Vestem ergo ex lana linoque contextam induet qui sub locutione innocentiae intus subtilitatem velat malitiae.

Non accipies loco pignoris superiorem aut inferiorem molam. Accipere namque aliquando dicimus auferre. Unde et aves ille quae rapiendis sunt avibus avidae accipitres vocantur. Unde et Paulus apostolus dicit: *sustinetis enim si quis devorat si quis accipit* acsi diceret: si quis rapit. Pignus debitoris est confessio peccatoris. A debitore enim pignus accipitur cum a peccatore jam peccati confessio tenetur. Superior autem et inferior mola est spes et timor. Spes quippe ad alta subve(h)it, timor tamen cor inferius premit. Sed mola quippe superior et inferior ita sibi necessario locantur ut una sine altera inutiliter habeatur. In peccatoris itaque pectore incessanter debet spes et formido conjungi, quia incassum misericordiam sperat sinon etiam justitiam pertimescat. Incassum justitiam metuit sinon etiam de misericordia confidet. Loco igitur pignoris mola superior aut inferior tolli prohibetur, quia qui peccatori praedicat tanta dispensatione componere praedicationem debet ut nec derelicta spe timorem subtrahat nec subtracta spe in solo eum timore derelinquat. Tollit enim superiorem si flenti peccator dicat: non habebis veniam de commissis; tollit inferiorem si peccantem deceptione palpet ac dicat: age mala in quantum vis absque metu, nam Deus pius est ad indulgendum paratus. Sed uliliter tunc mola utraque habetur si et spes sit cum emendante formidine et emendans formido fuerit cum spe.

Non abominabis Aegyptum, quia fuisti incola in terra ejus. Ut saepe dictum est per Aegyptum hic mundus accipitur. Et ideo quamdiu in isto seculo sum licet a discretionem ejus separemus sed viros Aegyp-

tios non abominamus. Quia secundum apostolum ex Aegypto seculi istius victu cotidiano indumentoque contenti sumus.

Non (h)abebis in saculo diversa pondera majus et minus. Scimus quia in negotiatorum duplice pondere aliud majus est aliud minus. Nam aliud pondus habent ad quod pensant sibi et aliud pondus ad quod pensant proximo. Ad dandum praeparant pondera leviora, ad accipiendum vero graviora. Igitur quasi unum pondus habet qui se ipsum sic pensat et sic diligit sicut et proximum suum. Omnis autem homo qui aliter pensat dilectionem proximi aliter suam pondus et pondus habet. Et ideo abominabilis est apud Deum quia nec sic pensat nec sic diligit proximum sicut se ipsum. Qui vero et in bonis sic proximum sicut se ipsum amat et diligit, et in malis sic proximum aspicit et judicat sicut se ipsum, iste unum et justum habere pondus meretur.

Non stabit adversus alterum unus testis sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Licet (hi)storialiter haec sit divina servanda sententia, tamen et cum contra quoslibet impios vel haereticos agimus, necesse nobis est ut adfirmemus verbum intellectus nostri ex testimoniis duorum testamentorum. Ad(h)ibeamus etiam et tres testes i. e. evangelium prophetam et apostolum quia in his stat omne verbum fidei veritate succinctum.

QUAEST. Quid praefigurat et illud quod jubetur ut uxorem fratris defuncti adhuc frater ejus jussus sit ducere ut non sibi sed in nomine defuncti fratris sobolem suscitet?

RESP. Frater iste defunctus Christus est qui post mortem carnis fratres nos appellare dignatus est dicens: *ite dicite fratribus meis.* Uxor vero fratris hujus unaquaeque (h)umana est anima. Et ideo jubetur ad hoc ut unusquisque evangelii praedicator ita laboret in ecclesia ad evocationem fidelium animarum ut per verbi semina in animabus audientium bonorum operationum germina parturiat. Et quotquot fidei filios sancta praedicatione generaverit defuncto fratri h. e. Christo, consociet et ejus nomen i. e. christianum vocabulum sortiatur.

QUAEST. Illud vero quicquid est quod jubetur ut homo formidolosus et corde pavido non egrediatur ad bellum sed vadat et revertatur in domum suam ne pavere faciat corda fratri suorum sicut et ipse timore perterritus est?

RESP. His verbis docet, non posse quemquam perfectionem contemplationis vel spiritalis militiae arripere exercitum, qui adhuc nudati terrenis opibus pertimescunt, ne rursus infirmitate mentis revertantur suoque exemplo alios ab evangelica perfectione vocent et infideli terrore infirmant. Jubentur itaque tales ut descendentes e pugna revertantur in domum suam quia non potest quisquam duplici corde bella Domini proeliare. Vir enim duplex animo inconstans in omnibus viis suis; tales quippe oportet ut ne initium quidem renuntiationis arripiant. Quibus melius est ut in activa vita consistent quam tepide contemplationem exsequentes majori discrimine semetipsos involvant. Melius enim non vovere quam vovere et non reddere. Similiter et ille a tali malitia prohibetur qui uxorem duxerat qui plantaverat vineam velut propaggines filiorum. Non enim potest servire divinae militiae servus uxoris, nec potest adsequi studium contemplationis qui adhuc in delectatione defigi-

tur carnis. *Nemo, inquit apostolus, militans Deo implicat se negotiis secularibus ut ei placeat cui se probavit.* Illud enim quid sibi velit quod ita praecipitur: *si inquit exieris ad bellum contra inimicos tuos et videris mulierem decora specie et concupieris eam, rades omnem pilum capitis ejus et ungulas ejus, et indues eam vestimentis lugubribus et sedebit in domo lugens patrem suum et matrem suam et domum paternam suam, et post triginta dies erit tibi uxor.* Dicant Judaei quomodo apud eos ista servantur. Quid causae quid rationis est decalvari mulierem et ungulas ejus de manibus abscindi. Verbi causa proponamus quod ita invenerit eam hic qui dicitur invenisse ut neque capillos neque ungulas habeat quid habuit quod secundum legem demere videretur? Nos vero quibus militia spiritualis est et arma non carnalia sed potentia a Deo, si decoram mulierem i. e. animam quae a Deo pulcra creata est in gentili conversatione invenerimus et adsociari voluerimus eam corpori Christi deposito idolatriae cultu induitur lugubribus poenitentiae indumentis deploratque patrem et matrem i. e. omnem memoriam mundi ejusque carnales illecebras. Deinde verbi Dei novacula et doctrina omne peccatum infidelitatis ejus quod mortuum et inane est abraditur. Hoc enim sunt capilli capitis et ungulae mulieris atque ita demum salutaris lavaeri unda purificata conjungit sanctis Dei, scilicet cum jam nihil ex illis quae per infidelitatem mortua dicuntur habuerit nihil in capite mortuum nihil in manibus, ut neque sensibus neque artibus immundum aliquid aut mortuum geratur. Quod vero post triginta dies jubet eam duci uxorem, consueti quippe feminae sanguinis purgationem post mensem habere solent. Post purgationem ergo peccatorum anima effecta jam munda et purgata ab immunditia sua sociatur vero Israelitae scilicet corpori Christi adhaerens illi sine macula fide et actibus purgata.

QUAEST. Quid sunt autem gentes, de quibus jubetur filiis Israel ut tradita illis terra promissionis percutiant eos usque ad interneccionem?

RESP. Septem istae gentes septem sunt principalia vitia quae per gratiam Dei unusquisque spiritualis miles exuperans ac venientis aditum exterminare penitus admonetur. Septem enim gentes juxta litteram hae sunt: Ethesus, Geseus, Amorreus, Cananeus, Ferezeus, Eveus et Jebuseus. Sed quod istae gentes majoris numeri esse dicuntur haec ratio est quia plura sunt vitia quam virtutes. Adornans namque gentium significationem haec sunt perfecta vel principalia vitia ex quibus in nobis copiosa vitiorum turba exoritur i. e. gulae concupiscentia fornicatio avaritia invidia ira tristitia inanis gloria. Novissima dux ipsa et earum regina superbia. Ex quibus omnibus duo sunt carnalia fornicatio et ingluvijs; reliqua spiritalia. Quae quidem in membris suis taliter disjunguntur: Gulae enim concupiscentia in quinque modis distinguitur. Primo modo si ante tempus cibos quis appetat sicut Jonatam gustu mellis jejunium soluit. Secundo modo, si lotiores escas quaerat sicut populus eremi manna contempto carnes aegyptias esurivit. Tertio modo si diligentius quisque communes cibos procuret retinere sicut filii Eli extra morem crudam obofferentibus tollebant carnem quam sibi accuratius praepararent. Quarto modo si viles escas nimium quisque sumat. Unde et propheta Sodomam de panis saturitate accusat. Quinto modo si quisque ex desiderio ventrem suum impleat quod quisque sumat. Sicut Esau propter lenticulae

concupiscentiam perdidit primogenituram. Fornicatio quoque trimodo genere discernitur. Primo quippe dum per voluntatis luxuriam commixtio carnis expletur; altero dum sola adtractatione luxus carnis per immunditiam provocatur. Tertio dum intentione turpis cogitationis nocturna quisque illusionem polluitur. Est et quartum genus fornicationis juxta scripturas, omnis scilicet illicita corruptio mentis sicut idolatria et avaritia, ex quibus fit praevaricatio legis propter illicitam concupiscentiam. Porro avaritia in gemina distinguitur poena i. e. in concupiscentia rei augendae et in metu rei cavendae. Sicut quidam ait: Non enim unquam expletur neque satiatur cupiditas, neque solum ea quae habet amore augendi excruciat sed etiam amittendi metu. Ipsa quoque invidia duplici addicitur flamma i. e. dum aut meliori invidet in id quod ipse non est aut dum quemlibet consimilem esse sibi et aequalem dolet. Sequitur tristitia cuius tria sunt genera. Quarum prima ut ait Cassianus temperata et rationabilis de dilectorum plenitudine veniens, altera perturbata irrationabilis de anxietate mentis seu de desperatione peccati exoriens, tertia de iracundia vel de illato dampno desiderio propredicto procedens. Jam vero inanis gloria quadripartitam habet jactantiam. Nam sunt qui habent dona, et donantem ignorant. Et sunt qui se dicunt dona accepisse pro suis praecedentibus meritis non pro gratia largientis. Item quidam sunt qui quod non habent habere per tumorem existimant. Item sunt quidam qui contempnendo alios se aliquid habere singulariter putant. Perniciosiorem autem esse elationem de singularitate jactantiae venientem. Ultima superbia trimodam habet differentiam. Primum namque genus superbiae est eorum qui per transgressionis culpam contemptui habent definita praecepta. Secundum genus eorum qui ex conservatione mandatorum adtolluntur elatione virtutum. Tertium genus est eorum qui per contumaciam mentis subdi dedignantur seniorum imperiis. Quae quidem vitia divinitus adjuvante gratia in se contraria curantur virtutibus. Gulae enim concupiscentiam reprimunt vigiliae et compunctio cordis. Fornicationem extinguit contritio cordis et corporis afflictio, oratio assidua vel laboris exercitium cum jejuniis, metus quoque gehennae, et amor coelestis patriae. Invidiam superat amor fraternae dilectionis et quia coeleste regnum non accipiunt nisi concordēs. Iram temperat patientia et ratio aequanimitatis. Avaritiam subjugat elemosina et spes aeternae retributionis. Tristitiam fraternalia colloquia et consolatio scripturarum. Arrogantiam calcit metus ne vana gloria delinitum animum et virtutibus cunctis secludat et per jactantiam perdat semet ipsum et pereat. Jam vero superbiam deprimit metus diabolicae ruinae atque exemplum humilitatis Christi.

QUAEST. Quid intelligitur in hoc quod jubetur ut si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus sit somno egrediatur extra castra et non revertetur priusquam ad vesperam lavetur aqua et post solis occasum regrediatur in castra?

RESP. Nocturno quippe est somnium tentatio occulta, per quam tenebrosa cogitatione turpe aliquid corde concipitur, quod tamen corpori sopore non expletur. Sed somnio nocturno pollutus egredi extra castra praecipitur, quia videlicet dignum est ut qui immunda cogitatione polluitur indignum se cunctorum fidelium societatibus arbitretur. Culpae

suae meritum ante oculos ponat et ex honorum se aestimatione despiciat. Pollutum ergo extra castra exire est turpi impugnatione laborantem sese ex continentium comparatione despiciere. Qui ad vesperam lavatur aqua cum defectum suum conspiciens ad poenitentiae lamenta convertitur, ut fletibus diluat omne quod animum occulta iniquatione accusat. Sed post occasum solis ad castra redeat quia defervescente tentationis ardore necesse est ut iterum fiduciam erga societatis bonum sumant. Post aquam quippe obcumbente sole ad castra revertitur qui post lamenta poenitentiae frigescente flamma cogitationis illicitae ad fidelium merita praesumenda reparatur. Ut jam se a ceteris longe esse non existimet quia mundum se per obitum intimi ardoris gaudet. Jubetur praeterea Israelitico populo per Moysen ut cum egreditur ad requisita naturae mittat paxillum in balteo et fossa humo abscondat quae digesta fuerint. Naturae enim corruptibilis pondere gravatae mentis nostrae quaedam cogitationum superflua quasi ventris gravamine erumpunt. Sed portare sub balteo paxillum debemus ut videlicet ad reprehendendos nosmetipsos semper accincti acutum circa nos stimulum compunctionis habeamus. Qui incessanter terram mentis nostrae poenitentiae dolore confodiat et hoc quod a nobis foetidum erumpit abscondat.

QUAEST. Quid est quod lex pro mensura peccati quadraginta flagellis delinquentes argui jussit?

RESP. Quadragenario etenim numero figura hujus temporis significatur in quo ecclesia per quattuor mundi partes diffusa sub decalogo legis vivit. Ipso enim quadragenario numero delinquentes caedimur si in hoc tempore poenitentiae verberibus flagellemur. Explicit Liber Deuteronomii.

INCIPIT DE LIBRO JESU NAVE.

QUAEST. Quid est quod post mortem Moysis loquitur Dominus ad Josue dicens: *Moyses servus meus mortuus est, surge et transi Jordanem et tu et omnis populus in terram quam ego dabo filiis Israel.*

RESP. Defunctus est ergo Moyses, defuncta est et lex, et legalia praecepta jam cessant, et obtinet Jesus i. e. salvator Christus filius Dei principatum et introducit populum in terram de qua dicit Dominus: *beati mites quia ipsi possidebunt terram.*

QUAEST. Quid significant duo exploratores missi a Jesu in Iherico quos suscepit Raab.

RESP. Ut saepe dictum Jesus ille dux populi in semetipso Dominum nostrum Jesum Christum et vocabulo ostendit et facto. Iherico autem mundi istius habet figuram. Duo quoque exploratores duo sunt testamenta. Raab vero typum ecclesiae portat. Duos ergo exploratores a Jesu in Iherico missos Raab suscepit, quia duo testamenta, quae Dominus Jesus Christus ad perscrutandos mores hominum in mundo direxit suscepit ecclesia ex gentibus constituta, et in domo sua coccum i. e. passionis Dominicae posuit signum. Extra hanc si quis inventus fuerit ruinam seculi atque incendium nulla ratione vitabit.

QUAEST. Quid significatum est per divisionem Jordanis et transitum arcae testamenti?

RESP. Arca enim testamenti ecclesia catholica est. Iordanus vero

fluvius est baptismi sacramentum et ideo dum quis ad Jordanem i. e. ad baptismi venerit fontem, tunc sicut illic auctum est sacerdotum ministeriis per lavacrum quasi per Jordanis fluentia ingreditur et terram coelestis repromissionis adipiscitur.

QUAEST. Quid est quod pars aquae Jordanis quae retro resiliit permansit in dulcedine, pars vero subterior in amari confluit gurgitem maris?

RESP. Haec figura baptizatorum varietatem designat, quia ex his qui baptizantur quidam acceptam gratiae coelestis dulcedinem custodiunt, quidam vero in peccatorum amaritudinem convertuntur.

QUAEST. Quid est quod ibi scriptum est: *et festinavit populus transire Jordanem?*

RESP. Quia venientibus nobis ad baptismum salutare et suscipientibus sacramenta verbi Dei festinandum nobis est usque quo omnia impleamus quae in baptismo spondimus. Transire etenim implere dicitur.

QUAEST. Quid significatum est per hoc quod filii Israel secundo circumciduntur in Galgalis, quando jubetur Jesu filio Nave facere cultellos petrinos ut sedens circumcidat filios Israel secundo, de quo facto dicit Dominus ad Jesum: *Hodie abstuli opprobrium Aegypti a filiis Israel?*

RESP. Haec figura mysterii ad novum pertinet testamentum. Petra namque ista ex qua hi cultri lapidei fiunt ipse Christus est, ex cujus fidei firmitate quasi cultri secundae circumcisionis ita evangelistae vel doctores novi testamenti ad sanctificandum Dei populum prodierunt. Circumcisionem etenim primam ille accepit, qui in lege eruditur, et per Moysen eductus abiecit, idolatriae errores et simulacrorum superstitiones cultumque deposuit. Haec est enim circumcisio prima per legem. Si vero iste talis ab lege et prophetis veniat ad evangelicam fidem, accipit secundam circumcisionem perpetuam quae est Christus et ibi completur hoc quod dixit Dominus ad Jesum: *hodie abstuli opprobrium Aegypti a filiis Israel*. Quid namque est opprobrium Aegypti nisi seculi illecebras et cunctas mundi voluntates auferre. Quae ab illo omni modi auferuntur qui ab spiritali petra Christo quasi per secundam circumcisionem ita post cultum veterem per baptismum expurgantur. Ipse enim dedit nobis circumcisionem per lavacrum regenerationis, expurgavit animas nostras abluens a nobis cuncta peccata vitia veteriosa quae sunt opprobria Aegypti, ut purificati corde et corpore puras etiam manus levemus ad Deum.

QUAEST. Quid est quod de portatione arcae per septem dierum recursum et ad tubarum voces muri corruunt Jherico ubi morabatur ea quae ab interitu salvatur Raab?

RESP. Septem dierum vicissitudine omne tempus hujus vitae monstratur, qui septenario dierum numero volvitur. In his ergo fertur arca i. e. orbem terrarum circueus movetur ecclesia. Et adveniente Jesu i. e. salvatore nostro ad praedicatorum voces quasi ad tubarum sonitum muri Jherico i. e. elati hujus mundi superbia infidelitatis obstacula corruerunt, donec in fine temporum mors novissima inimica destruat, et ex impiorum perditione unica domus Raab tanquam unica ecclesia liberetur mundata a turpitudine fornicationis per fenestram con-

fessionis in sanguine remissionis. Ista enim meretrix in Jherico tanquam in hoc mortali seculo moratur quae, ut salvari possit per fenestram domus suae tanquam per os corporis sui coccum mittit quod est sanguinis Christi signum pro remissione peccatorum confiteri ad salutem. Qui enim inventi sunt in domo Raab salvati sunt ab interitu urbis, ita et quicumque intra ecclesiam reperiuntur ipsi tantum salvantur. Extra domum autem Raab i. e. extra ecclesiam nemo salvari meretur.

QUAEST. Quid significatum est per hoc quod de anathemate Jherico concupivit Acam?

RESP. Jherico ut dictum est mundi gerit figuram; Acam vero regnum significat christianum. Qui de anathemate Jherico fraudans in tabernaculo suo abscondit si seculares mores in secretis ecclesiae inserit. Ille etenim de Jherico anathemate concupiscit, qui sub cultu Dei manens solemnitates seculi velut et spectacula diligit vel qui illos seculi errores persuadet, quae prius in Jherico i. e. in hoc seculo habebantur. Ille ergo qui post fidei indumenta conversationis secularis cultum inducit quasi pallium de anathemate tollit. Sed et illi qui in ecclesiam non rectum haereticorum conantur introducere docma ita ut dispendantur multi per eorum mendacissima verba i. e. dum rectos intra ecclesiam turbant quasi auream regulam fraudant. Per quorum tamen impietatem peremptorium rex Ai h. e. diabolus fidelium quosdam conatur evincere. Sed per Jesum salvatorem nostrum rursus habitator Ai. i. e. diabolus superatus evincitur atque a populo Dei suspensus ligni crucis virtute necatur. Acam vero i. e. haeretici quique vel nequissimae fidei praedicatores quasi acervo lapidum, ita multitudine peccatorum suorum oppressi deficient.

QUAEST. Quid est quod post haec superatis hostibus aedificavit Jesus altare Deo excelso ex lapidibus integris, quibus non erat injectum ferrum, et immolato sacrificio scripsit in lapidibus deuteronomium legis Moysi?

RESP. Omnes qui in Christum Jesum credent lapides vivi dicuntur de quibus apostolus dicit: *vos estis lapides vivi*. His non est injectum ferrum quia mente incorrupti et immaculati carne et spiritu sunt et jacula maligni ignita non receperunt. Hi unum altare faciunt quia Dei et proximi dilectionem servantes in unitate fidei vel concordia permanent caritatis. In his quoque deuteronomium i. e. secundam evangelii legem Jesus Dominus noster scribit dum eos novi testamenti intellectu et gratia replet.

QUAEST. Quid est quod Gabaonitae perditionis metu perterriti cum fraude et calliditate veniunt ad Jesum pannis calceamentisque veteribus induti, deprecantes ut salvarentur, qui statim ad salutem suscipiuntur, quorum tamen dolum ut agnoverunt ligni caesores vel aquae gestatores eos constituit?

RESP. In figura (h)orum Gabaonitarum illi ostenduntur qui de mundo ad ecclesiam venientes habent fidem in Deo et inclinant caput suum sacerdotibus sanctis Deoque ministrant. Sed inter haec in suis moribus et conversatione pristina detinentur induentes veterem hominem cum actibus suis et calceamentis veteribus obiecti i. e. vetustis vitiiis vestigia suorum operum munientes. Qui tamen praeter hoc quod in Deum credunt et erga servorum Dei cultum videntur esse devoti, nihil habent

emendationis vel innovationis in moribus. Tales igitur tantummodo quasi quoddam salutis signum ita intra ecclesiam temporaliter perferuntur, qui dum Christi passionem et sacrum baptismum praeferunt quasi inter Dei populum ligni caesores vel aquae gestatores habentur. Sed quia in actionibus veterissimis detinentur inter Dei populos regnum aeternum vel libertatem minime consequuntur.

QUAEST. Quid per hoc miraculum figuratum est quod in Gabaon pugnante Jesu stetisse perhibentur sol et luna, donec Israelis inimici caederentur?

RESP. Per stationem solis in Gabaon sol ille justitiae praeostensus est, in cujus p... nominis est sanitas qui pugnantibus nobis ad expugnanda vitia in adiutorium nostrum semper adsistit. Jesus igitur noster dum bellum gerimus adversus vitiorum gentes et colluctamur adversus principes et potestates et rectores (h)arum tenebrarum adversus nequitiam in coelestibus solem justitiae suae nobis indesinenter adsistere facit. Nec unquam nos deserit nec festinat occumbere, quia ipse dixit: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*. Sequitur post haec quod extinctis vel ejectis gentibus Josue sorte dividit populis terram repromissionis. Ejecit similiter Christus a facie fidelium suorum gentes quodammodo i. e. gentilium errorum malignos spiritus et sorte divisit terram operans in nobis unus atque idem Spiritus ac dividens unicuique dona propria prout vult.

QUAEST. Quid significant quinque reges qui in Gabaon contra Dei populum pugnaverunt?

RESP. Quinque hi reges quinque sensus corporeos indicant qui in omnibus carnalibus dominantur. Hi ad speluncam confugiunt quum se terrenis actibus in corpore positi mergunt. Qui tamen pugnante Jesu i. e. praedicatione evangelica superantur atque ingrediente verbo Dei in nobis intra speluncam corporis nostri cunctorum sensuum vitae pariter extinguuntur.

QUAEST. Quid est quod cum Israelitico populo percepta repromissionis terra partiretur, Cananeus tamen non est occisus sed factus est tributarius Elfraym. Sicut scribitur: *habitavit Cananeus in medio Elfraym tributarius*?

RESP. Quid enim Cananeus gentilis videlicet populus nisi peccati vitium significet. Saepe enim in magnis virtutibus terram repromissionis ingredimur quia spe intima de aeternitate roboramur. Sed dum post interempta sublimia vitia quaedam tamen parva retinemus quasi Cananeum vivere in terra nostra concedimus. Qui tamen tributarius efficitur quia hoc ipsum vitium quod subjicere non possumus ad usum nostrae utilitatis humiliter retorquemus. Ut eo de se mens vilia sentiat quod suis viribus etiam parva quae adpetit non expugnat. Unde bene sursum scriptum est: *Hae sunt gentes quas Dominus dereliquit ut erudiret in eis Jerusalem*. Ad hoc namque quaedam minima vitia nostra retinentur, ut sese nostra intentio sollicitam in certamine semper exerceat. Et eo de victoria non superbiat qui vere in se hostes conspicit a quibus adhuc vinci formidat. Israel ergo reservatis gentibus eruditur quando in quibusdam minimis vitiis elatio virtutis nostrae comprimitur. Et in parvis sibi resistentibus discit quod adiutore Deo et non ex se majora vitia subiecit. Explicit liber Jesu Nave.

INCIPIT DE LIBRO JUDICUM.

QUAEST. Quid est quod post Josue succedunt iudices ad regendos filios Israel?

RESP. Sicut et post mortem atque resurrectionem vel ascensionem Christi ad coelos successerunt apostoli et ecclesiarum rectores ad gubernandos et regendos fideles quos ipse Jesus salvator noster et Dominus ad spem aeternae repromissionis producit.

QUAEST. Quid est quod ipsi filii Israel saepe peccantes in manu hostili traduntur?

RESP. Nisi quod nostra peccata quando delinquimus vires (h)ostibus praebent. Et quando nos facimus malum in conspectu Domini tunc confortantur adversarii nostri i. e. daemones et spiritalium nequitiarum virtutes. Sed iterum quando convertimur suscitatur Deus et salvatorem et iudices i. e. principes et doctores ecclesiae quos ad subsidium mittit eorum qui ad se toto corde proclamant.

QUAEST. Cujus typum praetulit Deborra, quae sedens sub palma inter Rama et Betel judicabat filios Israel?

RESP. Deborra etenim quae interpretatur apis sive loquela in prophetiae forma accipienda est. Deborra inquit i. e. prophetia sub palma sedem habet quia quos suis institutionibus erudit ad palmam supernae vocationis perducit. Inter medium Rama et inter medium Betel sedere dicitur prophetia. Rama interpretatur excelsa; Betel autem domus Dei. Utique quia Deborra i. e. prophetia nos intra domum Dei positos docet quaerere quae sursum sunt non quae deorsum. Haec est ergo Deborra i. e. prophetia misit et vocavit ad se Barac qui typum gessit populi Judaeorum. Barac igitur a Debbora vocatur quia primo omnium per prophetiam Judaicus populus invitatus est ad audienda eloquia Dei. Cum ergo dixisset Debora ad Barac i. e. prophetia ad priorem populum: tibi praecepit Dominus Deus Israel ut tu ascendas in monte Tabor, accipe ergo decem mille viros; respondit Barac ex persona populi Judaeorum ad prophetiam: Non ascendam nisi et tu ascenderis mecum. Dicit ad haec Debbora: *Ibo tecum sed non erit primatus tuus in via hac quam incedis sed in manu mulieris tradet Dominus Deus Sisera.* Iste Sisera typus diaboli fuit. Unde per haec verba evidenter ostenditur quod non est apud Barac i. e. apud Judaicum populum primatus nec permanet apud eum victoriae palma de Sisera i. e. de diabolo, sed apud Jahel mulierem alienigenam quae figuram tenet ecclesiae ex gentibus congregatae. Jahel enim interpretatur ascensio, quia per ecclesiam ascenditur ad coelum. Ista Jahel i. e. ecclesia ligni crucis acumine et virtute diabolus interemit. quod Barac i. e. Judaicus populus vivens sub legis littera non peregit.

QUAEST. Quid mysteriorum apparet per hoc quod Gedeon cum sub arbore quereus tritici messem virga caederet angelum vidit ad cuius imperium protinus hoedum coxit, quem supra petram posuit et jus carniū supereffundit. Quae angelus virga tetigit eaque ignis exiens de petra consumpsit?

RESP. Quid est enim in hoc loco frumentum nisi virtutum sanctorum grana. Et quid virga unde frumentum a paleis excutitur nisi rectitudo iudicii esse aperte monstratur, per quam virtutes a vitiis separantur. Frumentum ergo virga cadere est rectitudine iudicii a vitiorum paleis virtutum grana separare. Sed haec facientibus angelis apparet quia tanto magis Dominus interiora denunciat quanto se studiosius homines ab exterioribus purgant. Qui angelus occidi hoedum praecepit. Quid enim per hoedum nisi carnalis appetitus ostenditur. Hoedum ergo occidere est omnem appetitum nostrae carnalis interimendo imolare. Carnesque hoedi supra petram posuit et jus carniū desuper effudit. Quem alium significat petra nisi Jesum Christum Dominum nostrum de quo per Paulum dicitur: *Petra autem erat Christus*. Carnes ergo hoedi supra petram ponimus cum corpus nostrum in exemplo imitationis Christi affligendo cruciamus. Jus etiam carniū desuper effundimus si in conversatione Christi ipsius etiam carnales cogitationes exinanimus. Quasi enim ex carne jus liquidum in petra funditur quando mens nostra cogitationum carnaliū fluxu vacuatur. Quae tamen mox angelus virga tangit quia bonam intentionem nostram nequaquam potestas divini adiutorii deserat. De petra autem ignis exiit et jus carnesque consumit, quia afflatus a redemptore spiritu tanta cor nostrum flamma compunctionis concremat ut omne quod in nobis est illicitum et operis et cogitationis exurat.

QUAEST. Quid est quod post haec Gedeon oraculo angeli accepto occidit vitulum a patre suo idolis deputatum et ipse septuennem alium vitulum sumens immolavit Deo?

RESP. Vitulus ille idolis deputatus omnia idola gentilitatis fuisse praesignat. Vitulus autem iste septuennis qui imolatur Deo dominicae passionis sacrificium praefigurat. Hoc quoque mysterio manifestissime revelatum est post adventum Domini omnia gentilitatis abolenda esse sacrificia solumque sacrificium Deo pro redemptione nostra dominicam existere passionem. Hic est enim septuennis vitulus in figuram corporis Christi in quem septiformis spiritalium plenitudo virtutum sicut Isaias dixit inhabitat.

QUAEST. Quid mysteriorum gesta sunt per Gedeon quod ad intelligendum maxime divinum oraculum apparuit prius vellus complutum et area sicca et postea sicco vellere area compluta?

RESP. Area enim illa totum orbem terrarum significat. Vellus vero iudaicum populum esse demonstrat. Quid insinuat vellus complutum et area sicca nisi quod primum una illa gens Hebraeorum habens gratiae mysterium totus orbis vacuus erat, nunc autem in manifestatione Christi gente illa vacuata divino rore totus orbis humescit. Quando enim totus orbis infructuoso cultu gentilis superstitionis arebat tunc erat ros ille coelestis visitationis in vellere. At vero postea quam vellus illud i. e. oves quae perierunt domus Israel fontem aquae, vivae negaverunt ros fidei exaruit in pectoribus Iudaeorum gratiamque suam imber ille divinus in corda gentium derivavit. Inde est quod nunc fidei rore totus orbis umescit, Iudaei vero prophetas et omnia carismata caruerunt.

QUAEST. Quid est quod post hanc diligentissimam mysterii explo-

rationem cum jam contra Madianitas Gedeon dimicare intenderet et exercitus multitudinem ad bella produceret, divina illi admonitione praeceptum est ut ad fluvium veniens omnes quos flexis genibus aquas haurire conspiceret ab illorum conflictu removeret sicque actum est ut trecenti tantummodo viri qui stantes aquas hauserant manibus remanserunt?

RESP. Cum his ergo Gedeon ad proelium pergit eosque non armis sed tubis lampadibus et lagenis armavit. Nam sicut illic scriptum est: *accensas lampades miserunt intra lagunculas et tubam in dextram, lagenas autem in sinistra tenuerunt; venientesque ad hostes suos cecinerunt tubis, confregerunt lagunculas et apparuerunt lampades, sicque hinc tubarum sonitu illic lampadarum coruscatione territi hostes in fugam conversi sunt.* In hoc facto adventum redemptoris nostri contra diabolum illae pugnae victoria sub Gedeon duce signavit. Nam victoria ista adtestante didicimus. ne parvi haec quae facta sunt perpendamus. Gedeon itaque ad proelium veniens redemptoris nostri signat adventum. Hunc namque redemptorem nostrum Gedeon non solum opere sed etiam nomine praefiguravit. Gedeon namque interpretatur circuiens in utero. Quid est ergo circuiens in utero nisi quia Christus inter uterum virginis fuit per infirmitatis substantiam et omnia coelestia terrestria atque infernalina complectitur per divinitatis potentiam. Madian vero interpretatur de iudicio. Ut enim hostes ejus repellendi destruedique essent non de ordine repellentis sed de iudicio iuste judicantis fuit. Et idcirco de iudicio vocantur quia alieni a gratia redemptoris justae damnationis meritum etiam in vocabulum nominis trahunt. Contra hos Gedeon cum trecentis pergit ad proelium. Solet in centenario numero plenitudo perfectionis intelligi. Centenarius numerus ergo perfectionis traductus perfecta est cognitio trinitatis. Cum his ergo Dominus et redemptor noster adversarios fidei destruit, cum his ad praedicationis bella descendit qui possunt divina cognoscere quia sciunt de trinitate quae Deus est perfecte sentire. Notandum vero est quia iste trecentorum numerus Tau littera continetur, quia figura species crucis ostenditur. Quia enim trecentorum numerus in Tau littera continetur et per Tau litteram species crucis ostenditur, non immerito in his trecentis Gedeonem sequentibus illi designati sunt quibus dictum est: *si quis vult post me venire abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.* Hi itaque duce Christo per gentes ad proelium vadunt cum tubis cum lampadibus cum lagenis atque iste ut promissum est fuit ordo proeliandi. Cecinerunt tubis habentes lampades intra lagenas, confRACTIS vero lagenis ostensae sunt lampades. Quarum coruscante luce hostes territi in fugam vertuntur. Designatur itaque in tubis clamor praedicationum, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum. Tales quippe secum Christus dux noster ad praedicationis proelium duxit, qui despecta salute corporum hostes suos moriendo prosternerent, eorumque gladios non armis sed patientia superarent. Armati enim venerunt sub duce suo ad proelium martyres nostri sed tubis et lagenis, sed lampadibus. Qui sonuerunt tubis dum praedicant. Confregerunt lagenas dum solvenda in passione corpora sua hostium gladiis opponunt. Resplenderunt lampadibus dum post solutionem corporum miraculis coruscaverunt. Moxque hostes in fugam versi sunt quia

dum mortuorum martyrum corpora miraculis coruscare conspiciunt, luce veritatis fracti quod inpuerunt crediderunt. Cecinerunt ergo tubis ut lagenae frangerentur. Lagenae fractae sunt ut lampades apparerent. Apparuerunt lampades ut hostes in fugam verterentur i. e. praedicaverunt martyres donec eorum corpora in morte solverentur. Corpora eorum in morte soluta sunt, ut miraculis coruscarent. Coruscaverunt miraculis ut hostes suos ex divina luce prosternerent. Et notandum quod steterunt hostes ante lagenas, fugientes ante lampades, quia nimirum persecutores sacrae fidei praedicatoribus adhuc in corpore positos restiterunt. Post solutionem vero corporum apparentibus miraculis in fugam versi sunt quia pavore contriti a persecutione fidelium cessaverunt. Intuendum est etiam hic quod illic scriptum est quia in dextra tubas in sinistra autem lagenas tenuerunt. Pro dextro enim habere diximus quicquid pro magno pensamus; pro sinistro vero quod pro nihilo ducimus. Bene ergo illic scriptum est quod in dextra tubam et in sinistra lagenas tenuerunt. Quia Christi martyres pro magno habent praedicationis gratiam, corporum vero utilitatem pro minimo. Quisquis ergo plus facit utilitatem corporis quam gratiam praedicationis, in sinistra tubam in dextro lagenam tenet. Si enim priori loco gratia praedicationis ostenditur et posteriori utilitas corporis, certum est quia dextris tubae sinistris lagenae tenentur.

QUAEST. Quid propheticum videtur per hoc quod moriens Gedeon reliquit septem filios et unum nomine Abimelech natum ex concubina; qui conduxit viros vagos et abierunt post illum, et intravit in domo patris sui et occidit fratres suos septuaginta viros super lapidem unum et remansit Joatan junior, quum absconditus erat?

RESP. Gedeon ut superius dictum est, typum Domini portendebat, cui ad plures generandos filios plurimae fuerunt uxores, nationes scilicet quae per fidem Christo adhaeserunt. Septuaginta vero filii ejus septuaginta linguae sunt in hoc mundo diffusae, in quibus per fidem filios sibi Dominus generaturus erat. Concubina vero hoc loco intelligitur synagoga, quae novissimis temporibus Christo est creditura. Ista est synagoga Satanae per Joannem in Apocalypsi designata, de qua ultimis temporibus nequissimus filius i. e. Antichristus est generandus. Eritque filius ancillae i. e. synagogae illius peccatricis, quia *qui facit, inquit, peccatum servus est peccati*. Hic inquam Antichristus congregatis sibi impiis, sicut Abimelech fecit, regnum improbe usurpavit, interfectisque nobilibus filiis i. e. his qui ex diversis nationibus et linguis in Christo regenerati sunt, inducturus est persecutionem, ut omnes sanctos interficiat. *Sed super septuaginta, inquit, fuit junior filius ex nobili matrimonio, qui se absconderat*. Junior filius qui fugit, ut gladium inimici evaderet, figura est residui populi Israel, praedicante Elia extremis temporibus credituri et Antichristi gladium evasuri. *Ascendit inquit iste in verticem montis Garizim*. Mons iste sublimitatem fidei monstrat; hic est enim mons, qui in benedictione deputatur a Moyse, et ideo persecutionem Antichristi gladiumque non potest evadere nisi qui in monte a Moyse benedicto i. e. in sublimitate fidei Christi per Moysen propheta ascenderit. Hic itaque cum ascendisset elevata voce clamavit et dixit: *Audite me, viri Siceim! Jerunt ligna, ut unguerent super se regem*.

Dixeruntque olivae: veni et regna super nos! Quae respondit: numquid possum deserere pinguedinem meam qua dii utuntur et homines et venire ut inter ligna promovear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni et super nos regnum accipe. Quae respondit eis: numquid possum deserere dulcedinem meum fructusque suavissimos et ire ut inter ligna promovear? Locuta sunt quoque ligna ad vitem: Veni et impera nobis. Quae respondit: numquid possum deserere vinum meum quod lactificat Deum et homines et inter cetera ligna promovebor? Cum ergo repudiatum fuisset regnum silvae ab oliva et ficu et vite venerunt ad ramnum ut eum sibi facerent regem.

QUAEST. Sed cur oliva ficus et vitis super ligna regnare noluerunt?

RESP. Ligna quippe silvae intelligimus homines esse vagos et vanos aeterno incendio praeparatos, his ergo merito voluit nec oliva nec ficus regnare nec vitis quia non merebantur. Oliva enim gratiam Spiritus sancti et unctionem pacis significat. Ficus autem sacrae legis imaginem habet. Sicut in evangelio scriptum est: *quidam pater familias plantavit vineam et in vineam suam plantavit ficum.* Quis pater familias nisi Deus qui familiae suae i. e. omnium credentium pater est. Plantavit ergo vineam i. e. populum. *Quia vineam ex Aegypto transtulisti.* Et utique populum, non vineam ex Aegypto transtulerat. In hanc vineam plantavit ficum i. e. in populo suo posuit legem. Quae lex primitivum populum velut ficus grossos suos aridos et inutiles deiecit. Suscipiens ficus alios secum de germiibus populum scilicet Christianorum, quem ad debitam evangelicae doctrinae maturitatem et ad suavissimam pinguedinem Christi cum gloria et honore perduxit. Sed et vitis inquit noluit regnare eis. Vitis Christus est qui dixit: *ego sum vitis vera.* Igitur quia jam in reprobis sensum ligna silvae i. e. populus ille futurus est, qui Antichristo est serviturus; ideo et a regno vitis i. e. Christi et ab oliva i. e. Spiritus sancti gratia, et a ficu i. e. divinae legis dulcedine reprobantur. Veniet ad ramnum. Ramnus enim genus est rubi, quam vulgo senticem ursinam appellant asperum nimis et spinosum. Per quod merito typus Antichristi significatur, qui omni asperitate peccatorum ac feritate humanum genus est vastaturus. Sed exiet inquit ignis de ramno i. e. iniquitas de Antichristo, et omnes qui in eo confidunt cum ipso pariter devorabit. Igitur Gedeon portat imaginem Christi, septuaginta vero filii eorum qui ex septuaginta nationibus per fidem filii Dei esse coeperunt. Abimelech vero Antichristi, Joatham namque sanctorum, et mons Garizim sublimitatem fidei apertis ostensionibus indicaverunt.

QUAEST. Quid praeostensum est per hoc quod Jepte rediens post triumphum a pugna filiorum Ammon filiam quae sibi post victoriam primo occurrerat immolavit?

RESP. Jepte qui fugiens a facie fratrum suorum constituitur in principem ob pugnam filiorum Ammon, ipse Dominus et salvator noster exprimitur qui a facie fratrum suorum secundum carnem scilicet Iudaeorum abcedens in gentibus principatum accepit, qui omnia humanae salutis sacramenta tanquam juratus explevit, et quasi filiam ita carnem propriam pro salute seculi Domino obtulit.

QUAEST. Quid praeostensum et mysteriorum gestum est per Samson?

RESP. Samson salvatoris nostri mortem et victoriam figuravit sive quia de faucibus diaboli gentes quasi favum ab ore leonis perempti abstraxit sive quia post mortem plures lucravit pluresque moriens quam vivus extinxit.

QUAEST. Illud vero quid significat quod cum idem Samson Gazan civitatem Filistinorum fuisset ingressus, Filistei, ingressum ejus cognoscentes, protinus civitatem repente obsidionibus circumdederunt, custodes deputaverunt et Samson fortissimum se jam comprehendisse gavisi sunt. Sed quid Samson fecit de quo legimus: media nocte portas civitatis abstulit et montis verticem ascendit?

RESP. Hoc in facto quem nisi redemptorem nostrum Sanson ille significat? Quid Gaza civitas nisi infernum significat? Quid per Filisteos nisi Judaeorum perfidia demonstratur? Qui cum mortuum Dominum viderunt ejusque corpus in sepulcro positum custodes illico deputaverunt, et cum qui auctor vitae claruerat in inferni claustris retentum quasi Samson in Gazam se deprehendisse laetati sunt. Samson vero media nocte non solum exivit sed etiam portas tulit. Quia videlicet redemptor noster ante lucem resurgens non solum liber de inferno exivit, sed ipsa etiam inferni claustra destruxit. Portas tulit et montis verticem subiit quia resurgendo claustra inferni abstulit et ascendendo coelorum regna penetravit. — Jam vero reliqua ejus quod ei mulier subdole caput raserit et allofyllis illudendum tradiderit quod captivatus est quod coecatus est quod ad molam deputatus est; in his non Christus sed illi figurantur qui solo tantum in ecclesia christiano nomine gloriantur et malis actibus jugiter implicantur. Vir enim in nobis sensus rationalis intelligitur. Caro autem quasi in typum mulieris accipitur. Si enim mulieri i. e. carni nostrae blandiente libidine vel reliquis malis operibus consenserimus gratia spirituali qui Nazorei crine significantur nudati expoliamur atque decipimur. Ita enim superbis et peccatoribus violata Christi gratia sicut Samson incisa coma diabolus illudit.

QUAEST. Sed quid est quod Samson illi ab allofyllis captus postquam oculos perdidit ad molam deputatus est?

RESP. Quia nimirum maligni spiritus postquam tentationum stimulis intus aciem contemplationis effodiunt foris hominem in circuitum laborum mittunt. Quod si aliquando idem homo agendo poenitentiam redeat, illi velut coma reducitur i. e. gratia refflorescente reparatur ad virtutem. Deinde cupiditatis ac luxuriae subversis columnis victores hostes dejicit et reparato certamine in finem fortissime a daemonibus triumphabit. Explicit.

INCIPIT DE LIBRO RUTH.

QUAEST. Videamus nunc et Ruth cujus habeat typum?

RESP. Habet quippe et Ruth ista ecclesiae typum. Primum quod alienigena est et ex populo gentili quae relicta patria et omnibus quae illi erant vadit in terram Israel dicens socruī suae: *Quocunque perrexeris pergam. Populus tuus populus meus, et Deus tuus Deus meus; quae te morientem terram suscepit in ea moriar.* Quae vox sine dubio typum illum ecclesiae manifestat, quae ex gentibus ad Dominum con-

vocata relicta patria sua quae est idolatria et omissa universa conversatione terrena, profitetur Deum suum esse, in quem sic crediderit, et illic se ituram ubi caro Christi post passionem ascendit et ob ejus nomen in hoc seculo pati usque ad mortem, et cum sanctorum populo patriarchis scilicet ac prophetis consociandam. Ingressa autem cum socru sua in terram Israelis providetur ut homini conjungeretur ex Abrahæ stirpe venienti. Et primum quidem huic quem ipsa propinquum magis esse credebat negat se posse illi nubere. Et recedente illo per testimonium decem majorum Booz illi conjungitur. Et ipse ab his decem senioribus benedicitur. Sed quod prius ille cognatus confitetur se eidem nubere non posse hoc loco in Johannis baptistae figura ostenditur. Quia cum ipse a populo Israel Christus putaretur et interrogaretur quis esset confessus est dicens, Christum se non esse. Et perseverantibus his qui missi erant et inquiringibus quis esset respondit: *Ego sum vox clamantis in deserto*. Novissime confitetur de Domino ipse dicens: *qui habet sponsam sponsus est*. Se autem amicum sponsi manifestat cum adjicit. *Amicus autem sponsi est qui stat et audit eum et laetatur propter vocem sponsi*. Hunc ergo sponsum existimabant quia Christum in die visitationis suae venisse non intelligebant esse ecclesiae sponsum qui propheticis esset vocibus ante promissus. Sed sicut ille propinquus negavit et postea Ruth conjungitur Booz, ita et Christus qui vere sponsus ecclesiae est dignatus est ecclesiam adsumere et ex omnibus gentibus Deo patri innumeros populos offerre. Quod vero excalceat se cognatus ille veterum mos erat si sponsa sponsum repudiare vellet, et discalcearetur ille ut hoc esset signum repudii. Proinde ille excalceari jubetur, ne ad ecclesiam quasi sponsus accederet, hoc enim Christo servabatur qui verus sponsus erat. Decem autem majorum natu benedictio hoc ostendit in nomine Jesu omnes esse gentes benedicendas. Ita enim apud Graecos decem significat, quae prima littera nomen Domini Jesu exprimit, per quem omnes gentes salvandas ac benedicendas esse demonstrat. Explicit liber Judicum.

INCIPIT DE LIBRO REGUM.

QUAEST. Quid est quod post librum judicum sequitur regum?

RESP. Sicut erit primo judicium, postea regnum. In his autem regum libris multis et variis modis sacramenta Christi et ecclesiae revelantur. Nam ab ipso exordio regum commutato sacerdotio in Samuelem reprobato Saul exclamat praenuntiari novum sacerdotium novumque regnum reprobato vetere. Quod umbra erat futuri in Domino Jesu Christo venturi.

QUAEST. Quid per matrem Samuelis sterilem est in mysteriis prae ostensum?

RESP. Mater quoque Samuelis Anna quae prius fuit sterilis et posterior fecunditate laetata est, cujus etiam nomen gratia ejus interpretatur ipsam religionem christianam ipsam postremam Christi gratiam significat de qua nobis Christus oritur, ipsamque ecclesiam quae olim sterilis fuit, nunc vero largiter pollet per universam terram prole nume-

rosae fecunditatis. Quae nihil aliud in cantico suo prophetare videtur nisi mutationem veteris testamenti vel sacerdotii in novum testamentum vel sacerdotium qui est Christus. Nam per hoc quod ait *sterilis peperit septem et foetosa in filiis infirmata est* aperte de ecclesia et synagoga prophetatum est. Nam numquid septem ipsa pepererat, quamvis sterilis fuerat, unicum tamen habebat, quando ista dicebat. Sed nec postea peperit sive sex quibus septimus esset ipse Samuel, sed tres tantum peperit mares et duas feminas. Unde apparet hoc de populo ecclesiae novi testamenti fuisse prophetatum septiformi spiritu plenum.

QUAEST. Quid est quod Eli sacerdos reprobatus propter peccata filiorum dampnatus est?

RESP. Peccantes etenim filios suos licet corripuit sed lenitate et mansuetudine patris, non severitate et auctoritate pontificis. Qua sententia discant sacerdotes ecclesiae quomodo ipsi propter peccata filiorum i. e. propter scelus populi puniantur. Nam quamvis ipsi in suis operibus sancti sunt, culpa tamen subditorum eisdem si eos non coercerent reputatur. Ipsa vero reprobatio Eli sacerdotis abjectionem sacerdotii veteris testamenti praefiguravit. Nam cum dicitur ei: *loquens locutus sum ut domus tua et domus patris tui ministraret in conspectu meo usque in sempiternum; nunc autem dicit Dominus: absit hoc a me.* Ipsam veteris sacerdotii reprobationem aperte denunciat. Cum vero adjungit *sed quicumque glorificaverit me glorificabo eum* hoc de populo novi testamenti aperte promissum est. Nam ecce isti sunt dies qui propuntiati sunt reprobo Eli. Nam et illud quod ibi sequitur: *suscitabo mihi sacerdotem fidelem*, de Domino Jesu Christo novi testamenti vero sacerdote dicitur.

QUAEST. Et illud quod adjungitur: *et erit qui remanserit in domo tua veniat ut oretur pro eo?*

RESP. De his prophetia dicitur qui ex priori populo credunt in Christum sicut et temporibus apostolorum plurimi crediderant.

QUAEST. Et illud quod addidit: *et offeret nummum argenteum et tortam panis?*

RESP. Per nummum argenteum oris confessio designatur; per tortam vero panis ipsa maceratio ostenditur corporis in afflictione poenitentiae.

QUAEST. Quod vero dicit iste qui venit: *dimitte me obsecro ad unam partem sacerdotalem ut comedam buccellam panis?*

RESP. Sacerdotalem partem corporis Christi i. e. sanctam ecclesiam dicit, in hac parte sacerdotali postulat comedere buccellam panis i. e. sacrificii Christianorum percipere sacramentum. De quo pane dicit ipse Christus: *panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.*

QUAEST. Quid est quod post haec cum instruxissent aciem Philistei contra Israel et tollerent Israelitae arcam ad tuitionem suam, capta est ab hostibus arca ipsique victi vertuntur in fugam?

RESP. Arca illa ab alienigenis capta indicabat testamentum Dei transitorium ad gentes. Audiens enim Eli captam fuisse a gentibus arcam, cecidit de sella et mortuus est. Quia transeunte testamento Domini ad gentes periit atque interiit sacerdotium Judaeorum. Sed et duo illi filii Eli qui capta item arca perempti sunt ipsam significant posteritatem

sacerdotii prioris fuisse extinctam et legis testamentum ad cultum gentium fuisse translatum.

QUAEST. Quid est quod dum posuissent Philistim arcam Domini in templo Dagonis Dei sui, illico Dago prostratus est atque caput ejus confractum et duae manus abscissae?

RESP. Quia statim ut testamentum Domini pervenit in gentibus confestim idola quae deceptum possidebant orbem destructa sunt. Omnisque error simulacrorum corruit praesentiam Dei ferre non sustinens. Nam in manibus Dagon praecisis opus idolatriae amputatum ostenditur. Et in capite ejus superbia diaboli abscisa significatur a quo initium peccati fuerat irrogatum.

QUAEST. Quid est quod percussi sunt in posteriora hi qui arcam Dei captivaverant?

RESP. Haec poena signum videtur quia si quis suscepit testamentum Dei et posteriora vitae hujus dilexerit ex ipsis justissime cruciabitur quae juxta apostolum extimare debet sicut stercora. Qui enim sic adsumunt divinum testamentum ut in posteriora respicientes veteri se vanitate non exuant similes sunt hostibus illis qui arcam testamenti captivatam juxta idola sua posuerunt, et quia omnis caro foenum, illi quidem ut flos foeni decipiunt, arca autem Domini manet in aeternum.

QUAEST. Quid significaverunt vaccae illae Philistorum foetae et nusquam penitus subjugatae, quae arcam Domini gestantes recto itinere gradiuntur?

RESP. Vaccae illae figuram gestaverunt sanctorum renuntiantium seculo gestantes mysterium testamenti Dei in cordibus suis, qui nullum delicti jugum traxerunt. Nam sicut illae affectibus pignorum a recto itinere minime digressae sunt, ita sancti mundo renuntiantes parentelae obtentu non debent a bono praepediri proposito. Sicut enim nostra nobis anima non est odienda sed ejus carnales affectus odio debemus habere, ita nec proximi odio a nobis habendi sunt sed eorum impedimenta quibus a recto itinere nos impediunt. Unde scriptum est; *Qui dicunt patri suo aut matri nescio vos et fratribus suis ignoro illos, et nescierunt filios suos, hi custodierunt testamentum Dei et praeceptum ejus servaverunt.*

QUAEST. Quid est quod post mortem Eli exaudiens Dominus Samuelem pro Israel quem regebat cum intonuisset Dominus contra alienigenas, offerens idem Samuel holocaustum sumsit lapidem unum quem vocavit lapis adjutorii et posuit eum inter Marfal et inter Seni sive ut septuaginta interpretes transtulerunt inter Marfal novam et veterem?

RESP. Marfal interpretatur intentio, lapis ille adjutorii medietas est salvatoris per quem transeundum est a Marfal vetere ad novum i. e. ab intentione quae carnaliter expectabatur in populo carnali, ad illam intentionem, quae per novum testamentum expectatur in regno coelorum.

QUAEST. Sequitur quod iste Samuel invocato nomine Domini exaudivit eum Deus et in tempore messis pluvias impetravit?

RESP. Ut saepe dictum Samuel Novi testamenti verum Sacerdotem et Dominum figuravit. Pluviae enim in sanctis scripturis verba sunt evangelii sive legis sicut Moyses dicit: *expectetur sicut pluvia eloquium*

meum et descendant sicut ros verba mea. Hanc igitur pluviam divino-
rum verborum dedit in mundo Christus in tempore messis i. e. quando
gentes colligi oportebat ut sicut frumentum in orreis sic in ecclesiae
sinu congregentur.

QUAEST. Quid significatum est per electionem atque reprobationem
regni Saul succedente in regno David quem ipse fuerat persecutus?

RESP. In hoc loco Saul regni judaici insinuat reprobationem sive
et ejusdem populi aemulationem; qui David i. e. Christum injusto odio
invidiae conatus est perdere.

QUAEST. Quid est quod iste Saul dum pergeret dimicaturus adver-
sus Filistim indixit cuncto exercitui jejunium, Jonathan filius ejus
gustato paululum melle jejunium solvit?

RESP. Hoc facto admonetur omnes illecebras voluptatum in seculo
debere continere qui Deo nitimur militare. Non enim potest contra
Allochylos spiritalis i. e. adversus principes tenebrarum viriliter proeliare
qui adhuc mundi hujus negligit dulcedinem declinare. Mel enim distil-
lant labia meretricis quod est delectatio voluptatis carnalis. Ubi qui
deprehenditur vix precibus populi i. e. sanctorum suffragiis liberatur.
Additur post haec quod cum inisset Saul proelium adversus Amalech
interfectis cunctis hostibus pepercit Agag regi nec juxta praeceptum
Domini voluit disperdere eum, qui cum irasceret Dominus venit rursus
Samuel sumsitque gladium et in frustra concidit Agag. Quando legunt
quidam in scripturis quod viri sancti nulli penitus hostium pareunt a
quibusdam male intelligentibus existimantur crudeles. Dicunt enim quia
et justi ita percusserunt hostes ut non relinqueretur ab his qui salvus
fieret, et non intelligunt in talibus factis obumbrari mysteria, atque hoc
nobis magis indicari, ut pugnantes adversus vitia nullum penitus ex his
relinquere debeamus sed omnino interimere. Nam si pepercerimus re-
putari nobis ad culpam sicut reputatum est Saul qui vivum servaverat
regem Amalech. Amalech quippe diaboli typum expressit qui est auctor
omnium vitiorum. Quomodo enim quisque justus manebit si adhuc ali-
quid peccati servaverit sicut Saul? Sancti vero in figuram Samuelis ita
saeviunt super hostes suos i. e. super vitia peccatorum, ut non permit-
tant relinqui peccatum aliquod impunitum.

QUAEST. Quid est quod recedente a Saul propter inobedientiam
arreptus est maligno spiritu sicut hic scriptum est: *qui spiritus Domini
malus irruerat in Saul?*

RESP. Spiritus iste qui irruerat in Saul aperte ipsum diabolum
fuisse percertum est. Sed ecce ipse iniquus spiritus et Domini appel-
latur et malus. Domini videlicet per licentiam potestatis justae, malus
autem per desiderium voluntatis injustae. Nam cum antiquum hostem
Dominus servire permiserit ei ad usum (?) et justum Dei judicium, et in-
justa illius voluntas praesto est. In Saul vero malignus spiritus irruens
Domini esse dicitur, quia ab ipso potestatem acceperat. Malus vero
esse scribitur, quia hostis voluntatem habebat. Sequitur post
haec quod Saule propter inobedientiam reprobo mittat Dominus
Samuelem ad Isai et sumto cornu olei unxit in regem David. David
enim interpretatur manu fortis sive desiderabilis qui est. Christus enim
fortior noster mediator leone fortissimo de tribu Juda qui vicit mundum.

Aut quid desiderabilius illo de quo scriptum est: *veniet desideratus cunctis gentibus*. Unctio ista de David eundem Christum redemptorem nostrum demonstrat, Christus enim a chrismate appellatur. Scribitur enim quod David ab officio pastoralis pecudum ad hominum regnum transfertur. Quia manu fortis quod David dicitur ipse Dominus Jesus ab ovibus Judaicae plebis ablati in regnum gentium est transactus. In Judaea enim non est modo Christus, ablati est inde, nunc alias greges pascit in gentibus.

QUAEST. Quid est quod dum agigaretur Saul a spiritu maligno caneat David in cythara suaviter, sicque malignum spiritum compescebat?

RESP. Ut jam praemisum est David Christus accipitur. In ligno vero citharae David crux Christi monstratur, in quam quasi extensione nervorum caro Christi adfigenda mystice nuntiatur. Dum igitur psallat David cithara compescet malignum spiritum, quia dum crucifigitur Christus ipse diabolus in morte prostratur. Nam et haec ipsa figura ligni crucis in Christo jam tunc per David in salutem daemonis spiritum opprimebat. Iste est David qui leonem quoque et ursum necavit. Ursus videlicet diabolus latenter insidiantem, leonem vero antichristum in posterum manifestissime saevientem. Sic quidem in proelio David gigantem superavit cum adversus populum Dei alienigenae dimicarent. In David Christus, in Goliath diabolus; provocaverat enim unus unus, Goliath David, superbia humilitatem, diabolus Christum. Accipit igitur arma bellica sanctus David ut adversus Goliath procederet. Sed ea abiciens accepit quinque lapides de flumine et posuit in vase pastoralis. His armatus processit et vicit. Ut saepe dictum est in David Christus qui tempus revelationis novi testamenti praeviciens arma deposuit i. e. corporalia sacramenta legisque non sunt imposita gentibus; haec arma deposuit tanquam onera et ipsam legem intellectus sacramentorum accepit. Quinque enim lapides quinque libros Moysis significant. Tulit illos quinque lapides de flumine i. e. de seculo et de illo primo populo ubi vacabant et nihil proderant. Transiebat inquit fluvius super eos seculi et inutiles ipsi legis lapides apparebant. Sed quid fecit David i. e. Christus ut lex ipsa utilis esset? accipit enim gratiam intellectus legis et posuit in vase pastoralis i. e. in corda credentium ubi quasi lac lex mulgere consueverat. His armatus processit adversus Goliath superbum. Tulit unum lapidem et jecit. Percussit in fronte diabolus et cecidit. Ibi percussit ubi signum Christi non habuit.

QUAEST. Sed quid est quod quinque lapides posuit et uno percussit?

RESP. Quinque libri legis lecit sunt, sed unitas vicit. Quis iste unus lapis ex lege nisi caritas. *Plenitudo inquit legis caritas*. Et ideo quia Deus caritas, et Dominus scilicet Deus caritas; Deus plenitudo legis. Iste est lapis de monte abscissus sine manibus. Et per Ezechielem septem oculis indutus i. e. septiformi spiritus gratia plenus, qui Goliath i. e. diaboli superbiam in morte prostravit, et populum sibi credentem ostendit de victoria triumphantem.

QUAEST. Quid mysteriorum praeostensum est per hoc quod cum fugiens David a facie Saul venisset ad sacerdotem Abimelech gladium

Goliae ab eo sustulit et panes propositionis accepit atque ex hoc et sacerdoti mortem attulit et animadversionem religiosae intulit civitati?

Resp. Haec itaque gestorum fides est. Sed quantum ad sacramentum prophetiae pertinet in Christo Domino nostro impletum est. Per David in omnia et per omnia Christus, per Saul judaica plebs. Per Abimelech apostolica unio. Per Dohec Idumaeum Judae traditoris persona monstratur. Dum ergo fugeret David Saul i. e. dum insultationem judaicam declinaret, Christus ad Abimelech i. e. ad apostolos transiit, cum quibus et desideratum panem sumpsit, illum videlicet de quo dixit: *desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum*. Sed et arma Goliae ab eo sustulit quia fortis spolia ipse diripuit. His ergo a quibus receptus est David i. e. Christus tribulationes et mortem indixit diabolus. Quia juxta apostolum omnes qui pie volunt vivere in Christo persecutionem patiuntur. Per Dohec autem i. e. Judam proditorem hanc persecutionem tunc praeostensam et ecclesia sustinuit et quam plurimi discipuli Christi et sacerdotes qui pro nomine David i. e. Christi persecutiones gravissimas pertulerunt. Interea David cum fugeret Saul latere voluit apud regem quendam Geth nomine Achis. Sed cum gloria ejus ibi fuisset commemorata ne per livorem idem rex ad quem confugerat aliquid in eum machinaretur finxit insaniam et quasi furore correptus mutavit os suum defluabantque salivae in barbam ejus et collabebatur in manibus eorum et procidebat ad ostia portae; et dixit Achis rex: *Quid huc mihi adduxistis istum; nunquid deerant nobis furiosi* et sic eum dimisit. Achis interpretatur quomodo est, per quod significatur ignorantia et verbum mirantis et non agnoscentis; quod in gente Judaeorum impletum est qui dum viderunt Christum non agnoverunt, coram quibus mutavit os suum et abiit. Erant enim ibi praecepta legis carnalia, erat sacrificium secundum ordinem Aaron et postea ipse de corpore et sanguine suo instituit sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Mutavit ergo os suum in sacerdotio, mutavit in praeceptis, dans aliud testamentum evacuata carnali operatione atque inde conlapsus est in manibus eorum quando eum comprehendentes crucifixerunt, Admonet Dominus et dixit: *nolite tangere Christos meos*. Reges igitur in gente Israel Christi appellabantur, hoc enim nomen erat in regibus quod a Saul coepit cui David successit in regno. Atque inde ceteri reges Judae et reges Israel continuatione sacrae consuetudinis unguebantur. In qua unctione figurabatur unus verus Christus cui dictum est: *Unxit te Deus Deus tuus oleo exaltationis prae participibus tuis*. Et procidebat David ad ostia portae i. e. humiliabat se. Hoc est enim procidere usque ad ostium fidei nostrae. Ostia enim portae initium fidei. Inde incipit ecclesia et pervenit usque ad speciem. Ut cum credit ea quae non videt mereatur perfrui cum eum facie ad faciem videre coeperit. Quod vero in illo quasi furore salivae decurrebant super barbam ejus apostolus hoc aperit dicens: *Judaei signa petunt et Graeci sapientiam quaerunt. Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis vere vocatis Judaeis et Graecis Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam. Quia quod stultum est Dei sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei fortius est hominibus*. Salivae enim significant stultitiam, salivae

significant infirmitatem. Sed quod stultum est Dei fortius est hominibus. Non tanquam salivae offendant, sed attende quia super barbam decurrunt. Quomodo enim in salivis infirmitas, sic in barba virtus ostenditur. Texit ergo virtutem suam corpore infirmitatis suae. Et quod forinsecus infirmabatur, tanquam in saliva apparebat. Intus autem divina virtus tanquam barba tegebatur.

QUAEST. Quid et per hoc mysteriorum significatur, quod gestum est quando fugiit David a facie Saul in speluncam?

RESP. Quid spelunca nisi caro Christi aperte monstratur. Quid ergo est quod David a facie Saul in spelunca latuit nisi ut in carne veniens Christus ad complementum legis et prophetarum occultaretur oculis carnalibus populo illi donec legem perficeret et prophetas. Quid est enim contegi spelunca nisi contegi terra. David fugit in speluncam; et Christus terra tegitur ne videatur. Portabat autem terra Jesu carnem, itaque quam acceperat de terra, et in ea se occultabat ne a Judaeis inveniretur Deus. *Si enim cognovissent nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* Quare ergo Dominum non invenerunt? Quia spelunca se texerat i. e. quia carnis infirmitatem oculis objiciebat et majestatem divinitatis in corporis tegmine tanquam in speluncae aditum contegebat. Illi ergo non cognoscentes Deum persecuti sunt hominem. Nec mori potuit nisi in homine. Quia nec teneri potuit nisi in homine. Opposuit enim male quaerentibus terram, servavit bene quaerentibus vitam. Sed et haec spelunca quae signatur in corpore Christi non incongrue et in ejus monumento potest aptari. Denique usque adeo se occultavit David a facie Saul quousque fugeret in speluncam quia usque adeo se occultavit Judaeis Christus ut moreretur in carne. Et quare se voluit occultare usque ad mortem, nisi ut abiret in speluncam monumenti quod erat scisum in petra. Illuc fugit noster David a facie Saul quia tamdiu eum persecuti sunt Judaei quousque in hac poneretur spelunca. Sed quid est quod Saul persecutor ad purgandum ventrem in speluncam ingreditur nisi quod Judaei in Christum conceptam mentis malitiam quasi odorem foetidum emisissent et cogitata apud se noxia factis exterioribus dum Christum perimunt ostenderunt. Sed David Saulem cum eum occultatus in antro haberet in potestate occidere noluit quia Christus dum esset in spelunca carnis persecutorum populum in potestate habuit et non occidit. Scriptum erat de eis: *ne occideris eos.* Sed David summatem chlamydis ejus silenter abscidit, i. e. Christus a Judaeis regni gloriam abstulit. Chlamydis enim abscissio regni est amputatio. Sicut et per Samuelem ostenditur quando propter inobedientiam Saul precans veniam tenuit pinnulam vestimenti ejus et dirupit eam. Et dixit ad eum Samuel: *Diripit Dominus regnum Israel de manu tua hodie et dabit illud proximo tuo.* Et ideo rex iste Israelis personam figurate gerebat, qui bene amisit regnum dum regem persequitur Christum.

Sequitur interea quod fugiens David cum Achis rege Philistorum in proelium adversus Israel insurgentes Amalechitae irruerunt in Sicelet, et succedentes eam captivaverunt omnia quae erant David et puerorum ejus. Reversus ergo David ad persequendos Amalechitas invenit Aegyptium puerum lassescemtem quem Amalechitae aegrotum in itinere reliquerant, hunc David inventum cibo reficit, ducemque sibi itineris

fecit. Sicque Amalechitas persequitur epulantesque repperit et funditus extinguit. Quid est quod Aegyptius Amalechitae puer in itinere lassatur nisi quod amator praesentis seculi peccati sui nigredine opertus saepe ab eodem seculo infirmus despectusque relinquitur, ut cum eo nequaquam currere valeat sed fractus adversitate torpescat. Sed hunc David invenit quia redemptor noster veraciter manu fortis nonnunquam quos despectos a mundi gloria reperit in suo amore convertit. Cibo pascit quia verbi scientia reficit. Ducem itineris eligit, quia suum etiam praedicatorem facit. Et qui Amalechitas sequi non valuit, dux David efficitur, quia hic is quem indignum mundus deseruit non solum conversus in sua mente Dominum recipit, sed praedicando hunc etiam usque ad aliena corda perducit. Quo videlicet duce David Amalechitam convivantem invenit et extinguit quia Christus ipsis praedicantibus mundi laetitiam destruit quos mundus comites habere desepxit.

QUAEST. Quid est quod post mortem Samuelis cum congregati essent Philistim contra Israel cum consulisset Saul Dominum et non respondisset ei quaesivit idem Saul Pytonissam quae suscitarret illi Samuelem. Statimque suscitatus ait ad eum: *Quare inquietasti me ut suscitarer?*

RESP. A multis quaeritur secundum historiam, utrum Pytonissa ipsum prophetam de inferno evocaverit, an etiam aliquam imaginariam illusionem ostenderit fallacia daemonum factam. Sed non est absurdum credere, quod ex aliqua dispositione divinae voluntatis permissum fuisset ut non invitus nec nominante magica potentia sed volens atque obtemperans dispensationi Dei occultae quae et Pytonissam illam et Saulem latebat spiritus prophetae sancti se ostenderet aspectibus regis divina eum sententia percussurus sicut et rei gestae probavit eventus.

QUAEST. Igitur cum exorto proelio percussissent Philistaei Israel plaga magna corruissentque in proelio Saul et Jonatam quos denique pius David propheta figuraliter deslet, quid est quod ipse David qui retribuentibus sibi mala non reddit cum Saul et Jonatam bello occumberent Gelboe montibus malediceret dicens: *Montes Gelboe nec ros nec pluvia veniant super vos neque sint agri primitiarum quia ibi abjectus est clypeus Saul quasi non esset unctus oleo?*

RESP. Quid enim montes Gelboe Saul moriente deliquerunt quatenus in eis nec ros nec pluvia caderet et ab omni eos viriditatis germine sententiae sermo siccaret. Per Saul enim unctum et mortuum mors nostri mediatoris exprimitur. Gelboe interpretatur decursus. Et quid Gelboe montes nisi superba Judaeorum corda signantur. Quae dum in hujus mundi desideriis defluunt, in Christi i. e. uncti se morte miscuerunt; et quia in eis unctus rex i. e. Christus corporaliter moritur, ideo ipsi ab omni divinae gratiae rore siccantur. De quibus et benedicunt, ut agri primitiarum esse non possint. Superbae quippe Haebraeorum mentes primitivos fructus non ferunt, quia in redemptoris adventum ex parte maxima in perfidia remanentes primordia fidei sequi noluerunt. Sancta namque ecclesia in primitiis suis multitudine gentium fecundata vix in mundi fine Judaeos quos invenerit suscipit et extrema colligens eos non quasi primitias agri sed quasi reliquias frugum ponit. De quibus nimirum reliquiis Isaia dicit: *si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris reliquiae salvae fient.* Sed idcirco possunt Gelboe montes

i. e. superba corda Judaeorum more prophetico maledici ut dum ex eis fructus fidei quasi ex arescente terra non oritur ipsi potius quasi possessores terrae sterilitatis damno feriantur. Quatenus ipsi maledictionis sententiam acciperent qui apud se mortem regis suscipere iniquitate sua exigente meruissent.

QUAEST. Quid est post haec quod circa exteriora bella laboranti David interdicatur ne domus Dei ab eo aedificaretur?

RESP. Quod enim David aedificare interdicatur, semini ejus servatur qui est Christus. Nam sicut in multis saepe locis David Christi gestavit figuram, qui ex eis stirpe secundum carnem descendit, ita in hoc loco nostram qui sumus membra corporis Christi figuram expressit. Templum quippe Dei nos sumus qui ad veram vitam in ejus habitatione construimur Paulo attestante qui ait: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Sed vir sanguinum templum Dei aedificare prohibetur. Quia qui adhuc actis carnalibus incubat necesse est ut instituere ecclesiam spiritaliter non praesumat. Quia nequaquam pure maculam in membro considerat oculus quem pulvis gravat superjectus et sordes tergere non valent manus quae lutum tenent.

QUAEST. Quid est quod David rex in solario deambulans Bethsabe Uriae concupiscit uxorem; quem tamen Uriam revertentem a proelio ire in domum admonet pedes lavare. Qui protinus respondit dicens: *Arca Dominus sub pellibus est et ego in domo mea requiescam.* Quem David ad mensam propriam suscepit eique epistolas per quas mori debeat tradidit?

RESP. Cujus enim David in solario deambulans typum tenet nisi nostri redemptoris de quo scriptum est: *In sole posuit tabernaculum suum.* Et quid est Bethsabe ad se perducere nisi redemptor noster legem litterae carnali populo conjunctam spiritali sibi intellectu sociare. Bethsabe enim puteus septimus dicitur. Quia nimirum per cognitionem legis infusione spiritalis gratiae perfecta nobis sapientia ministratur. Quem vero Urias nisi Judaicum populum significat. Cujus nomen interpretatum dicitur lux mea Dei. Judaicus autem populus quia de accepta legis scientia extollitur quasi de Dei luce gloriatur. Sed huic Uriae David uxorem abstulit sibi conjunxit quia videlicet manu fortis quod David dicitur in carne redemptor apparens dum se spiritaliter loqui legem innotuit per hoc quod juxta litteram ab illis tenebatur ipsam legem ab eodem Judaico populo quasi extraneam demonstravit, sibi conjunxit quia se per illam praedicari declaravit. Uriam tamen ad domum ire David admonet pedes lavare quia incarnatus dominus veniens Judaico populo praecepit ut ad conscientiam redeat et sordes corporum fluctibus tergat ut spiritaliter mandata legis intelligat, et post tantam duritiam praeceptorum fontem baptismatis inveniens ad aquam post laborem recurat. Sed Urias qui arcam Domini esse sub pellibus meminit respondit quod domum suam intrare non possit. Quid est arcam Domini esse sub pellibus nisi mandata legis in sacrificiis carnalibus detineri. Et quid domus Uriae nisi conscientia Judaici populi. Arcam enim Domini esse sub pellibus Urias meminit et propterea respondit se domum suam intrare non posse. Ac si Judaicus populus dicat: Ego mandata Dei in sacrificiis carnalibus video; ideo redire ad conscientiam per spiritalem intelligentiam non requiro. Quasi enim arcam esse

sub pellibus dicit qui praecepta Dei non spiritualiter nisi tantum ad exhibendum mysterium sacrificii carnalis intelligit. Hunc tamen Uriam etiam redire ad domum nolentem David ad mensam vocat quia quamvis judaeus populus ad conscientiam redire contemnat ei tamen redemptor veniens spiritualia mandata praedicat dicens: *Si crederetis Moysi crederetis forsitan et mihi. De me enim ille scripsit.* Legem itaque Judaicus populus tenet quia ejus divinitatem loquitur cui idem populus credere dedignatur. Unde et Urias ad Joab cum epistolis ex quibus occidi debebat mittatur quia idem ipse judaeus populus legem portat qua convincente morietur. Dum enim mandata legis retinens juxta litteram tantum implere nitatur ipse nimirum defert judicium unde damnetur.

Quaeritur a quibusdam quid innuebatur per hoc quod David Christi gestans typum multas uxores et concubinas habuisse describitur, cum has res Christus abhorrescat et damnet. Multae uxores David multarum gentium et nationum imaginem indicabant quae per fidem Christi consortio jungerentur. Concubinae vero ejus significabant haereticorum ecclesias quae sub titulo Christi nomine manere se gloriantur. Sed quia propter carnalia lucra Christum sectantur non conjuges sed concubinae vocantur. Denique nunc homines si plures habeant uxores vel concubinas crimen est quia jam transierunt figurae pro quibus uxorum vel concubinarum venia concedebatur.

QAEST. Illud vero quid significat quod parricida filius Absalon patrem insequens primo pater ejus declinans fugiit ante faciem ejus securus de victoria quia sciebat impium perire, quem etiam flevit magno luctu et deploravit interitum parricidae. Scriptum quippe est de populo Israel: *filios enutrivit et exaltavi, ipsi autem me spreverunt.*

RESP. Filius ergo iste impius significatur tropice idem populus Judaeorum qui David i. e. Christum injusto est odio invidiae persecutus. Ante Absalon ergo facie David fugiit quia Christus Judaeos patiundo deserens in gentibus per fidem successit. Alii Absalon Judam traditorem accipiunt sed et utraque intelligentia.

QAEST. Quid est quod idem David sitiens in proelio Philistinorum aquam desiderat de cisterna Bethlehem?

RESP. Haec aqua quam sitiebat David per mysterium sacratissimum significat sanguinem Christi. Sitebat namque David non utique aquam quae est Bethlehem sed oriendum ex virgine Christum in eadem Bethlehem in spiritu praevidebat. Volebat ergo bibere non aquam fluminis sed lavacrum ex latere Christi fluentem. Unde et non bibit oblatam sibi aquam sed Domino libavit, significans sitire Christi sacrificium, non naturae fluentum sed illud sacrificium in quo esset remissio peccatorum, illum sitire fontem aeternum non qui alienis periculis quaereretur sed qui aliena pericula deleteret.

QAEST. Quaeritur cur solus septimus decimus psalmus in libris regum reperitur conscriptus?

RESP. Non immerito psalmus iste in regum libris solus invenitur, quia regnum illud significat ubi adversarium non habebimus. Est enim titulus psalmi hujus: *In die qua eripuit eum Dominus de manu inimicorum ejus et de manu Saul.* Quis enim ut saepe dictum est figu-

ratur in David nisi ille qui venit secundum carnem ex semine David qui utique in corpore suo quod est ecclesia adhuc patitur inimicos. Quando autem eruetur hoc corpus ejus de manu omnium inimicorum ejus nisi quando illa novissima inimica destruetur mors ut perveniatur ad regnum Dei.

QUAEST. Quid praecostensum est in catalogo virorum fortium?

RESP. Figurae demonstrantur sanctorum, qui, quamvis virtutum sublimitate proficiant, tamen usque ad tres non perveniunt, quia usque ad excellentiam divinae trinitatis nequaquam attingunt. Quis enim in nubibus aequabitur Domino, aut quis consiliarius erat Dei inter filios ei.

QUAEST. Quid est quod Salomon tribus appellatus nominibus fuisse perhibetur?

RESP. Salomon tam in vocabulis nominum suorum quam etiam in mysteriis aedificandae domus Dei Christi tenuit typum. Primum enim ejus vocabulum Salomon dicitur i. e. pacificus, significans Christum perpetuae pacis auctorem per quem accepta remissione peccatorum reconciliamur Deo. Ipse enim per pacem suam fecit utraque unum, pacem his qui longe et pacem his qui prope. Secundum ejus nomen dicitur Idida et quod in typo Christi fuerit dilectus et amabilis Domino, *hic est inquit filius meus dilectus in quo bene complacuit mihi*. Tertium vocabulum ejus Coheleth quod graece appellamus ecclesiastes, latine concionator, quod proprie ad rectam sanctam ecclesiam vel ad praedicationem pertinet evangelicae dignitatis. Nam et in hoc quod Salomon aedificavit templum excellentissimum Domino et ibi Christum significat qui aedificavit domum in coelestibus non de lignis et lapidibus sed de sanctis omnibus.

QUAEST. Quid est quod eadem domus de lapidibus dolatis atque perfectis aedificata est et malleus et securis et omne ferramentum non est auditum in templo Dei cum aedificaretur?

RESP. Domus haec ut praedictum est sanctam ecclesiam figurabat quam in coelestibus Dominus inhabitat. Ad cujus aedificationem electorum animae quasi quidam expositi lapides deferuntur. Quae cum aedificatur in coelis nullus illic disciplinae malleus resonat, quia dolati atque perfecti illuc lapides ducimur ut locis congruis juxta meritum disponamur. Hic enim quasi foris per flagella tundimur, ut illuc irreprehensibiles habeamur. Nam et altitudo templi hujus dominici ad fidem refertur, longitudo ad spem, latitudo ad caritatem, quia his tribus virtutibus ecclesiae coelestis instructura consurgit.

QUAEST. Quid est quod parietes templi interius ligno teguntur?

RESP. Ob mysterium dominicae crucis imaginatum est sub cujus tutela protegentur omnes sancti qui tanquam lapides vivi in structura ecclesiae unitate fidei solidantur.

QUAEST. Quid per hoc quod tempore dedicationis templi gloria Domini repleta est idem domus?

RESP. Gloria Domini adventus intelligitur Christi cujus fide repletus est universus mundus, de qua gloria dicit Dominus ad Moysen: *Vivo ego et vivit nomen meum quia implebitur omnis terra gloria mea*. Hanc gloriam Domini et Prophetiae concinunt et Angeli clamant dicentes *gloria in excelsis Deo et i. t. p. h. b. v.*

QUAEST. Quid est quod idem Salomon in eodem templo duodecim boves aeneos fecit quos in aereo labro constituit, qui facie quidem per diversas partes adtendunt sed in uno loco per posteriora colliguntur?

RESP. Quid enim aliud per duodecim boves quam duodecim apostolos credimus designari. Qui facie quidem per diversa respiciunt, quia in hac praesenti vita ad praedicationis officium in diversis mundi partibus sunt divisi; sed ita in labro sunt positi, ut ex posterioribus adveniant, quia in illa vita quae huic vitae posterior est in aeternae gloriae unitate conveniunt. Per diversum ergo mundum praedicando respiciunt sed in unum perveniendo consistunt. Ideo autem hi boves scribuntur aerei quia clamor praedicationis apostolorum in toto mundo insonuit, sicut scriptum est: *In omnem terram exivit sonus*. Labrum autem illum orbem terrae intelligimus cujus ambitum lustraverunt apostoli docentes gentes ut baptizarentur in nomine patris et filii et spiritus sancti.

QUAEST. Legitur locutum fuisse Salomon tria millia parabolas et fuisse carmina ejus quinque millia. Quid igitur per hoc in mysteriis figuratur?

RESP. Per tria milia parabolas plenitudo fidei in lege et evangeliiis a Christo tradita designatur quae dum per allegoriarum sensus ministerium trinitatis disseritur quasi tria milia parabolas nuncupantur. Carmina autem ejus quinque milia pro quinque sensibus corporis intelliguntur. Quos qui in diversis virtutibus bene regit, per eos quasi quinque millia carmina Domino canit.

QUAEST. Quid est quod idem Salomon a cedro usque ad ysopum disputavit?

RESP. Cedri nomine celsitudo gloriae coelestis accipitur. Ysopus autem herba est humilis, saxo adhaerens qua significatur humilitas Christi. Redemptor quippe noster a cedro usque ad ysopum disputavit quia ablata illa excellentia gloriae coelestis usque ad carnis humilitatem descendendo venit, siquidem aliquando et cedri nomine pravorum superba elatio designatur. Sicut per David dicitur: *vox Domini confringentis cedros*. A cedro itaque Christus usque ad ysopum disputat, quia ipse parvorum corda et humilium judicat. Super ligna autem disputavit dum in cruce pependit. Legitur quoque primum habuisse iudicium Salomon inter duas mulieres de pietate testantes. Quarum in una dilectio ardebat in altera simulatio subripiebat. In illo etenim iudicio Salomonis Christi figura fuit, ubi mulier illa improba plebs scilicet synagogae vel haeticorum verae matris ecclesiae filium adpetebat. Quem non ut servaret sed ut interimeret cupiebat. Sed sicut gladio Salomonis dirimente propriae matris repertus est partus, ita et spiritu Jesu Christi docente merentur plerumque hi qui lapsi vel quolibet errore seducti sunt recognoscere ecclesiam matrem.

QUAEST. Quid de regina Austri ad Salomonis sapientiam concurrentes historia figurate demonstrat?

RESP. Regina Austri quae venit ad audiendam sapientiam Salomonis ecclesia intelligitur quae ad verbum Dei ab ultimis terrae finibus congregatur.

QUAEST. Quid est quod Salomon prius bonus et postea in amore feminarum exardescens malus apparuit?

RESP. Hoc in ecclesia populus aperte ostenditur. Nam bono illius bonos ecclesiae, malo autem illius malos ecclesiae dicimus esse significatos. Sicut in unitate illius areae quam Dominum ventilavit bonos in granis, malos in paleis, vel in unitate unius segetis bonos in tritico malos in zizaniis scriptura demonstrat.

QUAEST. Quid est quod post mortem Salomonis decem tribus a templo separatae sunt et duae tantum relictæ?

RESP. Per hoc aperte monstratur quod de tota ipsa gente praetermissis plurimis pauci sunt conversi ad fidem. Sicut ait apostolus: *reliquiae pro electione salvæ factæ sunt.*

QUAEST. Quid figuratum est per hoc quod legitur Heliae prophetae corvis ministrantibus deportatum fuisse mane panes, ad vesperam carnes?

RESP. Helias Christum demonstrat cui quodammodo salutem nostram esurienti quasi panes ita confitentur peccatores fidem primitias spiritus habentes. In fine autem velut in vespera seculi apparebunt ei in carnis resurrectione.

QUAEST. Quid significatum est per hoc quod post haec mittitur Helias pascendus ad alienigenam viduam?

RESP. Vidua haec ad quam Helias mittitur ecclesia ex gentibus figuratur. Quae tamen volebat duo ligna colligere priusquam moreretur. Duo ista ligna crucis Christi est signum quod vidua haec i. e. ecclesia adveniente in typo Heliae Christo in fidem collegit. Cujus viduae farina et oleum benedicuntur et non deficit i. e. gratia Christi et chrismatis unctio, quae toto mundo quotidie impenditur et nunquam minuetur.

QUAEST. Quid significatum est per hoc quod per Heliam in tempore siccitatis nubes nulla apparuit et postea pluviae signum in vestigio hominis ostensum est?

RESP. Significatum est per hoc quod nascente Christo in vestigio hominis imber divinae gratiae de coelo ad terras descenderet, qui fidesitientes animas irrigaret.

QUAEST. Quid est quod rex impius mittens duos quinquagenarios cum subditis sibi militibus ut exiberent Heliam divino igne consumpti sunt, tertius vero salvatur?

RESP. Quinquagenarius namque numerus confessio poenitentiae est per quod declaratur remissio peccatorum. Duo autem illi quinquagenarii hoc poenitentiae mysterium contempnentes Judaeorum scisma est qui nolentes Christum Deum esse nec principem poenitentiae, dicunt ad eum: *quinquaginta annos nondum habes et Abraham nosti.* Qui ob hanc probationem futuri ignis incendio extinguuntur. Tertius autem quinquagenarius gentium est populus, qui ideo tertius quia nec ante legem nec sub lege sed sub gratia tantum Deum cognoscens conversus ad fidem trinitatis poenitentiae sacramenta adiit et indulgentiam plenam accipere meruit.

QUAEST. Quaeritur autem, cur Helias vir sanctus super quinquagenarios maledictionis sententiam sic intulit, ut perirent, dum scriptum sit: *benedicite et nolite maledicere.*

RESP. Sciendum nobis est quod Scriptura sacra duobus modis maledictum memorare videtur, unum videlicet quod approbat, aliud quod damnat, aliter enim maledictum profertur iudicio iustitiae, aliter livore

vindictae. Maledictio quippe haec iudicio justitiae profertur, sicut ipso primo homine peccante prolata est, cum audivit: *Maledicta terra in operibus tuis*. Rursus maledictum non iudicio justitiae, sed livore vindictae promitur, sicut voce Pauli praedicantis admonemur, qui ait: *benedicite et nolite maledicere*. Et maledictum iterum ex ipso justitiae iudicio profertur, quum ab Abraham dicitur: *Maledicam maledicentibus tibi*, et rursus maledictum livore vindictae promitur, sicut idem Apostolus Paulus dicit: *Neque maledici regnum Dei possidebunt*. Sed et in hoc, quod Deus maledicere dicitur et homo maledicere prohibetur, aperte patet, quia maledictum, quod homo agit malitia vindictae, Deus non facit nisi examine et virtute justitiae; unde et cum sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, sed ex justitiae examine erumpunt; intus enim subtile Dei iudicium aspiciunt, et mala foras exurgentia, quia maledicto debeant feriri cognoscunt, et eo in maledicto non peccant, quod ab interno iudicio non discordant. Unde et beatus Petrus Apostolus, cum in Simonem offerentem sibi pecuniam sententiam maledictionis intorsit, quod tamen non indicativo sed optativo modo fecisse manifestatur, cum dixit: *pecunia tua tecum sit in perditione*, aperte patet; quia hoc non indicativo ut diximus sed optativo modo dixisse manifestatur. *Est* vero indicativum est, *sit* vero optativum, unde quia ille non dixit *est*, *sit sit*, non super eum perditionis sententiam iudicavit jam datam, sed adhuc optavit facturam. Sicut et hic Helias Propheta duobus ad se venientibus dixit: *Si homo Dei sum, descendat ignis de coelo, et consumat vos*; nam et hoc ipse non indicativo, sed optativo modo petivit, cum dixit: *Descendat*; sed tamen quamquam hoc sancti viri optantis ordine fieri dixissent, qualiter tamen cito eorum sententia veritatis ratione convaluit, terminus causae monstravit, nam et Simon aeterna perditione interiiit, et duos quinquagenarios desuper veniens flamma consumpsit. Unde qua mente a sanctis viris maledictionis sententia promitur, virtus subsequens testificatur, cum enim et maledicentis innocentia permanet, et eum qui maledicetur usque ad interitum maledictio absorbet, ex utriusque fine colligitur, quia a Deo iudice in reum sententia sumpta jaculatur.

QUAEST. Quid per Eliseum prophetam figuratum est in hoc quod ei parvuli illudebant?

RESP. Eliseus propheta figuram Christi gestavit, qui duplici spiritu Heliae quasi duplici mysterio utriusque testamenti clarescit. Vocabulum ipsum i. e. Eliseus salus Dei interpretatur. Parvuli vero illi illudentes Eliseo Judaeorum habuere personam qui puerili stultitia irriserunt Christum in loco Calvariae crucifixum, et capti a duobus ursis Tito et Vespasiano interierunt.

QUAEST. Quid est per hoc quod mittat Eliseus baculum per puerum super mortuum et non revivescit?

RESP. Puer Elisei cum baculo ad resuscitandum mulieris filium missus typum praeae legis ostendit, quae generi humano transmissa nihil praestitit nisi quia in virga sola austeritatem severitatis monstravit.

QUAEST. Quid per hoc praecostensum est, quod cum iubente Eliseo securi ligna caederentur de manubrio ferrum exiliens in profundum flu-

minis mersum est atque in lignum desuper ab Eliseo projectum reversum est?

Resp. Haec securis ferrea Christus esse monstratur, de quo Johannes dixit: *Ecce securis ad radicem arboris posita est.* Denique dum haec securis i. e. Christus Judaeos tanquam infructuosas arbores caederet, ab eis interveniente passione quasi a manubrio ita ipso egressus inferni profunda descendit, sed ipso tanquam ad manubrium rediens resurrexit. Quod et per illam deuteronomii libris simillimam quaestionem ostenditur ubi ita jubetur ut si quis abierit cum amico suo in silvam ad ligna caedenda et lignum securis fugerit manum ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit et occiderit, hic ad unam electarum urbium fugiat et vivat ne forte proximus cujus effusus est sanguis doloris stimulo persequatur, et adprehendat eum et percutiat animam ejus. Ad silvam cum amico imus quotiens ad intuenda subditorum delicta convertimus. Et simpliciter ligna succidimus cum delinquentium vitia pia intentione resecamus. Sed securis manu fugit cum sese increpatio plus quam necesse est in asperitatem pertrahit. Ferrum quidem de manubrio prosilit cum de correptione sermo durior. Et amicum percutit et occidit qui auditorem suum prolata contumelia ab spiritu dilectionis interficit. Correpti namque mens repente ad odium proruit, si hunc immoderata increpatio plus quam debuit adigit. Sed hic qui incaute lignum percutit et proximum extinguit ad tres necesse est urbes fugiat, ut una earum defensu vivat. Quia si ad poenitentiae lamenta conversus in unitate sacramenti sub spe fide et caritate absceditur, reus perpetrati homicidii non tenetur. Quem extincti proximus cum invenerit non occidit quia cum districtus iudex venerit qui sese nobis per naturae consortium junxit, ab eo procul dubio culpa reatum non petit, quem sub ejus venia spes fides et caritas abscondit. Postulatur post Eliseus a populo ut aquas Jherico steriles et malignas sanaret. Jherico hic mundus. Aqua vero populi omnes. Ad hos igitur sanandos veniens Christus, accipit vas rude fictile i. e. corpus immaculatum. Et adjecit in eo sal i. e. sapientiam suae divinitatis et immersit illud flumine i. e. exhibuit inter homines qui sub figura aquarum in toto mundo steriles erant. Sicque in Christi fecunditate aeternae dulcedinis satiati sunt benedictione.

EXPLICIT DE LIBRO REGUM.

IV.

MILETI EPISCOPI LIBER DE ACTIBUS JOHANNIS APOSTOLI A LEUCIO CONSCRIPTIS.

Opus, quod sequitur, exscripsi ex vitarum Sanctorum collectione, quae invenitur in codice 284 Alcobacensis Bibliothecae, cujus supra a me jam mentio facta est. Liber seculo duodecimo cum diligentia ex codice vetustiore exscriptus est. Necnon idem opus in undecimi aut duodecimi seculi libro manuscripto Vaticanae inveniri videtur; certe in Isidorianis, quae Arevallius Isidori Hispalensis operum editioni praemisit (Isid. Opp. Rom. 1797. tom. II. p. 255), adnotatum est, in Vaticanae codice 1267 opus esse inscriptum: *Incipit prologus de vita et assumptione beati Joannis*, quod fere a similibus verbis incipit, atque illud, quod infra publicavi; verborum enim initium est: „Melito servus Christi episcopus Laodiceae universis episcopis catholicorum in Domino aeternam salutem. Nolo fraternitatem vestram esse sollicitam etc.“ — Denique idem opus in codice bibliothecae Capituli Toletani pariter undecimo aut duodecimo seculo scripto, qui codex vocatur Smaragdinus, inveni, in quo, nisi fallor, Caj. 10, Nr. 25, notatur. In illa autem sanctorum vitarum collectione opus duodecimam narrationem efficit inscriptam: *Dormitio vel assumptio sancti Johannis Apostoli et Evangelistae, qui in civitate Epheso in foveam quam sibi praeparavit 4 Kal. Januariarum*. Incipit a verbis: „Miro servus episcopus Laudociae universis ecclesiis catholicorum in Deo aeternam salutem. Volo etc.“ Lectiones diversas, quas ille codex Toletanus in prologo, qui dicitur, exhibet, libro a me publicato addidi. — Ceterum quis ille Melito, Miletus seu Miro fuerit, qui operis auctor traditur, et quod horum trium nominum verum sit, equidem definire non possum. Leucius autem, ex cujus opere epitomen emendatam fecisse dicitur, in apocryphorum litteris satis notus est; quae ille de apostolis scripserit in catalogo librorum, qui Hormisdæ decretali vetiti sunt, recenseri nemo est qui nescit. Duorum autem principiorum, boni et mali, crimen, quod Leucii doctrinae in prologo sequente aperte objicitur, eo magis mihi observatione dignum videtur, quod Leucius libro suo apud Priscillianos in magno

honore fuit, et quodammodo fundamentum doctrinae eorum effecit, ita ut de duobus principiis, quae illi statuerunt, non sit, quod dubitemus. — Neque indigna sunt observatu nonnulla miraculorum, quae in opere de apostolo narrantur, praecipue secundum, quod contra quaedam genera exercitationum piarum scriptum videtur.

INCIPIT PROLOGUS MILETI EPISCOPI SUPER ACTUS JOHANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTAE.

Miletus servus Christi Jesu, Episcopus Laodiciae universis ecclesiis catholicorum aeternam salutem!

Volo sollicitam esse fraternitatem vestram de Leutio¹⁾ quodam, qui scripsit apostolorum actus Johannis evangelistae et apostoli sancti²⁾ Andree et Thomae apostoli; qui de virtutibus quidem quas per eos Dominus fecit vera dixit, de doctrina vero eorum plurimum³⁾ mentitus est. Dixit enim docuisse eos duo principia, quod execratur ecclesia Christi, et⁴⁾ cum ipse sanctus Johannes⁵⁾ in capite evangelii sui unum testetur principium⁶⁾, in quo fuerit verbum semper, per quod universa creata sunt visibilia et invisibilia, Leutius⁷⁾ dicit eos docuisse duo principia boni et mali, et bona a bono, mala vero a malo principe substituisse⁸⁾, cum constet malum nihil esse substantiale, sed actuale ac penitus nullam esse creaturam neque visibilem neque invisibilem quae possit mala intelligi per naturam. Sive enim angelus malus sive homo malus a Deo bonus factus est, sed⁹⁾ ideo malus, quia contra creatoris sui voluntatem praesumpsit, nam et angeli et homines qui mali esse noscuntur, a justo Deo damnantur. Justus autem Deus injustitiam punit, quam non oriendo sed agendo homines vel angeli¹⁰⁾ incurrisse noscuntur. Prohibita enim a Domino servus si perpetraverit, et justa non fecerit, juste puniendum se esse¹¹⁾ cognoscit. Quicumque¹²⁾ autem se pro sua praesumptione humiliaverit et ex toto corde dixerit, peccavi tibi Domine, miserere mei, subveniet ei pietas Domini; et qui per justitiam judicis justus puniendus extiterat per misericordiam ad indulgentiam revocabitur. Ergo ut vere te peccatorem ostendas, Deum creatorem honora; honoras autem creatorem, si te solum¹³⁾ culpaveris cum deliqueris, et non ascribas creatori quod peccas, ut ex omni parte tuam praesumptionem arguas, non tui queraris opera conditoris¹⁴⁾. Haec Leutii¹⁵⁾ causa memoraverimus¹⁶⁾, qui mendatium¹⁷⁾ apostolos Dei asserit docuisse, duorumque¹⁸⁾ contrariorum principiorum¹⁹⁾ hominis extitisse facturam, et animam a bono

1) Toled. Leucio. — 2) Toled. et sancti. — 3) Toled. de doctrina vero multa mentitus est. — 4) Toled. om. et. — 5) Toled. Johannes Apostolus. — 6) Toled. esse principium. — 7) Toled. Leucius autem. — 8) Toled. extitisse. — 9) Toled. et.

10) Toled. quam oriendo Angeli vel homines, sed agendo incurrisse.

11) Toled. puniendum esse cognoscitur. — 12) Toled. quique cum se ipsum pro. — 13) Toled. om. solum.

14) Toled. add.: Si enim vere negligentem te accusaveris ac delinquentem et veram Deo obtuleris poenitentiam, ad veram poteris indulgentiam pervenire. — 15) Toled. Leucii. — 16) Toled. memoraverim. — 17) Toled. mendatio plenus. — 18) Toled. duorum. — 19) Toled. principio.

Deo conditam, carnem vero a malo et necessitate carnis animam involvi peccatis. Quod si ita esset, qui non peccat, omnino non viveret. Sicut enim qui non manducat aut non bibit aut non digerit aut non dormit, sine dubio vivere non potest, ita et qui non fornicatur aut qui non invidet aut non furatur, aut qui non aliquid crimen admittit, non posse vivere monstraretur. At vero cum doceatur homo sine fornicatione vivere qui sine victu et vestitu vivere non potest, constat eum ita conditum a bono conditore, ut sine criminibus queat subsistere, cum absque alimoniis non possit omnino constare²⁰). Denique clausum carcere, tentum in vinculis, deportatum exilio absque criminibus vivere posse cognoscimus cum absque cibo et potu et digestionem et somno penitus vivere non posse comprobemus. Nunc jam ad sanctum Johannem apostolum et evangelistam flectamus articulum et ad Dominum de hac luce qualiter migraverit explicemus. *Explicit prologus.*

INCIPIUNT ACTUS VEL MIRACULA SANCTI JOHANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTAE.

Secundam post Neronem Christianorum persecutionem Domitianus exercuit, unde factum est ut sanctus Johannes asportaretur de Epheso et in Pathmos insula in exilium mitteretur, in qua insula apocalipsim quam ei Dominus revelavit manu sua conscripsit. Domitianus autem eodem anno quo jussit sanctum Johannem exiliari a senatu romano interfectus est. Et quum Deo cura fuit de apostolo suo, ex totius senatus consulto hoc definitum est, ut quicquid Domitianus fieri voluit cassaretur. Hinc factum est ut sanctus Johannes qui voluntate Domitiani deportatus cum injuria fuerat, cum honore ad Ephesum remearet. Occurrit autem illi omnis populus virorum ac mulierum, omnes exultantes et dicentes: benedictus qui venit in nomine Domini.

Cum autem ingrederetur civitatem Drusiana quae semper eum secuta fuerat et adventus ejus fuerat desiderio fatigata, efferebatur mortua. Tunc sanctus Johannes videns flentes pauperes et parentes atque viduas simul cum orphanis clamantes et dicentes: sancte Johannes apostole, ecce Drusianam efferimus quae sanctis tuis monitis obtemperans omnes nos alebat, serviens Domino in castitate et humilitate; et cotidie desiderabat reditum tuum dicens: si videam apostolum Dei oculis meis, antequam moriar; ecce tu venisti et te videre non potuit. Tunc beatus Johannes jussit deponi feretrum et resolvere corpus ejus, et voce clara dixit coram omnibus: Dominus meus Jesus Christus excitet te Drusiana, surge et pedibus tuis revertere domum tuam et praepara mihi refectionem. Ad hanc vocem surrexit et coepit ire, sollicita de jussione apostoli, ita ut videretur ipsi Drusianae quia non de morte sed de somno excitasset eam. Factus est autem clamor populi per tres horas dicentis: unus Deus quem praedicat Johannes, unus et verus Dominus Jesus Christus. Altera vero die Craton philosophus in foro proposuerat de contemptu mundi hujusmodi spectaculum, ut duos fratres dilissimos produceret, quos fecerat distracto patrimonio gemmas emere singulas, quas in conspectu omnium populorum fregerunt pueri. Quod cum facerent contigit transi-

20) Toled. omnino non stare.

tum habere Johannem apostolum, et convocans ad se Cratonem philosophum ait: stultus est iste mundi contemptus, qui hominum ore laudatur, sed condemnatur divino judicio; sicut enim vana medicina est, ex qua non absciditur morbus, ita vana doctrina est, ex qua non curantur vicia animarum et morum. Magister itaque meus juvenem cupientem ad vitam aeternam attingere, his verbis instruxit ut diceret quatinus si vellet perfectus esse venderet omnia sua et daret pauperibus; quo facto thesaurum in coelis acquireret, et vitam quae finem non habet inveniret. Cui Craton dixit: humanae cupiditatis fructus in medio hominum positus contractus est; sed si vere Deus est magister tuus et vult hoc fieri ut pauperibus erogetur census pretii harum duarum gemmarum, fac reintegrari gemmas, ut quod ego feci ad famam hominum, tu facias ad gloriam ejus fieri, quem tuum magistrum esse commemoras. Tunc beatus Johannes colligens fragmenta gemmarum, et ponens ea in manibus suis, elevavit oculos ad coelum et ait: Domine Jesus Christus, cui nihil impossibile est, qui fractum mundum per lignum concupiscentiae per lignum crucis tuae interius fidelibus restaurasti, qui nato coeco oculos, quos natura negaverat, reddidisti, qui mortuum Lazarum et sepultum post quartum diem ad superos revocasti, et omnes morbos et omnes aegritudines virtutis tuae verbo curasti, adesto super lapides istos pretiosos ut quos ignorantes fructum eleemosinae ad plausus hominum confregerunt, tu Domine per manus angelorum tuorum modo recuperes, ut pretio eorum misericordiae usus expletus faciat credentes tibi pervenire, quod tuum imperium, qui cum ingenito patre et spiritu sancto illuminatore et sanctificatore totius ecclesiae vivis et regnas Deus in secula seculorum. Cumque fideles qui cum apostolo erant respondissent amen, ita solidata sunt fragmenta gemmarum, ut nec signum alicujus fracturae in eis remaneret. Tunc philosophus Craton simul cum his juvenibus et cum universis discipulis suis pedibus ejus advolutus credidit et baptizatus est cum omnibus, et coepit fidem Domini nostri Jesu Christi publice praedicare. Tunc duo illi fratres venundantes gemmas quas vendito patrimonio suo emerant pauperibus erogaverunt. Et coepit infinita turba adhaerere apostolo.

Tunc duo honorati viri civitatis Ephesiorum horum sequentes exemplum, vendentes omnia sua quae habere poterant et dantes universa egentibus, sequebantur apostolum per civitates euntem et verba Domini praedicantem. Contigit autem ut intrantes urbem Pergamum viderent servos suos sericis indutos vestibus procedentes et in gloria seculari fulgentes. Unde factum est ut sagitta diaboli percussi tristes efficerentur, quod se in uno pallio viderent egentes, suos vero servos potentissimos atque fulgentes. Sed hos dolos diaboli intelligens apostolus ait: Video vos et animos mutasse et vultus propter hoc quod doctrinam Domini mei Jesu Christi secuti estis, et omnia quae habere potuistis pauperibus contulistis. Unde si vultis omnia recuperare quae in auro et in argento et lapidibus pretiosis habuistis, deferte mihi virgas rectas in singulis fascibus. Quod cum fecissent, invocato nomine Domini conversae sunt in aurum. Item dixit eis: deferte mihi lapides minutos a littore maris. Quod cum fecissent invocata Domini majestate conversi sunt in gemmas. Tunc dicit eis sanctus Johannes apostolus: per septem

dies ite per aurifices et gemmarios, et cum probaveritis verum esse aurum et veras gemmas, nuntiate mihi. Euntes autem ambo post septem dies reversi sunt ad apostolum dicentes: Domine, omnium aurificum officinas circumivimus, qui omnes dixerunt tam purum aurum et tam optimum nunquam se vidisse; sed et gemmarii eadem dixerunt; tam optimos et tam pretiosos lapides se nunquam vidisse. Tunc Sanctus Johannes dixit eis: ite et redimite vobis terras quas vendidistis, quia coelorum praemia perdidistis. Emite vobis sericas vestes, ut per tempus fulgeatis sicut rosa; quae dum flos ejus et odorem pariter ac ruborem ostendit, repente marcescit. Suspirastis enim in vestrorum servorum aspectus et vos effectos pauperes genuistis. Estote ergo floridi, ut marcescatis, estote divites temporaliter, ut in aeternum mendicetis. Numquid nam impotens est manus Domini ut non faciat servos suos divitiis affluentes et incomparabiliter splendentes? Sed certamen statuit animorum ut qui pro ejus nomine temporales habere opes noluerint credant se aeternas habituros. Denique narravit nobis Dominus noster Jesus Christus de quodam divite, qui epulabatur quotidie splendide et fulgebat in auro et purpura, ad cujus fores jacebat mendicus Lazarus, qui cupiebat vel micas quae de mensa ejus cadebant accipere. et nemo illi dabat. Contigit autem ut uterque moreretur, et ille mendicus deferretur in requiem, quae est in sinu Abrahae; ille autem dives mitteretur in flammam incendii, unde elevans oculos vidit Lazarum sedentem in sinu Abrahae et exclamavit dicens: Pater Abraham miserere mei et mitte Lazarum ut intingat digitum suum in aquam et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Cui Abraham respondens dixit: memento fili, quod recepisti bona in vita tua, Lazarus vero similiter mala; nunc vero hic consolatur, tu vero torqueris. Et in his omnibus chaos magnum inter nos et vos firmatum est, ut neque inde huc neque hinc illuc transire aliquis possit. At ille respondit: Sunt mihi quinque fratres, obsecro ut surgat aliquis qui moneat eos ne huc veniant in hanc flammam. Cui Abraham ait: habent Moysen et prophetas, audiant illos. Ad haec ille respondit: nisi resurrexerit aliquis non credent. Cui dixit Abraham: Si Moysi et prophetis non credunt, nec si aliquis resurrexerit poterunt ei credere. Hos autem sermones suos Dominus ut magister noster virtutum firmabat exemplis. Nam cum dicerent ei: Quis inde huc venit, ut credamus ei, ille ait: deferte huc mortuos, quos habetis. Cumque adportassent coram illo tria corpora mortuorum velut dormientia excitata sunt ab eo, qui dabant fidem universis sermonibus eius. Sed ad quid ego de Domino meo refero haec, cum in praesenti sint quos in ejus nomine suscitavi vobis praesentibus, in cujus nomine et paraliticos curatos vidistis et leprosos emundatos et coecos illuminatos, et a daemoniis homines liberatos? Sed has virtutum opes habere non possunt, qui divitias voluerint habere terrenas. Denique vos ipsi quando ad infirmos intrastis, invocato nomine Domini nostri Jesu Christi salvati sunt, fugastis daemonia, et etiam excoecatis lumina reddidistis. Ecce ablata est haec gratia a vobis et facti estis miseri qui eratis fortes et magni. Et cum tantus timor vestri esset in daemoniis, ut jussu vestro obsessos homines relinquerent, modo vos timetis daemonia; amator enim pecuniae servus est mammonae. Mammona autem daemonis nomen est;

qui lucris carnalibus praeest et dominatur his qui diligunt mundum. Nam cum sit unus venter et sint reposita tanta quae mille ventribus sufficiant, et cum sit unum corpus et sint tantae vestes quae mille hominum corporibus praebeant indumenta, utique quod uti non potest custoditur, et cui custodiatur omnino nescitur, dicente Spiritu sancto per prophetam: Vane conturbatur omnis homo, thesaurizat et ignorat cui congreget ea. Nudos nos fuderunt in lucem partus mulierum egentes cibo, amictu, poculo, nudos nos recipiet terra quae genuit. At vero in commune possidemus coeli divitias. Splendor solis diviti et pauperi aequaliter communis est; similiter lumen lunae, et siderum, aëris quoque temperies et pluviarum guttae et ecclesiae januae et fontis sanctificatio et peccatorum remissio et participatio altaris et esca corporis et potus sanguinis sancti et crismatis unctio, et gratia largitoris et visitatio Domini et universi peccati indulgentia, horum omnium, absque personae alicujus acceptione, aequalis est dispensatio conditoris. Neque enim aliter dives et aliter pauper utitur his donis sed miser et infelix homo dum vult plus habere quam sufficit, multis se doloribus ac sollicitudinibus subdit. Nascuntur enim hinc calores febrium, rigores frigorum, dolores varii in cunctis corporum membris et neque esca cibari potest neque poculo satiari, ut cognoscat cupiditas non sibi pecunias profuturas, quae repositae custodibus suis sollicitudinem diurnam et nocturnam incutiunt, et nec unius horae spatio quietos eos aut securos esse patiuntur. Nam dum custoditur a furibus domus, dum possessio colitur, dum aratris intendunt, dum solvunt fiscalia, dum aedificant promptuaria, dum lucris student, dum potentiorum se impetus mitigare nituntur, dum minus potentes se nudare contendunt, dum iras suas quibus possunt inferunt et inlatas in se vix aut nullatenus ferre possunt, dum blandimento suae carnis assentiunt, dum ludere aleis et spectaculis non erubescunt, dum polluere et pollui non metuunt, subito exeunt de isto seculo nudi, sola secum peccata portantes, pro quibus sunt poenas passuri perpetuas.

Ecce autem haec dicente sancto Johanne apostolo efferebatur juvenis a matre vidua, qui triginta dies habebat ex quo uxorem acceperat; venientes autem turbae quae exequias faciebant simul cum matre ejus vidua jactaverunt se ad pedes ejus, omnes pariter mugitus et fletus gemitusque fundentes, et rogaverunt eum ut in nomine Dei sui sicut Drusianam ita et hunc mortuum suscitaret. Tantus autem omnium extitit fletus, ut etiam ipse apostolus vix a fletu et lacrimis temperaret. Tunc prosternens se in oratione diutissime flevit; et exurgens ab oratione expandit manus suas ad coelum et tacitam precem diutissime fudit. Hoc cum fecisset tertio, jubet resolvi involutum corpus et ait: o juvenis qui amore carnis tuae ductus cito animam amisisti, o juvenis qui nescisti creatorem tuum, nescisti salvatorem hominum, nescisti amicum verum et ideo incurristi hostem pessimum, pro ignorantia tua lacrimas Domino simul et preces effudi, ut exurgas a mortuis, mortis vinculo resoluto, et his duobus Attico et Eugenio annunties quantam gloriam amiserint et quantam incurrerint poenam. Tunc exurgens Stacteus, sic enim vocabatur juvenis, adoravit apostolum, et coepit increpare discipulos ejus dicens: vidi angelos vestros flentes et satanae angelos in vestra dejectione gra-

tulantes. Jam regnum paratum vobis erat, et ex coruscantibus gemmis zetas instructas plenas gaudiis, plenas epulis, plenas deliciis, plenas vitae perpetuitate, plenas lumine aeterno, plenas delectationibus amisistis, et adquisistis vobis loca tenebrarum plena draconibus, plena stridentibus flammis, plena cruciatibus et incomprehensibilibus poenis, plena putoribus, plena doloribus, plena angustiis, plena timore ac tremore horrifico. Et amisistis loca immarcescibilis floribus plena, plena vocibus organorum, et adquisistis vobis loca in quibus die noctueque non cessat mugitus et ululatus et luctus. Nihil jam vobis aliud superest nisi ut rogetis apostolum Domini, quatenus sicut me resuscitavit ad vitam, ita quoque vos resuscitet ab interitu ad salutem, et nomina vestra quae jam de libro vitae deleta sunt faciat rescribi.

Tunc iste ipse qui suscitatus fuerat prosternens se cum omni populo et cum Attico et Eugenio omnes pariter exorabant apostolum, ut intercederet pro eis ad Dominum. Sanctus vero apostolus Attico et Eugenio hoc dedit in responsis ut per triginta dies Deo poenitentiam offerrent, in quorum spatio hoc maxime precarentur ut virgae aureae ad suam naturam redirent; similiter ut lapides ad vilitatem qua nati fuerant remearent. Factum est autem ut triginta dierum transiret spatium; cumque virgae aureae simulque et lapides mutarentur et ad suam redirent naturam venientes Atticus et Eugenius ad apostolum dixerunt: semper misericordiam docuisti, semper indulgentiam praedicasti et praecepisti ut homo homini indulgeret. Et si homo homini indulget, quanto magis Deus homini indulget et parcitur. In peccatum nostrum haec commisimus, sed quod oculis concupiscentibus in mundo deliquimus, oculis flentibus reparamus. Oramus ergo te Domine, oramus apostole, ut indulgentiam, quam semper docuisti verbis, factis ostendas. Tunc beatus Johannes flentibus et poenitentibus universis et etiam pro his intervenientibus dixit: Dominus Deus noster his sermonibus usus est, dum de peccatoribus ageretur ut diceret: nolo mortem peccatoris, sed volo potius ut convertatur et vivat. Nam dum doceret nos Dominus Jesus Christus de poenitentibus ait: dico vobis quia magnum gaudium est in coelis angelis super uno peccatore poenitente ac avertente se a peccatis suis; et amplior laetitia illis est quam super nonaginta novem justis qui non peccaverunt. Unde volo vos scire, quia Dominus accepit poenitentiam illorum. Tunc conversus ad Atticum et Eugenium dixit: ite et reportate virgas ad silvam unde eas attulistis, quum ad suam naturam sunt reversae, et lapides reportate ad litora maris, quum petrae effecti sunt ut fuerunt. Quod cum fuisset impletum receperunt gratiam quam amiserant, ita ut etiam fugarent daemonia sicut prius, et infirmos curarent et coecos illuminarent et virtutes multas per eos Dominus faceret.

Cum autem omnis civitas Ephesiorum et omnis provincia Asiae Johannem excoleret et praedicaret, accidit ut cultores idolorum excitarent seditionem; unde factum est ut Johannem traherent ad templum Dianae et urgerent eum ut ei foedidatem sacrificiorum offerret. Tunc sanctus Johannes ait: Eamus omnes ad ecclesiam Domini, mei Jesu Christi, et invocantes vos nomen Dianae vestrae facite cadere ecclesiam et ita vobis consentiam. Si autem hoc facere non potueritis, ego invocabo

nomen Domini mei Jesu Christi et faciet cadere templum hoc, et comminui idolum ejus. Quod cum factum fuerit, justum vobis videri debet ut relicta superstitione Deae hujus, quae a Deo meo victa est et comminuta, ad ipsum convertamini. Ad hanc vocem conticuit populus, et licet essent pauci qui contradicerent huic definitioni, pars tamen maxima consensum attribuit. Tunc beatus Johannes blandis alloquiis exorabat populum, ut a templo longe se facerent. Cumque universi ex interiori parte foras exissent, voce clara coram omnibus dixit: ut sciat haec omnis turba quia idolum hoc Dianae daemonium est, corruat cum omnibus manufactis idolis quae coluntur in eo, ita ut nullam in hominibus laesionem faciat! Continuo autem ad hanc vocem apostoli omnia simul cum templo suo idola ita corruerunt, ut efficerentur sicut pulvis, quem projecit ventus a facie terrae. Conversi sunt autem eadem die duodecim milia gentium exceptis parvulis et mulieribus, et baptismatis sunt consecrati virtute. Tunc Aristodimus, qui erat pontifex omnium idolorum, repletus spiritu nequissimo excitavit seditionem in populo, ita ut populus contra populum pararetur ad bellum. Sed beatus Johannes ait: Dic mihi, Aristodime, quid faciam ut tollam indignationem de animo tuo. Cui Aristodimus ait: si vis ut credam Deo tuo, dabo tibi venenum bibere, quod cum biberis, si non fueris mortuus apparebit verum esse Deum tuum. Cui apostolus ait: venenum si dederis mihi bibere, invocato nomine Domini mei Jesu Christi non poterit nocere mihi. Cui Aristodimus ait: prius est ut videas bibentes et statim morientes ut vel sic possit cor tuum hoc poculum formidare. Cui beatus Johannes respondit: jam dixi tibi, tu tantum paratus esto credere in Deum meum Jesum Christum, cum me videris post veneni poculum sanum. Porrexit itaque Aristodimus ad proconsulem, et petiit ab eo duos viros qui pro suis erant sceleribus decollandi, et statuens eos in medio foro coram omni populo in conspectu apostoli fecit eos venenum bibere. Qui mox ut biberunt spiritum exhalaverunt. Tunc Aristodimus dixit: audi me Johannes, et aut recede ab ista doctrina qua a deorum cultura populum revocasti, aut accipe et bibe ut ostendas omnipotentem esse Deum tuum, si postea quam biberis potueris incolumis permanere. Tunc beatus Johannes jacentibus his qui venenum biberant mortuis intrepidus et constans accipiens calicem et signaculum crucis faciens in eum, dixit: Deus et pater Domini mei Jesu Christi, cujus verbo coeli firmati sunt, cui omnia subjecta sunt, cui omnis creatura deservit, cui omnis potestas subjecta est et metuit et expavescit, cum nos te in auxilium provocamus, cujus audito nomine serpens conquiescit, draco fugit, silet vipera, et rubeta illa quae dicitur rana inquieta torpescit, scorpius extinguitur; regulus vincitur et spalangus nihil noxium operatur et omnia venenata repentina et adhuc ferociora animalia terebrantur, et omnes radices humanae salutis adversae arescunt, tu extingue Domine hoc veneni virus, extingue operationes ejus mortiferas, et vires noxias quas in se habet evacua, et da in conspectu tuo omnibus quos tu creasti oculos ut videant, et aures ut audiant, et cor ut magnitudinem tuam intelligant. Et cum haec dixisset, os suum et totum semetipsum signo crucis armavit, et totum bibit quod erat in calice. Et postquam bibit dixit: peto ut hi propter quos bibi, credant in te Domine et salutem, quae apud te est, te ihu-

minante mereantur accipere. Attendentes autem populi Johannem per tres horas vultum habere hilarem, et nulla penitus signa palloris aut trepidationis habentem, clamare coeperunt: unus et verus Deus est, quem colit Johannes. Aristodimus autem nec sic credebat, sed populus objurabat eum. Ille autem conversus ad Johannem dixit: inest mihi adhuc dubietas, sed si istos qui hoc veneno mortui sunt in nomine Dei tui excitaveris, emundabitur cor meum ab omni dubietate. Populi autem insurgabant in Aristodimum dicentes: incendemus et te et domum tuam, si ausus fueris ultra apostolum Dei in tuo sermone facere laborare. Videns autem Johannes acerrimam seditionem fieri, petiit silentium et omnibus audientibus dixit: Prima est quam de virtutibus divinis imitari debetis patientiam, per quam ferre possitis incredulorum hominum insipientiam, unde si adhuc Aristodimus ab infidelitate sua tenetur, solvamus nodos incredulitatis ejus, et licet tarde faciamus eum agnoscere creatorem suum. Et sicut medici habentes inter manus aegrum, varia medela indigentem, ita etiam nos faciamus si adhuc Aristodimus non est curatus ex eo quod jam factum est. Non enim cessabo ab hoc opere quousque ejus vulneribus possit medicina provenire. Et convocans ad se Aristodimum dedit ei tunicam suam, ipse vero pallio amictus astabat. Cui Aristodimus ait: ad quod dedisti mihi tunicam tuam? Dicit ei Johannes: ut vel sic confusus a tua infidelitate discedas. Cui Aristodimus ait: Et quomodo me tunica tua faciet ab infidelitate mea discedere? Cui respondit apostolus: vade et mitte eam super corpora defunctorum, et dices ita: apostolus Domini nostri Jesu Christi misit me ut in ejus nomine exsurgatis, ut cognoscant omnes, quia et vita et mors famulantur Domino meo Jesu Christo. Quod cum fecisset Aristodimus et vidisset eos exsurgere, adorans Johannem, festinus porrexit ad proconsulem et coepit clamosa voce dicere: audi me proconsul, memorem te puto quod contra Johannem iram tuam frequenter excitavi et multa mala contra eum egi, unde vereor ne iram ejus experiar, est enim Deus in specie hominis latens. Nam venenum bibens non solum ipse incolumis perseverat, sed etiam eos qui eodem veneno mortui fuerant per manus meas tunicae suae tactu suscitavit ad vitam, nulla signa secum mortis habentes. Dicit ei proconsul: et quid vis ut faciamus? Respondit Aristodimus: eamus et provolvamus genibus ejus veniam postulantes, et quicquid nobis jusserit faciamus. Tunc venientes simul prostraverunt se apostolo, indulgentiam postulantes; quos ille suscipiens cum gratiarum actione orationem obtulit Deo, praecepitque eis ut unius hebdomadae jejunium agerent. Quo expleto baptizavit eos; qui cum baptizati fuissent cum universa parentela et affinitate sua et famulis suis fregerunt omnia simulacra ac fabricaverunt basilicam in nomine sancti Johannis, in qua ipse sanctus Johannes assumptus est hoc ordine:

Cum esset annorum nonaginta novem apparuit ei Dominus Jesus Christus cum discipulis suis dicens ei: veni ad me quia tempus est ut epuleris in convivio meo cum fratribus tuis. Surgens autem Johannes coepit ire, sed Dominus dixit ei: dominica resurrectionis meae die quae post quinque dies futura est ita venies ad me. Et cum haec dixisset, coelo receptus est. Veniente itaque dominica die convenit universa multitudo in ecclesia quae in ejus nomine fuerat fabricata, et a primo

gallorum cantu agens mysteria Dei omnem populum usque ad horam diei tertiam allocutus est. Post haec jussit foveam juxta altare fieri quadratam, et terram ejus foras ecclesiam projici. Et descendens in eam expandit manus suas ad Deum et dixit: invitatus ad convivium tuum venio gratias agens, quia me dignatus es Domine Jesu Christe ad tuas epulas invitare, sciens quod ex toto corde meo desiderabam te; vidi faciem tuam et quasi de sepulchro suscitatus sum. Odor tuus concupiscentias in me suscitavit aeternas. Vox tua plena suavitate melliflua et allocutio tua incomparabilis eloquiis angelorum. Quotiens te rogavi ut venirem ad te et dixisti mihi: expecta ut populum liberes crediturum mihi, et custodisti corpus meum ab omni pollutione et animam meam semper illuminasti, et non dereliquisti me cum irem in exilium et redirem, et posuisti in ore meo verbum veritatis tuae commemorans mihi testimonia virtutum tuarum. Et scripsi ea opera quae audiavi ex ore tuo auribus meis. Et nunc Domine commendo tibi filios tuos, quos tibi ecclesia tua virgo vera mater per aquam et Spiritum sanctum regeneravit. Suscipe me ut cum fratribus meis sim, cum quibus veniens invitasti me, aperi mihi janua vitae; principes tenebrarum non occurrant mihi et manus extranea non contingat me, nec veniat mihi pes superbiae, sed suscipe me secundum verbum tuum, et perduc me ad convivium epularum tuarum, ubi epulantur tecum omnes amici tui. Tu es enim Christus filius Dei vivi, qui praecepto patris tui mundum salvasti, qui et Spiritum sanctum nobis destinare dignatus es, ut nos de praeceptis tuis commonefaceres, per eundem spiritum tibi gratias referimus per infinita secula seculorum.

Et cum omnis populus respondisset amen, lux tanta apparuit super apostolum una fere hora, ut nullus hanc sufferre valeret aspectus. Postea vero inventa est illa fovea plena, nihil aliud in se habens nisi manna, quod usque hodie gignit locus iste, et fiunt ibi virtutes orationibus ejus, et ab omnibus infirmitatibus et periculis liberantur omnes et precum suarum obtinent effectum, praestante Domino nostro Jesu Christo qui cum coaeterno patre in unitate Spiritus sancti Deus vivit et regnat et nunc et semper per infinita secula seculorum. Amen.

V.

EXCOMMUNICATIONIS SENTENTIA.

Contra Froganem Judaeum, alioquin ignotum, excommunicationis sententiam dignissimam quam bene attendamus, et a me fidelissime exscriptam e codice antiquissimo Bibliothecae collegii Canonicorum Toletanorum, profert secundum inscriptionem Aurasius Episcopus, quem eundem esse atque eum, quem Ildephonsus in libro de viris illustribus cap. 5. commemorat, jure existimare possumus, qui, si Florezium sequimur (Esp. Sagr. t. V. pg. 256 seq.) inde ab anno sexcentesimo tertio usque ad annum sexcentesimum quintum decimum Toleti Episcopus fuit. Cujus temporis monumenta a viris eruditis magni aestimari solent et ob ipsam latinitatis viciositatem, quam fidelissime tibi praebeo, multos delectant.

IN CHRISTI NOMINE AURASIUS EPISCOPUS FROGANI.

Aurasius Episcopus Frogani. Cognosce te, propter quod ecclesiam Dei non solum verberasti, sed etiam impugnando coram nos humiliasti, et synagogem erexisti, et nobis reverentiam pro nominis redemptoris nostri Jesu Christi, Dei vivi ac veri Dei nostri, nulla ratione tribuisti, et praesentibus senioribus, cuncto palatio, Catholico populo vel coetu Hebraeorum nos despectui tradis, ingrediente flatu alienae vertiginis dogmae. Cavernias aurium tuarum, ea concava luminum festuca trabesque peccati obus feruisset¹⁾ abs te, illico priscis virtutibus desserente, neutericus dereliquens, fidei sanctae catholicae obviis existens, acquiescens vocem persuasoris immundi spiritus, ut quod Deus de faucis grastatoris diaboli lavacro regenerationis suae per nos ad gloriam jussit seva ne seva²⁾ nequitiae insaniae fustibus vulneratos dereliquisti. Pro qua in

1) Locus obscurus. — 2) Verba depravata videntur.

re in hoc tantummodo cognoscente nostra vel servorum Dei in ecclesia Dei praedicatione esse excommunicatum et anathematatum, et ideo anathematizat eos Pater et Filius et Spiritus Sanctus et Sancta Ecclesia Catholica, quae est in Sancto Petro fundata, ut sic anathema hominibus tam angelorum quam archangelorum, verum etiam et omni militiae coelesti, ipso praestante Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

VI.

DE MAURICIO MONACHO PEREGRINANTE.

In his epistolis ex manuscripto libro supra memorato Toleti a me descriptis meo quidem iudicio monachus peregrinans apud Agapium Episcopum se defendit contra crimina peregrinando illata. Quis autem hic monachus fuerit, cui secundum epistolae primae inscriptionem nomen Mauricii fuit, non elucet neque ex Hispanorum scriptorum bibliothecis a Roderico de Castro, Nicolao Antonio, aliis, evulgatis, neque, quod equidem sciam, ex ullo alio fonte. Nec magis facile est aliquid certi de Agapio Episcopo constituere, quum pluribus viris hoc nomen fuisse e Florezii libro eruditissimo de Sacris Hispaniarum (Esp. Sagr. t. X. pg. 228 sp. editionis tertiae) intelligere possimus.

MAURICI MONACHI AD AGAPIUM.

Fama nempe tuae beatitudinis, sanctissime vir, omni claruit mundo, non solum in hoc, quod prae omne excelso polos sacerdotali culmine, et rector fidei catholicae sanctae beatae sedis substoleris triumpho, verum etiam quod patrem familias omnis sexus omnisque aetas, vidua, orfani, exsules et reliqui conclamat vulgi caterva. Unde in has omnes virtutes misericordiae dono praeditus, boni odoris cunctis dedisti notitiam, cum nec mens cogitare, nec lingua fari possit, quantum tuae dignationis rumor omnem lustravit, quod ipsa nec tibi per infusionem Spiritus sancti revelarentur sanctorum, et divina in te coelitus gratia rorante, fieres Deo vas honorabile. Igitur ex relatu cuidam comperi, eximie antistes, quod et praesens paginola insinuare procuravit, quos salva reverentia pontificali, qua dignus cultu veneraris, parvitatem nostram, ut non credimus a te tali viro esse laceratam, sed utrum alio male insinuante vel etiam quod diabolus semper bonis aversetur, ut quos potentia necare minime praevallet, saltem per subintroductionem malorum hominum odium exagitet; ambiguum habemus veruntamen, quod absit, et si aliqua de nomine nostro ad te dilata est fama, orare te potius opportuit, ut corrigamur, non detrahere, quia, qui detrahit fratri, detrahit legi aperte scriptura pronuntiat. Vagos et profugos nos esse

arbitraris quos diludisti sermone ut aliud nobis praesentibus liberares, et aliud occulte ageres. Satis mihi videtur homicidii reus esse, qui itineranti jumentum praecepit auferre, et obnoxium poenae aeternae, qui invios errare faciunt per loca ignota. Supplex itaque peto, ut jam erroneas, quas tibi videntur oves, minime laccassas, quia pastor bonus non venit, nisi ad oves perditas, et suo eos reportans gremio gregi admiscuit. Unde et consequentibus, plus gaudeo, ait, exultans supra unam perditam, quam super illam quae non erraverat. Nec sacrilegos extimes quos Egyptus tenere se non quievit. Sed nos namque spolia Egyptia reportantes terram invadimus promissam qua ingredientibus duce Domino patebit pontus, et tumentes atque procellosas ejus ingredimur undas, nec desiderio carnis desideramus quibus transgressores ultore Domino vitae claudamus terminum. Legimus etenim apostolica praecepta, quibus jubemur victu et vestitu debere esse contentos, sane in legendo reputabam ad clericatus officii, quos nulla oblectat secularis pompa, facultates quippe et familias mundi dominos non coeli constituunt. Memini apostolum dixisse „si quis diligit mundum, non est caritas patris in eo.“ plerique semper malae cupiditatis vinculo colligant, plus rapaciter aliena auferre volunt quam habere permittuntur. Glorientur qui volunt, in hoc mundo habeant praemia, sericiis induantur vestimentis. Nudus ego nudum sequi desidero eum, qui dixit „nihil in hoc mundo intulimus neque aliquid auferre possumus.“ Denique Paulus Apostolus huic concordans sententiae ait: „mihi absit gloriari nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quam mihi mundus crucifixus est et ego mundo.“ Plane quam inenarrabiles sunt Dei misericordiae minime latere non puto. Nam cum Moyse fugiens declinasset Pharaonis insidias et per multa temporum, in terram qua peregrinatus fuerat per desertum eremi gregum alendarum curam gereret, famulus Dei esse meruit, ita ut signis et in portentis ducatum populo israelitico praeberet. Quid loquar de David, quem ipse Dominus secundum cor suum eum se sibi invenisse dicat? „Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui facit omnes voluntates meas.“ Et dum minimus frater pasceret oves pro visitandos eos Dei nutu destinatur a patre ubique, contra alienigenam pugnans ocis¹⁾ blasphemo victoriam reportavit, et qui ob hanc rem a fratribus minimus tenebatur, gloriam regiae dignitatis obtinuit. Hos namque et alios quam plurimos Dei notatos electione multos sacra narrat historia, quos nec tempori nec loci coarctat necessitas per ordinem replicare; sed confidimus in potentiam Dei, et illius quotidie exoramus clementiam ut suum nobis non deneget auxilium, et iter nobis agentibus angelum suum praere concedat, ut sospites sanctorum Dei martyrum Martini et Vincentii praesentemur liminibus.

CUJUSDAM AD EUNDEM (AGAPIUM).

Votis vestri omni corde suspensi compellimur et clientuli audacia praesumentes, quae olim vestrorum largitione promissa sunt, ut sit in nobis sancta consueta memoria, dicente apostolo: „melius est non vo-

1) Fortasse ore.

vere et reddere, quam post votum promissa negare;“ et nos supplices
 quaesumus ut quae nullo extorquente promissa sunt, nullum igitur ex-
 torquente reddantur. Ex illa nobis iussit bonitas tua unam planetam verbo
 concedere; expectantes hoc verbum, illa nos cognitione sepsit, ut nudi-
 tate detecti videamur, nec in nobis emicuit studium vellere lana, aut
 motia digitis deponere, filo gemelis, textibilibusque calami radiante
 manu, atque arguta percurrere pectine lanas. Haec me vestra promissio
 suspensum in somno ornat, et vestra pendens humeris atque verticia
 celans, tellum in foliis verrat, expergefactus subito visu jucundior inane,
 de ea omnia quae supra taxavimus, jam olim docere potuissem, si me
 vestra imperfecta non retinuisset oblatio.

VII.

BULGARANI EPISTOLAE.

Lemke in Hispaniae historia quam scripsit (vol. I. p. 87. not. 4) Aschbachii errorem corrigit, qui Bulgarani comitis epistolas typis non expressas judicavit (p. 235); adnotans, eas jam in Valenciana editione librorum, quos Mariana conscripsit de rebus Hispaniae, inveniri (Valencia 1785. tom. II. p. 547 sq.). Et re vera quidem Noguera, qui illam editionem curavit, ibidem tres Bulgarani epistolas edidit, totidem autem non edidit. Ipse quidem non indicavit epistolarum numerum, quas codex Scorialensis continuit, unde illas tres deprompsit, nec magis Morales, quem primam earum mentionem facere existimo, in libro, cui titulus est: *Cronica general de España* (l. XII, c. 11), numerum definivit. Invenit eas in codice Oveti, ex quo ille Scorialensis, B. III, 14. notatus, seculo sexto decimo transcriptus est; praeterea easdem reperit in libro Bibliothecae Complutensis manuscripto, qui idem nunc in Scorialensi est, ubi J. I, 14. notatur. Neque fugerunt Cardinalem Aguirre, qui loco, quem in Nicolai Antonii Bibliotheca Hispana (t. I. p. 390) laudatum invenimus, disertis verbis de sex hujusmodi epistolis loquens se eas editurum profitetur, neque vero, quod promisit, quantum equidem sciam, tenuit. Denique etiam Toleti in bibliotheca collegii canonicorum liber manuscriptus est, has sex epistolas continens; ibi eas conspectas Burriel Jesuita eruditissimus transscripsit, et ex ejus exemplaribus nunc in Bibliotheca Nationali quam vocant Matriti asservatis, ubi D d. 104. notantur, deprompsi. — Cohærentiæ causa omnes sex publicavi, et tres jam editas, et tres ineditas, illas simul cum Noguerae editionis lectionum varietate. Restat, ut dicam Perezium Bayerum in adnotatione ad Nicolai Antonii locum, quem attuli, de septenario numero Bulgarani epistolarum loqui; ejus rei causa est, quod epistolam ad Agapium, supra a me prolatam, quam secundum librum manuscriptum Toletanum a Mauricio monacho scriptam esse judico, a Bulgarano ad Agapium scriptis adnumerat.

1. DOMINO SANCTO AC BEATISSIMO ET APOSTOLICIS MERITIS VENERANDO IN CHRISTO PATRI BULGARANUS.

Sanctitati vestrae de nomine calamo praenotante abusivo quodam baculo referente, suscepi eloquium et velut tuum non foret putavi quod vestri pontificatus tali crederentur pagina perlatori. De vestra enim relatione salvatorem Dominum benedixi, quia ipso miserante tuam hospitalem agnovi. Igitur beatitudinis tuae alacriter adnixa salute reciproci restituo literarum, significans de id, unde nobis intimare studuisti, ut vestrae fuisset beatitudini nunciatum, ut illum ad nos veniendi exhortationis nostrae provocasset electio, quod ut fieret vestrae poterat existere gratissimum sanctitati. Notum est Domino omnipotenti qui justum justitia¹⁾ servat et injustum justa damnationis ultione perimit²⁾, quia ante hos dies quod tuam non reor latuisse beatitudinem, cartas gloriosissimorum filiorum regum idemque vestrorum Brunigildes Reginae et Theoderici Regis per eodem nobis fuere transmissas. Et ut eas ipso praeciperemus tradente memoratorum series scriptorum denunciavisse, qui eadem suorum scripta dominorum, una cum suam ad nos³⁾ suggestio-nem deduxi, et ut aditum ad nos perciperet commeandi suplex scribendo nostram ordinationem poposcit⁴⁾, nam nullo cum desiderio neque exquirere elegimus⁵⁾ neque ab⁶⁾ nullis indigimus intueri materiis, et quam neque si venisset pro responso dominorum suorum denunciando adnuera-mus tantum quia minime properavit sequissimus⁷⁾: nam de homine ne⁸⁾ vestrum illum cuius ad praesentiam filii vestri gloriosi Domini mei⁹⁾ Gundemari regis efflagitare videmini aditum debet mens vestra in summo propositionis tabescere exordio, dum veritas vobis experto lumine¹⁰⁾ fulgeat, et justitiam quam speculo interiori prospicitis injusta verborum excusatione dissimuletur¹¹⁾. Quis vestrae non prospiciat sanctitatis ingenium, et ea quae activo exasperatis illicite¹²⁾ blandis intendite¹³⁾ eloquiorum lenire tendiculis? Talem enim vestram, si veniam tribuitis, procul dubio insinuationem censeamus¹⁴⁾. Quale si quisquam¹⁵⁾ debitor humano pudore sublato proterviae intimamento¹⁶⁾ praerogativis faeneratorem pulset objectionibus et veritatem habens¹⁷⁾ pusilento creditor tegat, quam calumniator loquendo penitus erubescat; manet enim filio vestro glorioso Domino meo Gundemaro Regi cunctaeque gentes¹⁸⁾ Gothorum non exigua sed magna justitiae¹⁹⁾ repetitio, ut nobiles eidem genti legatos vestra magnificentissime cum consolato charitatis²⁰⁾ gratia discurrentes ab vestro injuste principe capti. Geminata malitiae largitate decus omne relegationis perferant, egestatis opprobrio; postea²¹⁾ vero Talitanem et Gundimirum²²⁾ viros illustres a serenissimo Domino

1) *Nog.* iudicat, et in annotatione: servum. — 2) *Nog.* perimet. — 3) *Nog.* ad nos usque. — 4) *Nog.* poscit. — 5) *Nog.* elegit nos. — 6) *Nog.* ob. — 7) *Nog.* nequis-simus. — 8) *Nog.* om. — 9) *Nog.* om. — 10) *Nog.* limine. — 11) *Nog.* dissimuletis. — 12) *Nog.* actibus exasperatis illicitis. — 13) *Nog.* intenditis. — 14) *Nog.* dissimulatio-nem censem, omisso procul dubio. — 15) *Nog.* quisque. — 16) *Nog.* incitamento. — 17) *Nog.* habent. — 18) *Nog.* genti. — 19) *Nog.* pecuniae. — 20) *Nog.* veritatis. — 21) *Nog.* Patent vero. — 22) *Nog.* Talitanem et Gundimiro; in annotationibus Totila-nem et Gundirimum.

meo Gundemaro rege directos in finibus vestris in locum Irapinas post illatam eorum dispectionem inter praeceptione clausistis, et ad vos usque succedere loculenter aditum denegastis. Ecce quae pars vestra commiserit vestris non sunt incognitis¹⁾ mentibus et tantum a vobis injuriae acerbiter vehementibus²⁾ insuper vestrorum ad praesentia inclyti Domini mei legatorum vestri simulando literis viam aperire conqueritis. Videat Altissimus a coelesti solio princeps hanc causam et divina parte ultionem consonat³⁾, qui injuste partem alterius visus est inferre⁴⁾ molestiam, et qui charitatem respuendo pacem excelsae potestatis violaverit captiose dilectam; licet dum filiorum regum identidemque⁵⁾ vestrorum literas acceperissem, eorum protinus reformavi rescriptum, quem si memorati gloriosi principes acceperunt, sive in vestra fuerit agnitione⁶⁾ deductum nullo denunciante comperimus. Sed et vestrae itaque honorificentiae declaramus, si remoto simulationis pacem typo servare desideratis, quae dominio maxima sors esse cognoscitur, et Christum diligendo concordantes cum Gothis corde optatis permanere devoto: non oportet ut ea tantum labiis fallentibus proferatis, sed pacem quam nobis servantibus ipsi prius irrumpere⁷⁾ temerastis⁸⁾, perfectis reintegrandum⁹⁾ operibus demonstretis¹⁰⁾. Dignum est, ut vestri proprium¹¹⁾ in sua dignitate Gothorum restituantur legati et inter affinem sanguinis gentem servantem pacem Domino adjuvante vestrorum, si necesse est, ad praesentiam gloriosi Domini mei libertas maneat itineris legatorum. Nam de loca, unde intimastis Tuebiniaco¹²⁾ et Corneliano, qua in provincia Gothorum noscitur Domna Brunigilde¹³⁾ possedissee, ut a suis post ejus jure aditum tribuamus hominibus, ordinandum miramur tuam sic nos hortare beatitudinem, ut loca qua pro stabilitate concordiae sanctae memoriae Domnus noster Recharedus rex in jure memoratae contradidit¹⁴⁾ Domnae, ut a partibus vestris scandalum nutrientibus foedus sit caritatis disruptum et pars vestra¹⁵⁾, quae stimulum illicite suscitavit, possessiones debeat genti¹⁶⁾ possidere Gothorum. Arbitror enim ut ea, quae pars vestra injuste noscitur admisisse si emendare malueritis, poterit gentem vestramque in charitate connexam eadem suo jure Domna Brunigildes defendere loca. Te quippe, beatissime vir, dum hactenus benignis animis et secularibus bonis evigilantem studiose¹⁷⁾ nimisque formidata¹⁸⁾ omnipotentem meminimus, quomodo curisante¹⁹⁾ temporibus charitas uterque illesa agentis²⁰⁾ permansit, et postquam Domino dignus es dedicatus, an testis an principes²¹⁾, quae pax olim a prioribus gentium utrarumque²²⁾ legibus²³⁾ conligata, nunc maneat dissoluta, dum vestro debuit ex consilio in perpetuum existere roborata.

1) *Nog.* incognita. — 2) *Nog.* vehementibus. — 3) *Nog.* confodiat. — 4) *Nog.* conferre. — 5) *Nog.* idemque. — 6) *Nog.* cognitione. — 7) *Nog.* rumpere. — 8) *Nog.* om. — 9) *Nog.* demonstrandum. — 10) *Nog.* demonstraetis. — 11) *Nog.* primum. — 12) *Nog.* Jubiniano. — 13) *Nog.* Brunigildes. — 14) *Nog.* contradidit. — 15) *Nog.* jura. — 16) *Nog.* gentis. — 17) *Nog.* studiis. — 18) *Nog.* formidare. — 19) *Nog.* curis si tante, et in annotationibus cures si tantis. — 20) *Nog.* a gentis. — 21) *Nog.* antestis a principibus, et in annotatione antistes, ut a principibus. — 22) *Nog.* utrarum. — 23) *Nog.* gentibus.

2. DOMINO SANCTO AC BEATISSIMO SUO ET APOSTOLICIS MERITIS AEQUANDO
MEOQUE SEMPER PRAECLARO DOMINO AGAPIO EPISCOPO BULGARANUS ¹⁾.

Si tanta mea itineris vestram sanctitatem non discripsisset longiquitas, incolumitatem vestram in desinentibus potuimus explorare momentis et ea quae interiori nostrae mentis imago beatitudinem cupiebat, per nostro saltem declarare valeamus colloquio. Ergo collatam nobis divinitus oportunitatem praetermittere sanctitatem vestram nullo valuimus silentio; sed quod nostris expressum detinetur visteribus, quantum brevis complectens pagina potest, porrecto vestram adusque beatitudinem jure haec reticimus literario. Interea beatitudinis vestrae humillimae largifluam dependentes salutem, sidericum imploramus auctorem, qui vestram longaevis multiplicet vitam temporibus et nos sine intermissione de vestri commoda permitteat gratulare honoris. Quam ob rem tinguente in noticia calamo vestrae elegimus texere sanctitati tempore reminiscens praeterito vestri impensi erga me munera beneficii, quod dum divini eloquia principis Nitebaris puro de corde servari; in vestra nos relegatione beatissime Pater deferre nequivisti terribilem Christo in nullo visus est contemnere vocem, quae dum judicare se mundum edocuit, beatis talia hominibus insit. „Hospes fui et suscepistis me, nudus et operuistis me, infirmus et in carcere et venistis ad me, quandiu uni de minimis his fratribus meis fecistis, mihi fecistis“. Hoc sine dubio Dominum intonantem imis obaudiens pectoribus extitisti, cum et vigilante in char²⁾ solacium impartires, et de futura mihi spe colloquia principia ministrares, unde ille Judex perpetuus qui praecepta sua servantibus optima distribuet munera, tuae donum valde contulit sanctitatis egregium, ut non solum quod te rebus latum reddidit saecularibus, sed honore speculatoris praedictum summum te super alios pastorem Christi ovium dedicavit pastoribus, praevидit enim omnipotens hanc, quam circa me benigna mente consolationem adhibuisti, et ipsius intueris nunc auxilio gubernari, cujus oracula mihi in vinculis commoranti, non est visus oblivione contrari. Geminavit hanc in consolationibus me divina clementia retributionem, dum et venerabilem fratrem vestrum Sergitem, Narbonensis ecclesiae antistitem, qui ab imperii jussione tyranni non me exhorruit custodiendum recipere et vel digna susceptione vel suo dignatus est eloquio fovere; ita Dominus ei meam compensavit vicitudinem ut et hunc aliis praeesse sacerdotibus dignum pontificem eligeret. En timentibus se qualia Dominus dona rependit, et illum qui me serviendo multis torpescere cruciatibus fecit, crudelissime transire ab aevo constituit. Plurima in me noxia missus est intulisse: a rebus exsulem reddidit, carceribus multis fame et siti vexavit; poenam poenis inflixit, atque vesanis in me consiliis ita saepius exilivit ut nisi Dominus adjuvisset me perdere me suae voluntatis atrocitate contendit: in ultimum enim suae tempus conlisionis a beatissimo fratre vestro Elergio Episcopo me existimavit sua juxta perversitate privata luce vel humana consolatione tegmine coarctari et ad ubi me a pio Domino defendisse obstipuit, animarum volente conservatione humanarum. Quaedam visione conterritus per eundem beatissimum virum Viperto ubi quodam consilio devastabat, prae-

1) Videas si hic habes eundem Agapium ac supra. pg. 120. 2) Fortasse: incurioso.

cepit remeare et seculari me fallens dignitati restitui, vinculis vecors quibus fatigabat insontes solitis relegavit. Atque etiam dum in me ampliora niteretur inferre, suam me cernente noxiis artibus morte impia coeleste magis quam humano vitam gladio perfosus efflavit. Illum de sublimi solio tartara tenus justo prostravit excidio et me in medio umbræ mortis ambulantem superstitem reddit in seculo. Viderunt oculi mei salutare Domini, et meum super inimicos meos caput extulit, unde canendum in his occurreret materiis. Deposuit potentem de sede, et exaltavit humilem, atque clemens Dominus sic impiis socium debito condemnavit iudicio, ut non solum illi servienti mihi publicanus ego viderem interitum sed et amico ejusdem ei noxia dudum consilia ministravit in loca, qua fidens mala molire perseverabat honoris Deo tribuente adeptis successione pro ejus videar, nunc reddito laborare, a cujus omnipotens me voluit machinatione eripere. Ideo summis vestram precibus beatitudinem quaeso ut velut Dominus sincerissime se deprecantibus occurrit, et in eo spem non defraudat habentibus, ita vestras pro me in conspectu ejus debeatis obsecrationes effundere, ut sicut hactenus per vestra salvi sumus effecti oratione, et nunc in locis his, quibus et bella externa et clades dignoscuntur emergi diversae, per vestris sacris postulationibus Domino incolumes auxilium maneamus subministrante.

3. CUJUS SUPRA AD EUNDEM.

Conlatis occasionibus vestram desiderantissime sospitatem destinatis praescrutare apicibus, pro quibus copiam salutis vestrae venerabiliter beatitudini solvimus, et nostri clementiam salvatoris efflagitamus, qui vivendi longævum vestrae honorificentiae donet spatium, meque de vestris sacratissimis celeri permittat vultibus exultare; quapropter vestram suplex beatitudinem obsecro, ut sicut praeterito tempore, dum homo mihi desaevisset iniquus, pro me suplex Dominum poposcisti, ita nunc quia divino sumus aloquio mortis erepti auxilio, vestris in plenius quaesumus orationibus adjuremur, quia beatae tuae dilectionis de mei memoria suspendi nequit pectoribus, dum plurimis me multarum necessitatibus et debitum consolare dignaris carceribus. Custodire me Christi maluisti praeceptum, dum et vulnerato mihi medelam impertires, et pro nobis in exorando bonus athleta exstiteris, precibus tuis adjuvavit me Dominus et injustissime insurgentibus vertex jam prostratus cernitur inimici, inferenti mihi mala tamdiu Dominus consilia reprobravit, quandiu mihi diversitates carcerum mutationesque regionum et infandos inferni tenetur excruciat, ibi reperti perciperet, quo vitam e seculo crudeliter consumaret. Amici igitur sui, cujus decidente molitione gestavit corporis squalorem dignam Dominus rependit vicissitudinem, qui dum alios suis exules ex bonis reddere cogitaret, exutus facultatibus aliena regione justo Dei meruit iudicio deplorare, illi crudelius saevienti praesentem inspeximus membrorum interitum, in hujus vivendi clementissime Dominus dextera reddidit honore propositum, in illum occurrit mihi, ut dicerem: „vidi impium elevatum et exaltatum super cedros Libani, transii et ecce non erat, quaesivi eum et non est inventus locus ejus,“ in hunc vero mentibus memoriam nostris impendimus „ipsi obligati sunt et ceciderunt, nos vero resurreximus et erecti sumus.“ Ecce divina quam egregia

juxta meritum unicuique praemia rependuntur, ut et „foveam, quam nobis paraverunt, ipsi in eam inciderunt,“ sicut scriptum est: „laqueus contritus est, et nos liberati sumus. Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum et terram.“ Inter ea, beatissime pater, prostratus exopto ut consuetas ad Deum pro nobis celebrare jubeatis excubias, ut quia per te mihi venerabilem Dominus in vinculis protector semper apparuit, et in hac ferventibus diversis cladibus regione coelestem juvat in plenius exhibere auxilium, incolumem te et memorem mei Christus Deus tueatur omnipotens filius Dei. Amen.

4. BULGARINI AD GUNTHERARUM REGEM.

Oracula regni vestri ultimus servus vester debita suscipiens subjectione reperi, durum mihi et lacrimabile, quod audire nunquam nec debui gloriosae memoriae Dominae meae quondam Hilduanae reginae discessum et non impar afflictionis vestrae internae mentis dolore tactus luctificum in riguis cum ejulatu maximo fluentibus lacrimis deduxi lamentum, vel quid imprimis defferem, utrum gloriae vestrae desolationem, an totius palatii splendorem, ornatumque cunctae patriae, vel decorem permissa cura fortuiter tanti muneris praepediebar amissione, merens tantae sapientiae gratiam mellifluam sermonis dulcedinem, pietatis prospectum, noxiorum remedium, pauperum gubernatricem et catholicae fidei prompta devotione cultricem generositate praeclaram aspectu gratissimam, specie pulchram, mente benignam, et forma elegantiae affatim decoram, quam merito gloriae vestrae divina providentia fecit esse consociam, simul et regis dignitatis conjunctam, dicente Salomone: „Aurum et argentum a parentibus datur, a Domino autem uxor prudens“ et divinum testatur eloquium: propterea „relinquet patrem et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una.“ Abscissa vero membrorum parte totum corpus vulnere doloribus afficitur, sicut Paulus Apostolus ait: „si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.“ Sed in his omnibus temperantia tranquillitatis vestrae sapientiae medicamento infixa vulnera medens fletum ad consolationem revocet, et moestitiam fidelium servorum vestrorum consueta repares bonitate, ne nostram intentionem hujus memoris, quod absit, extinguas scintillam, et omnium nostrorum abductione caecitatis trudatur lumen oculorum, certe et Domini mei prudentia bene novit, quod omne genus humanum hac lege finitur, et nemo vivens eruit animam suam de manu inferni. Pro qua re postremus servus tuus omnipotentiam die noctuque exoro, qui et bonae recordationis Domnam meam sinu receptam Abrahae regni sui fieri permittat participem et felicitatem gloriae vestrae aevo diurno usque ad summam senectutem prostratis omnibus adversitatibus illaesam jugi triumpho conservare dignetur, et quae futura paraturus praemia regni et plebs tibi a Deo subjecta, quem nequissimus praedo hucusque vastavit, dilatatis regni vestri temporibus se gaudeat praeparatum, sicut et ante, regni gloria gubernator et defensor universae provinciae, velut pater familias cunctis adfuisti; et omnes exterminatos et afflictos consolatione propria fovisti. Tu nobis non deficias, te misericordem Dominum et clementem gubernatorem superna majestas amplissimo conservet tempore et omnia Deo prospiciente reparari possunt. Amen.

5. BULGARANI AD EPISCOPUM FRANCIAE.

Reverendissimam apostolatus vestri coronam divinis rutilantem dogmatibus destinatis perquirere elegimus apicibus, et ab hoc largissime salutantes quaesumus ut nos cura pastoralis assiduitati precum Domino commendare dignemini. Interea notescimus sanctitate vestra ¹⁾ ad nos opinione vulgata pervenisse Brunigildam ²⁾ reginam, et Theudericum regem amarissima sub [dispos]itione adsueta diffundentes venena in excidium unitae gentis contra gloriosum Theudibertum ³⁾ regem atrocissimum a barbarorum excitasse dimicare regem. Quod si specialiter ita res agitur, quid necesse est nisi ut ante arma bellica cunctus in hac parte precibus elaboret divinum populus implorando suffragium, unde petimus evidentiam rei nobis significari? ut et nos participes effecti fidelium pari fidei flagrantia consurgentes cum universis sacerdotibus, clero cunctaque hujus provinciae Christianorum plebe indictis letaniis redemptorem omnium Dominum supplicantibus ⁴⁾ adeamus, ut invictam potentiae suae in defensione catholicorum praetendat dexteram, et aemulantis perfidi hostis condignum meritis ⁵⁾ adsit intentionis interitum, atque jurgiorum auctores vetusti serpentis machinatione nudatos in exemplum reserata clareat cunctis per circuitum ⁶⁾ nationibus juxta ⁷⁾ Domini nostri ultionem ⁸⁾ prostratos poscentes; ut si scripta quae paulo ante glorioso Theudiberto ⁹⁾ regi directa, sicut polliciti estis, destinare procurastis, aut si missi vestri jam reversi sunt, vel quod recipieretis ¹⁰⁾ responsum, vel si usque hic placita deportantes aut certe si ad praesentiam gloriosissimi Domini mei Gundemari regis praeparaturi advenerint, certius sciamus quomodo aut ubi pecunia praeparetur, nos veraciter, ut confidimus, una cum beatitudini vestrae ¹¹⁾ hospitalem reciprocatis formare jubeatis affectibus.

6. CUJUS SUPRA AD EPISCOPUM FRANCIAE.

Domino sancto semperque beato et apostolis meritis adaequando milihue perpetua charitate conjuncto in Christo peculiari Domino — — ¹²⁾ episcopo Bulgaranus. Etsi universus axe sub aethero ¹³⁾ limes terrarum Domino cernitur opifice constitutus, et omnium potestate polentium ipsius mirabili constet ordinatione divisus: necesse est ¹⁴⁾ ejus evangelicam vocem custodientes vel quaerere eos, quos una in Christum fides consociat, vel diligere; et quamlibet a temporali dominatione segregemur ¹⁵⁾ imperii, congruet ut praeceptis principis non dissociemur aeterni. Unde beatitudinem vestram gratia coelestis diffusionem florentem, et spirituali largitione exuberantem, quam Domino propiciante intercurrente stylo effici volumus, charitate devinctum, his destinatis cum summo desiderio literis, non solum inquirimus, sed et salutis cum debito necessarium rerum alloquio impertimus. Quia non immerito praecipue te

1) *Nog.* sanctitati vestrae. — 2) *Nog.* Brunigildem. — 3) *Nog.* Theudibertum. — 4) *Nog.* supplicationibus. — 5) *Nog.* meritis. — 6) *Nog.* circuitu. — 7) *Nog.* justa. — 8) *Nog.* ultione. — 9) *Nog.* Theudiberto. — 10) *Nog.* recipietes. — 11) *Nog.* cum beatitudine vestra. — 12) (*Nomen deest.*) — 13) *Nog.* aethereo. — 14) *Nog.* ut ejus. — 15) *Nog.* segregemur.

pastorem suo Christus dedicavit ovili, ut cum velut sanguinis generositatem mi¹⁾ beatissime pater praepolleas, ita ut²⁾ suarum innumeras ovium geras sollicitudinem animarum. Tali quippe debent³⁾ omnes in usu persistere, quibus vel major vel minor cura in populis adhibenda committitur,⁴⁾ ut quantum divina efficiuntur inpensione sublimiores, tantum debent circa his quibus praeponuntur existere indesinenter pervigiles. Et quia latere beatitudinem vestram non arbitror, quod filius vester Dominus Theudibertus⁵⁾ rex⁶⁾ cum gentem Gothorum a decidentibus velut olim existit colligata principibus, nunc per pactum allegatione pacem per legatis idem gentis devovit roborare perpetuam. Ex quo aliquod gratiae merito pecuniae numerum genti pollicitus est impertire Francorum. Unde jam me constat memorato filio vestro Domino Theudiberto⁷⁾ per venerabilem fratrem vestrum Dominum et in Christo mihi patrem verum⁸⁾ episcopum destinasse scripta, per quae innotui, quod iam ipsa pecunia a filio vestro glorioso⁹⁾ Domino meo Gundemaro rege directa. Hic mihi in Gallias esse dignoscitur, ut prudentes ex suo dirigat conspectu legatos, et ea quae ob caritatem gens Gothorum¹⁰⁾ universa promisit¹¹⁾ tradentibus placita saltem contradamus hominibus. Obinde tuam sanctitatem debita humilitate depono, ut quantum Dominum diligis Jesum, qui pacem praeteritis seculis dereliquit futuris, hujus confirmatione pro pacis tantum intendere digneris delectabiliter, et si agnoscitis ea, quem diximus ad Dominum Theudibertum¹²⁾ paginam pervenisse, aut si ea quae per legatis Gothorum sunt sub definitione inita, si manebunt veraciter adlegata, vel quantum praedictus filius vester in Abarorum¹³⁾ bellica triumphatus est acie vestris mereamur affatibus¹⁴⁾ informari. Nam et nobis currenti est opinione plebis compertum, quod Brunigildes reginae et Theuderici regis electio¹⁵⁾ ipsos Abares¹⁶⁾ ad bellandum Domini Theudiberti¹⁷⁾ convocavisset¹⁸⁾ de suis sedibus transmigrare provinciam; quod denunciare¹⁹⁾ catholicorum infandum est auribus, ut christiana²⁰⁾ sub religione personas re vera procul a Domino constitutas in christianum provocaret deservire crucem:²¹⁾ nec credimus eos ab illis existere meliores sed ita manifeste socios comprobamus, qui de mundum debitis scelerum ministrant²²⁾ ortalimenta²³⁾ personas. Hoc igitur vestra sanctitas si evidenter agnovit, quod ex praedictorum regum consilio super orthodoxi principis regionem impia refudit²⁴⁾ hostilitate caeterva, per vestro nobis declarare jubeatis stylo, ut hac filii vestri gloriosi Domini mei Gundemari regis ad ordinatione nostra pertinente provincia indicta sacerdotes cum populo omnipotenti celebrent jejuniorum sollemnia ut accedentium injuste atque longe a Domino corda virorum siderea²⁵⁾ confringat virtute bellantium, et genti christianae fidei dogma custodienti

1) *Nog. mihi.* — 2) *Nog. ita de suarum.* — 3) *Nog. Tali quippe in usu persistere quibus.* — 4) *Nog. committit.* — 5) *Nog. Theudibertus.* — 6) *Nog. om.* — 7) *Nog. Theudiberto.* — 8) *Forte vestrum.* — 9) *Nog. om.* — 10) *Nog. Gothorum sperat universa.* — 11) *Nog. promittit.* — 12) *Nog. Theudibertum.* — 13) *Nog. Abatorum.* — 14) *Nog. affectibus.* — 15) *Nog. om.* — 16) *Nog. Abates.* — 17) *Nog. Theudiberti.* — 18) *Nog. convocatis et de.* — 19) *Nog. enunciare.* — 20) *Nog. christiana.* — 21) *Nog. cruce, et in annotatione: caedem.* — 22) *Nog. ministrat.* — 23) *Nog. retamenta.* — 24) *Nog. se fudit.* — 25) *Nog. siderea.*

laudabilem coelesti pietate jubeat²⁶⁾ conferre tropheum. Quaeso etenim. beatissime mi Domine, ut sacris, quibus valetis, Dominum pro nobis orationibus imploretis, et harum remeante baculo litterarum de omnia, quae textu superiore narravimus, simul et de vestra incolumitate beatitudinis, nos singulatim dignemini jucundare alloquio.

1) *Nog.* jubeatis.

VIII.

COMMENTARII IN CANTICA CANTICORUM SCRIPTI.

A. COMMENTARIUS GREGORIO ILLIBERITANO ADSRIPTUS.

Quod primum praebeo commentariorum super Cantica Canticorum ab aliis codicibus Gregorio Magno, ab aliis Baetico seu Illiberitano adscriptorum fragmentum procul dubio primis christianae ecclesiae temporibus originem suam debet. Tota disputandi ratio, quae in eo nobis obviam fit, nos admonet antiquiorum ecclesiae scriptorum, primum quod nullus eorum citatur, tum dicendi genera quamvis non prorsus haeretica, tamen sacrosanctae ecclesiae orthodoxae religionis formularum finibus arctis non satis apta, ideoque saepe etiam a vera doctrina aliena, denique usus bibliorum versionis a Vulgata valde discrepantis: haec omnia sunt indicia summae operis aetatis. Ex quibus iisdem indiciis patet, opus non Gregorio Papae adscribendum esse, ut factum est in uno a me collatorum codicum (*Rot*); dictis enim illius Papae stricte exprimuntur ecclesiae dogmata, idemque in locis sacrae scripturae laudandis Vulgatam semper sequitur. Majore jure adduci possumus, ut verbis infra codicem scriptis fidem habeamus, quae indicant commentarium ab illo Gregorio Baetico seu Illiberitano scriptum esse, quem Hieronymus varios libros *mediocri sermone*, seu, ut ipsius, quae ex graeco scholiasta expressa sunt, verbis utar, *κοινῷ λόγῳ*, composuisse dixit. At doctrina illa incerta et lata, quae cernitur in fragmento, vel ab hujus viri ingenio abhorret, qui prae aliis controversiarum tunc ortarum particeps fuit; immo ne pertinere quidem videtur ad hanc aetatem dogmatum amantissimam. — Quum autem non audeam de auctoris nomine aliquid certi proferre, id tamen certum arbitror, commentarium cuiquam Hispanorum veteri theologo adscribendum esse; nam id si statueris, explicabitur et versionis forma ab omnibus notis bibliorum versionibus diversa, et disputandi ratio omnes res imaginibus allegoriisque solvens, explicabuntur denique impugnationes et odium sacrorum Judaicorum, quae omnia magis quadrant ad ecclesiam, a qua tales spirituales doctrinas traditas et primas leges contra Judaeos, quos semper aversata et odio persecuta

est, latas esse scimus. Et re vera auctor adeo sententiam, ecclesiam corpus Christi esse, urget, ut omnia, quae huic facta sint, ad illam referat, quibus nimis imaginibus dum intemperanter utitur, fit, ut ad Docetarum doctrinam accedat. Patet quidem longe lateque antiquissimis temporibus sententia, cantica canticorum de conjunctione, quae Christo sit cum ecclesia, sponsa sua, loqui; verum enimvero, si auctor hujus commentarii ecclesiam Christi corpus esse statuens, diserte dicit in canticis canticorum de matrimonio agi, quo jungatur ratio divina (*λόγος*) cum natura humana, haec res spectare videtur ad philosophiae notiones, quales in Hispania statuamus necesse est, nisi putare velimus, Priscillianorum sectam longo lateque ibi diffusam seorsum et per se esse spectandam, quod vix ac ne vix quidem fieri poterit. — Itaque non dubito, quin facturus operae pretium sim, si commentarium multis iisque miris et audacibus interpretationibus ornatum et bibliorum versionis lectionum variarum copia abundantem perscripserim, praesertim quum ecclesiae historiae lacunam expleat. Nam quum nondum sit expositum, quomodo fieri potuerit, ut spiritualis doctrina in Hispania exsisteret, neque quidquam simile haberet, ad quod referretur, nunc hoc fragmentum nos docet, idealisticam, quam dicunt, doctrinam in Hispania obtinuisse, quae adeo nos admonet Orientis populorum, ut commentarium inter eos esse compositum et in latinum sermonem translatum putare possemus, nisi aliis iudiciis probari posset, eum ad ecclesiam Latinam pertinere.

Jam si quaeris, ex quibus libris manuscriptis commentarium deprompserim, fundamentum est codex aedis Cathedralis Barcinone, quem brevitatis causa *Barc.* in adnotationibus designo. Qui quamvis ineunte demum saeculo duodecimo scriptus sit, tamen exhibet verborum textum minus interpolatum ideoque breviores difficilioresque lectiones quam duo reliqui libri manuscripti. Alter eorum, cujus litterarum imaginem imitando expressam addidi, est bibliothecae Portuensis, et videtur saeculo decimo aut undecimo scriptus esse¹⁾. Aliquot pristini verborum textus exornationes, quae in eo inveniuntur, non obstant, quo minus saepe in eo vera lectio reperiatur, ubi reliqui codices manci sunt. Litteris *Port.* eum insignivi. Tertius a me collatus codex, quem *Rot.* nomino, saeculo undecimo exaratus est, et invenitur in ecclesia Rotensi. Is magis etiam interpolatus est, quam, quem modo nominavi, codex Lusitanus; et additamenta tam facile naturam suam produnt, ut, quum exempli gratia aliam bibliorum versionem sequantur atque eam, quae in reliqua explicatione normae instar fuit, vel ibi, ubi in utroque libro manuscripto inveniuntur, ut subdicia relinquenda sint.

1) Infra videbis hujus codicis litterarum effigiem.

Denique a re haud alienum duxi, locos aliquot respondentes ex antiquis biblicorum versionibus a Sabatiero editis afferre, ut iis indicarem, ubi essent lectiones variantes in commentario nostro.

[PRAEFATIO.¹⁾

[Jam vero in canticis canticorum figuraliter sub epithalamii carmine quattuor Salomon introducit personas, virum scilicet et sponsam, cum sponsa²⁾ adolescentulas, cum sponso sodalium³⁾ greges. Alia dicuntur ab sponsa, alia ab sponso, nonnulla a juvenculis, quaedam a sodalibus sponsi. Sponsus Christus significatur⁴⁾ et sponsa ecclesia sine macula et ruga, de qua scriptum est:⁵⁾ „ut exhiberet⁶⁾ sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam.“ Eos vero, qui, cum sint fideles juxta modum quendam⁷⁾ adepti videntur salutem, animas significari credentium ut adolescentulas⁸⁾ esse cum sponsa;⁹⁾ Apostolus vero¹⁰⁾ eos, qui pervenerunt in virum perfectum sponsi¹¹⁾ significari viros cum sponso.¹²⁾ In hoc autem libro prius sponsa loquitur dicens:¹³⁾ „Osculetur me osculo oris sui“ acsi dicat: tangat me dulcedine praesentiae unigeniti filii redemptoris mei.

[Haec pauca de operibus Salomonis sub aenigmatibus dicta lectori in prologo exposuisse sufficiat.

[EXPLICIT PROLOGUS.]

INCIPIT EPITHALAMIUM¹⁴⁾ GREGORII.¹⁵⁾

Osculetur¹⁶⁾ me osculo oris sui, quoniam bona ubera tua super vinum, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.

Audistis epithalamium¹⁷⁾ carmen, dilectissimi fratres,¹⁸⁾ quod Spiritus Sanctus per Salomonem¹⁹⁾ ex voce sponsi et sponsae i. e. Christi

1) Haec praefatio tantum invenitur in *Rot.* et *Port.*; maximam partem desumpta ex commentario Origenis ad cantica canticorum scripto qui reperitur in Hieronymi operum (edit. Vallarsi) volumine tertio, num ab ipso horum commentationum auctore, qui semper suo Marte agit, praemissa sit, valde dubito. — 2) *Rot.* et *Port.* sponso. — 3) *Rot.* et sodalium greges. — 4) *Rot.* figuratur. — 5) *Ephes.* 5, 27, consentiunt *Vers. Ant.* et *Vulg.*, nisi quod haec inter *exhiberet* et *sibi* addunt *ipse*. — 6) *Rot.* exhiberet. — 7) *Rot.* quendam. — 8) *Rot.* adolescentum. — 9) *Rot.* et *Port.* sponso. — 10) *Port.* et. — 11) *Port.* sponsus, quod sponsus significare videtur, nisi forte legendum *sponso*. Ceterum totus locus corruptus videtur. — 12) *Rot.* et *Port.* sponsa. — 13) *Cant. cant.* 1, 1. — 14) Conferatur ad haec Isidori *Etymol. Lib.* 1. cp. 39, nr. 18: *Epithalamia* sunt carmina nubentium, quae decantantur a scholasticis in honorem sponsi et sponsae. Haec primum Salomon edidit in laudem Ecclesiae et Christi; ex quo gentiles sibi epithalamium vendicarunt, et istius generis carmen assumptum est. Quod genus primum a gentilibus in scenis celebrabatur, postea tantum in nuptiis haesit. Similiter *August.* in ps. 44: solent dici a scholasticis carmina quaedam uxorem deducentibus, quae vocantur epithalamia. — 15) *Ita incipit Barc.*; contra *Rot.*: Incipit tractatus Gregorii Papae ejusdem epithalamii. In *Port.* omnino non invenitur inscriptio. — 16) *Cant. cant.* 1, 1. 2. — 17) *Rot.* epithalamii. — 18) *Barc.* dilectissime frater. — 19) *Rot.* per vatem intergrum Salomonem.

et¹⁾ Ecclesiae pro coelestium nuptiarum²⁾ allegorica decantatione prae-
dixit; quando Christus sponsus et anima sponsa obpignoraverunt sibi
invicem castam conjugii voluntatem,³⁾ et facti sunt duo in carne una,
i. e. Deus et homo. Sponsum autem Christum [esse]⁴⁾ et sponsam
ecclesiam probat Johannes Baptista,⁵⁾ dicens de Christo:⁶⁾ „*Qui habet
sponsam sponsus est:*”⁷⁾ *amicus autem sponsi stat et audit eum et gau-*
dio gaudet propter vocem sponsi.” Et alius propheta:⁸⁾ *Disponsabo te*
mihi in spe.” Et iterum: „*dispensabo te mihi in fide et caritate.*”

Denique ut sciatis hoc carmen pro Christo et Ecclesia esse prae-
dictum, praetitulatio ipsa manifestat; sic enim pronuntiatur: *Cantica*
Canticorum, eo quod super omnia cantica, quae aut Moyses aut Maria
in Exodo, aut Esaias aut Abacuc et⁹⁾ ceteri cecinerunt, haec meliora
sunt cantica; quia illi aut pro liberatione populi, aut pro conversatione¹⁰⁾
hominum¹¹⁾ aut pro ammiratione divinarum operum, accensi animo ac
mente,¹²⁾ Deo laudes dixerunt. Hic¹³⁾ autem Christi et Ecclesia vox
psallentis auditur, propter quod divina et humana sibimet¹⁴⁾ invicem
copulantur; ideo *Cantica Canticorum* i. e. meliora melioribus¹⁵⁾ nuncu-
pantur.¹⁶⁾ [Et quia grammaticus noster ac peritissimus legis beatus
Apostolus ammonuit discipulos suos, ut diligenti perscrutatione et quae
in alto¹⁷⁾ et quae in profundo et in longitudine et in altitudine posita
sunt quaerere deberent, ut possint comprehendere, quae sit latitudo,
longitudo, sublimitas et profundum, proinde necesse est nos sagaci sensu
per sanctorum verborum cavillationem sollicita animadversione requirere,
ne incautos aut veri similia fallant aut ambiguum confundant, aut incer-
tum deludant aut decipiant; sed ut sinceræ veritatis metam studiosissime
persequentes, comprehensam, sine frustratione opinionis, legitimam et
firmissimam retinere possimus.] Cum ergo dicit: *osculetur me* [ab¹⁸⁾]
*osculo oris sui quoniam bona*¹⁹⁾ *sunt ubera tua super vinum*, non de
hoc osculo carnali, sed spiritali gratia²⁰⁾ loquitur;²¹⁾ ecclesiae et-
enim²²⁾ venerandae et immaculae virginis ad Christum filium Dei tri-
cenarium juvenem, speciosum forma prae filiis hominum, vox est.²³⁾
Et quia alia sunt humana, alia divina oscula, ideo hic cum dicit eccle-
sia: *osculetur me* [ab] *osculo oris sui*, vult ipsa praesentis vocem

1) *Port.* omittit et. — 2) *Barc. om.* nuptiarum. — 3) *Rot.* castam invicem con-
junctionem. — 4) *Barc. om.* esse. — 5) *Rot.* probat Scriptura divina dicente Johanne
Baptista pro Christo in evangelio. — 6) *Joh. 3, 29. Vulgata et Vers. Ant.* legunt:
amicus autem sponsi qui stat et audit eum etc. Lectio hic probata reperitur apud Angu-
stinum in Joann. 57. — 7) *Rot.* „*Amicus autem sponsi stans et audiens vocem ejus prae*
gaudio exhalat.” Sed et per alium prophetam etc. — 8) *Hos, 2, 19. 20.* ubi secun-
dum *Vulg.* et *Vers. Ant.* legitur: Et sponsabo te mihi in sempiternum et sponsabo te
mihi in iusticia et judicio et in misericordia et in miserationibus. Et sponsabo te mihi
in fide. Vox: *dispensabo* illo loco nobis obvia invenitur apud Fulgentium (ad *Trasim. 1, 10*).
— 9) *Port.* aut. — 10) *Port.* conversione. — 11) *Rot. om.* hominum. — 12) *Port.*
om. accensi — — Deo laudes. — 13) *Rot.* Hic autem, quia Dei et Ecclesiae vox
psallentium auditur, propter quod divina et humana in semet invicem copulantur, ideo etc.
— 14) *Port.* sibi. — 15) *Rot.* meliorum. — 16) *Port.* et *Barc.* omittunt totam hanc
partem inde a verbis: *Et quia* etc. usque ad sequentem: *Cum ergo dicit* etc. — 17)
Rot. alta. — 18) *Port. om.* ab. — 19) *Rot.* meliora. — 20) *Barc.* gloria. — 21) *Rot.*
loquebatur. — 22) *Port.* enim. — 23) *Rot.* ecclesiae etenim venerandae immaculaeque
virginis vox est ad Christum filium Dei tricenarium juvenem decorum prae filiis homi-
num verba facientis.

audire¹⁾. In praeterito enim sermo Dei per Prophetas ad Synagoram loqui consueverat, et quasi per alienum os²⁾ pacis ei osculum dabat. Haec ergo ecclesia, quae vere sponsa est Christi, contenta³⁾ non est per⁴⁾ Prophetas tantummodo Christi pacem accipere; sed magis ore proprio evangelicae traditionis praecepta suscipiens a vero sponso velut osculum sanctitatis et caritatis suscepit;⁵⁾ et ideo *osculetur me*, inquit, [ab]⁶⁾ *osculo oris sui*. Quod quam vere fuerit adimpletum hinc⁷⁾ potest addisci; nam ex eo⁸⁾ quod Christus Dei filius secundum hominem venire dignatus est, et carnem animamque hominis velut sponsam accipere,⁹⁾ lex et prophetae cessarunt, sicut Evangelista ait:¹⁰⁾ „*lex et propheta usque ad Johannem Baptistam*; et iterum:¹¹⁾ „*lex per Moysen data est, gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est*.“ Ecclesiae¹²⁾ enim, ut Apostolus definivit, caro est Christi, qui ait:¹³⁾ „*et ipse est caput corporis ecclesiae*“ cui tunc osculum ad osculum fida caritate impressum est, quando duo in una carne conjuncti sunt, i. e. veritas et pax sibi invicem mutuis¹⁴⁾ complexibus adhaeserunt; sicut David dicit:¹⁵⁾ „*Veritas*¹⁶⁾ *et pax amplexae*¹⁷⁾ *sunt [se]*;¹⁸⁾ *veritas*, inquit, *de terra orta est*, id est caro Christi,¹⁹⁾ *de matre virgine nata*, cujus origo terrena est. *Pax*²⁰⁾ *de coelo prospexit*, i. e. verbum Dei, qui dixit:²¹⁾ „*ego sum pax*, [et²²⁾ de quo dixit Apostolus:²³⁾ „*Qui est pax nostra*“; et ipse dicit] et „*veram pacem meam do vobis*“.²⁴⁾ Hoc est osculum,²⁵⁾ verbum patris, prophetarum ore annunciatum, quod a seculis antiquis diu spe²⁶⁾ suspensa²⁷⁾ pependit, et²⁸⁾ adveniente die sponsaliorum²⁹⁾ per anulum fidei est adimpletum, et pro novo nuptiarum³⁰⁾ coelestium accepit³¹⁾ ecclesia.³²⁾ Quid enim carius³³⁾ Christo quam Ecclesia, pro qua suum sanguinem fudit? aut quid Ecclesiae³⁴⁾ amabilius Christo, cujus sancta et inviolata³⁵⁾ conjunctione magnam filiorum multitudinem per baptismi regenerationem procreavit, cujus foetum³⁶⁾ copiosissimum sine dolore videmus profusum, cujus³⁷⁾ efficaciam

1) Rot. vult ipsam praesentis Christi vocem audire. — 2) Barc. pro alieno ore. — 3) Port. contempta. — 4) Port. om. per. — 5) Port. accipit. — 6) Port. om. ab. — 7) Rot. hinc potestis addiscere. — 8) Rot. ex quo. Opinio ipsa, rationem divinam seu λόγον in Jesu Christo unam eandemque fuisse atque naturam humanam, sicuti vir et femina matrimonio juncti unum corpus esset, invenitur apud Theodorum Mopsvestanum (Vid. Neander hist. eccles. t. II. p. 633.). — 9) Rot. ex eo jam lex. — 10) Luc. 16, 16. — 11) Rom. 3, 12. — 12) Port. Ecclesia. — 13) Col. 1, 18. — 14) Port. mutuo. — 15) Rot. dicente David. — 16) Psalm. 84, 11. 12. Vulg., Vers. Ant., Hieron., Conc. Tolet. 8. alii legunt: justitia et pax; et pro amplexae sunt Vulg. osculatae sunt; Hieron. deosculatae sunt; Vers. Ant. complexae sunt se, Conc. Tolet. 8. se complexae sunt. — 17) Rot. complexae. — 18) Rot. et Port. om. se. — 19) Port. qui de matre virgine nata est; Barc. qui de matre virgine natus est. Quae omnes sunt emendationes inventae ad evitandum Jesu terrena naturae nomen, quod offensioni fuit. — 20) Vulg. Vers. Ant. alii justitia (pro pax). — 21) Barc. id Port. omittunt haec verba.

22) Eph. 2, 14, ubi Vulg. et Vers. Ant. legunt: Ipse enim est pax nostra. — 23) Et veram deest in Rot. — 24) Joh. 14, 27, Vulg. et Vers. Ant.: Pacem meam do vobis. — 25) Rot. id est verbum. — 26) Spe deest in Barc. — 27) Rot. suspensum.

28) Rot. et adveniente die sponsaliorum adest impletum per anulum fidei, quod quasi pro novo nuptiarum coelestium accepit ecclesia. — 29) Port. sponsus aliorum. — 30) Barc. nuntiarum. — 31) Port. a quo cepit. — 32) Barc. ecclesiam. — 33) Port. Quid enim tam carius. — 34) Rot. Ecclesia. — 35) Rot. immaculata. — 36) Rot. partum. — 37) Rot. profusum.

et ut verius dixerim, artem¹⁾ nascendi vel potius renascendi, sentias²⁾ magis quam enarres,³⁾ intelligas potius quam comprehendas;⁴⁾ [nec enim ipsam videas, nec matrem cognoscas]; et tamen perfectum opus quod magistra sapientiae⁵⁾ et opifex⁶⁾ ratio clarum edidit⁷⁾ cum debita veneratione laudabis.⁸⁾

Et addidit: „*quoniam bona ubera tua [sunt⁹⁾] super vinum.*“ Habuit quidem¹⁰⁾ prisca lex duo ubera ex¹¹⁾ duabus tabulis lapideis, quae digito Dei impressa¹²⁾ candidum lac disciplinae parvulo tunc populo¹³⁾ praebuerunt. Sed nunc ubera Domini jam non duo, sed quattuor¹⁴⁾ cognovimus; quattuor enim evangeliorum fontes dulces lac sapientiae credentibus tribuunt. Denique Dominus ad Abraham qui utriusque populi pater est, secundum carnem scilicet Judaeorum, et noster ex fide, cum ei haereditatem futuri aevi promitteret, hoc inter cetera signum sacrificii postulavit, capram trinam et vaccam trinam, ut capram¹⁵⁾ veteris testamenti figuram ostenderet et vaccam¹⁶⁾ evangelicae disciplinae. Haec sunt¹⁷⁾ bona ubera Domini i. e. evangeliorum fontes [aquae],¹⁸⁾ quae meliora sunt super vinum propheticae praedicationis. Duo etenim genera vini in scripturis coelestibus legimus, unum quod apud Canaan Galilaeae defecit ad nuptias, aliud quod multo melius verbo Dei de aqua est factum. Unde et Salvator dicebat, vinum novum in utres novos mitti oportere. Quod quidem significabat nuptias Christi et Ecclesiae i. e. quando verbum Dei anima¹⁹⁾ hominis copulavit, cessaturum esse vinum²⁰⁾ i. e. praeae legis et prophetiae; et aliud evangelicum ex baptismatis aqua²¹⁾ futurum; unde et credentes musto pleni sunt dicti. Quid est enim de aqua vinum, nisi quod anima quae retro fuerat terrena, insipida²²⁾ et aquata, in merum spiritum conversa praestantior sapore facta est²³⁾ [et odore, ut Apostolus ait:²⁴⁾ *nos bonus odor Christi sumus*, et alibi:²⁵⁾ *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus*. Et proinde hoc in loco meliora ubera Domini i. e. doctrinam evangelicam dicit super vinum veteris prophetiae.

Et adjecit:]

Et²⁶⁾ odor unguentorum tuarum super omnia aromata.

Odor unguenti istius sacrosanctam²⁷⁾ crismatis gratiam manifestat, quae super omnia²⁸⁾ synagogae flagrat et redolet. Illa etenim habebat unctionem de ungentis odoriferis factam; Christi autem unguentum ex Sancti Spiritus suavitate descendit, sicut per Esaiam loquitur dicens:

1) Rot. artificium. — 2) Hic, quod comparetur, dignum videtur Priscillianorum placitum: *arte non potentia Dei agi omnia bona in hoc mundo*. — 3) Port. narres. — 4) Enuntiatio, quae sequitur, legitur in solo Rot. — 5) Rot. sapientia. — 6) Rot. perfecta. — 7) Barc. me dedit; Port. dederit. — 8) Port. laudabilis addidit etc. — 9) Port. om. sunt. — 10) Port. enim. — 11) Rot. in. — 12) Rot. et Barc. impressae. — 13) Rot. populo israelitico praebuerunt. — 14) Rot. quattuor esse. — 15) Rot. capra. — 16) Rot. vacca. — 17) Rot. sunt ergo. — 18) Rot. et Barc. om. aquae. — 19) Rot. cum anima, et in margine: animam sive hominem. — 20) Rot. vinum vetus. — 21) Port. alium pro aqua. — 22) Port. inspirata. — 23) Quae uncinis sunt inclusa, desunt in Port. et Barc. — 24) 2 Cor. 2, 15, ubi ex Vers. Ant. verba sunt: quia Christi bonus odor sumus. — 25) Psalm 33, 9. Eodem modo Vulg. et Vers. Ant. — 26) Cnt. cnt. 1, 2, congruit cum Vers. Ant. aliis. — 27) Rot. sacrosancti. — 28) Rot. omnia aromata synagogae; Port. omnia synagoga.

*spiritus*¹⁾ Domini super me, propter quod unxit me evangelizare pauperibus misit me.²⁾ [Et alibi odorem inquit notitiae tuae dedit nobis]. Et ideo hunc odorem ungenti,³⁾ i. e. crismatum⁴⁾ spiritualium gratia⁵⁾ super omnia aromata veteris testamenti meliorem esse designat.

Et subiungit:

*Unguentum exinanitum nomen tuum*⁶⁾. Quare⁷⁾ itaque exinanitum breviter indicabo. Priscæ legis reges et sacerdotes, qui ex cornu crismatis ungebantur, Christi dicebantur in lege, eo quod similitudinem unctionis crismatis, non tam⁸⁾ ipsam perfectionem acciperent; et proinde umbram potius quam veritatem Christi nominis utebantur.⁹⁾ Sed ad¹⁰⁾ ubi plenitudo divinitatis secundum Apostolum¹¹⁾ Christo completa est, tunc exinanitum est nomen eorum regum, qui Christi dicebantur, ne ulterius hoc vocabulo censerentur. Et verum permanet nomen Christi¹²⁾, quod ex vero unguento i. e. Sancti Spiritus plenitudine est effusum¹³⁾. Exinanivit¹⁴⁾ et evacuavit adumbratum nomen eorum regum [qui¹⁵⁾ Christi imaginaliter dicebantur]; denique ex quo hic verus Christus advenit, cujus bonus odor mundo innotuit, nemo ex eo rex vel sacerdos Christus est appellatus; et ideo ait: *unguentum exinanitum nomen tuum*. Verum quod alibi ait, *unguentum effusum nomen tuum* eo quod suavissima veri¹⁶⁾ Christi nominis¹⁷⁾ gratia super omnes credentes diffusa est, et bonum odorem notitiae suae fidelibus cunctis effuderit, unguentum effusum est appellatum. Unde et orationes sanctorum in Apocalypsi timiamae sunt comparatae, Christi enim nomen apud Graecos de suavitate censetur.

Et adjecit:¹⁸⁾

*Propterea*¹⁹⁾ *adulescentulae dilexerunt te*,²⁰⁾ *et adtraxerunt se*²¹⁾ *post te*. Non putemus²²⁾ Spiritum Sanctum de adolescentulis feminis, aut de turpi cupiditate fuisse locutum, sed adolescentulae istae novellae sunt plebes quas nuper Christus de gentibus congregavit²³⁾. Illae etenim rogant Dominum dicentes: adtrahere nos post te i. e. ut Christi vestigia perfecta, bona²⁴⁾ et justa sequantur. Ipsae etenim novellae plebes ex gentibus congregatae Christum incredibili cupiditate diligunt

1) Ps. 33, 9 congruit cum multis reliquarum versionum (*Vers. Ant., Vulg., Mozar.*). — 2) Ex *Rot.* num duo alii codices verba non legunt. — 3) *Rot.* unguentorum. — 4) *Port.* carismatum. — 5) *Port.* gratiarum. — 6) *Cnt. cnt.* 1, 2; ut apud *Hilarium* (in Ps. 132) et apud alios; contra *Vers. Ant.* Unguentum exinanitum est nomen tuum. — 7) *Rot.* Sed abbi: *unguentum*, inquit, *diffusum nomen tuum*. Sed quare alibi *exinanitum*; et quare alibi *diffusum* dicat Scriptura divina, breviter intimabo. Priscæ etc. — 8) *Rot.* tamen. — 9) *Rot.* umbra potius quam veritate Christi nomine utebantur. — 10) *Rot.* At ubi. — 11) *Rot.* ut Apostolus dicit. — 12) *Rot.* nomen verum Christi permanet, quod etc. — 13) *Rot.* diffusum est. — 14) Tota enuntiato inde a verbis: *exinanivit* etc. usque ad sequentem: *Verum quod alibi* etc. omittitur in *Barc.* — 15) Uncinis inclusa in solo *Rot.* inveniuntur. — 16) *Barc.* viri. — 17) *Barc.* Christi nomine gratia. — 18) *Barc.* addidit. — 19) *Cnt. cnt.* 1, 2. aliae legunt *Ideo pro propterea*; verum haec vox reperitur in Ms. S. Theoder. et apud Vigil. Taps. (de trin. 12). In Graecis legitur *διὰ τοῦτο*. — 20) *Cnt. cnt.* 1, 3. In Graecis *ἐλλυσαν σὲ ὁλῶσαι σοῦ*. Apud *Ambrosium* (de virg. 2) dilexerunt et adtraxerunt te. Prorsus recedit *Vers. Ant.*: Attrahere nos; post te etc., quicum *Vulg.* congruit: Trahe me; post te etc. — 21) *Rot.* Trahe me. — 22) *Rot.* Non putetis, dilectissimi fratres. — 23) *Rot.* convocavit. — 24) *Rot.* vestigia peracta bona et iustitiam sequantur. Nemo alius quam ipsae adolescentulae i. e. novellae, ut dixi, plebes etc.

et sequuntur. Nam synagogae plebes¹⁾ vetulae et stultae dicuntur,²⁾ quia secundum veterem hominem vivunt, [et³⁾ Christum Dei sapientiam non receperunt. Denique cum primum Christus venisset in synagogam, tunc eum magis istae sequi et amare coeperunt quam populus Israel. Unde mulier illa Cananaea, quae imaginem ecclesiae ex gentibus ostendebat, Christum fideliter sequebatur. Et hoc est quod ait: *propterea adolescentulae dilexerunt te, trahe nos post te*, i. e. ut amore Christi detenta ecclesia semper iter praeceptorum sequi debeat.]

Et addidit:⁴⁾

Introduxit, inquit,⁵⁾ *me rex in cubiculum suum*. Hoc ecclesia loquitur, quae regem Christum Dei filium constituitur. Sed quid est cubiculum, ubi Christus rex Ecclesiam reginam introduxit, nisi in coelestis regni secretum? Quis enim nesciat illuc⁶⁾ Christum ecclesiam suam i. e. carnem suam introduxisse, unde sine carne discenderat, i. e. penetralia coeli?⁷⁾ Carnem autem Christi Ecclesiam esse Paulo Apostolo auctore didicimus, qui dixit: *caro Christi, quod est Ecclesia*.

Denique subjungit:

Exultemus inquit *et laetemur in eum*.⁸⁾ Quae enim major exultatio aut laetitia esse potest, quam⁹⁾ coelestis regni mysterium? quam¹⁰⁾ cum gratiam ecclesia a Christo consequitur ubi spes omnis vitae et salutis nostrae est posita.

Et addidit:¹¹⁾

*Diligimus*¹²⁾ *ubera tua super vinum*. Diximus jam ubera Domini evangeliorum esse doctrinam, unde nobis gratia doctrinae coelestis emulgitur.¹³⁾ Vinum autem prophetiam veterem, quod ad nuptias Christi et Ecclesiae defecisse retulimus. Denique ex eo prophetia cessavit.

*Aequitas*¹⁴⁾ inquit *dilexit*¹⁵⁾ *te* i. e. Christus Ecclesiam.

Et addidit:¹⁶⁾

*Fusca*¹⁷⁾ *sum* inquit *et decora filia Jerusalem*. Mirari me fateor quemadmodum et fuscam et decoram hoc in loco se testetur ecclesia, cum decora esse non possit quae fusca est. Aut quomodo fusca si decora, vel quomodo decora si fusca? Sed attendite [mysterium verbi et videte]¹⁸⁾ quanta altitudine¹⁹⁾ sensus loquatur Spiritus Sanctus. Fusca

1) Rot. plebes vetulae, stultae, et steriles dicuntur. — 2) Rot. Vetulae inquam, quia secundum veterem hominem vivunt, stultae autem quia Christum Dei sapientiam etc. — 3) Locus inde a verbis: *et Christum* etc. — usque ad *debeat* et in *Port.* quidem et *Rot.* invenitur, ut in solo *Barc.* desit; sed nihilominus ab aliena manu profectus existimandus est, quum, locus ex Canticis Canticorum petitus, qui explanandus est non ut supra scriptus sit: (*adtraxerunt se post te*), sed eodem modo atque in *Vulgata* (*trahe nos post te*) exaratus legatur. — 4) *Port.* Unde iniquens addidit. *Rot.* Et adjecit. — 5) *Rot.* Introduxit me, inquit etc. *Port. om.* inquit. Locus eodem modo in *Vers. Ant.* legitur. (Cnt. cnt. 1, 3.). — 6) *Barc.* illic. — 7) *Rot.* i. e. in aditum coelorum. — 8) *Rot.* in ea; *Vers. Ant.* all. in te. (Cnt. cnt. 1, 3.) — 9) *Rot.* quam cum coelestis regni mysterii gratiam Ecclesia a sponso Christo consequitur, ubi etc. — 10) *Barc.* quam gratiam ecclesia a Christo sequitur, ubi etc. — 11) *Rot.* Haec sunt propter quae: *diligimus* etc. — 12) *Cnt. cnt. 1, 3.* — 13) *Rot.* mulgetur. — 14) Hic locus non invenitur in *Vers. Ant.*, sed eodem modo legitur in *Ms. S. Theod.*; similiter in Graecis scriptum: *ἐδούλης ἡγάπησέ σε*; paululum recedit *Vulg.* recti diligunt te. — 15) *Barc.* dilexi. — 16) *Port.* et adjecit. — 17) *Cnt. cnt. 1, 4* congruit *Vers. Ant.* — 18) Uncisis inclusa in solo *Rot.* leguntur. — 19) *Port. om.* sensus.

itaque se dicebat Ecclesia propter eos qui erant ex gentibus credituri¹⁾. Erat quippe tetro idolatriae fumo et sacrificiorum busto fuscata; sed decora facta est per fidem Christi et sanctitatem spiritus quem accepit. Denique²⁾ tunc erat fusca,³⁾ inquit, cum eam dispexerat sol.

*Nolite*⁴⁾ inquit *aspicere me, quoniam non est intuitus me sol*. Solem autem Christum esse probat Malachias⁵⁾ Propheta cum dicit:⁶⁾ *vobis qui timetis Dominum, orietur sol justitiae, quod est Christus*. Ante adventum enim filii Dei fusca erat, [ut saepe dixi, ex gentibus Ecclesia,]⁷⁾ quia necdum in ipso crediderat; sed cum a sole vero,⁸⁾ Christo, est inlustrata, facta est decora nimis atque formosa; cui dicit⁹⁾ Spiritus Sanctus per David, *quoniam*¹⁰⁾ *concupivit rex speciem tuam*. Jam enim aqua baptismatis lota est, jam ab omni macula vel ruga purgata. [sicuti apostolus¹¹⁾ ait:¹²⁾ *ut exhibeat sibi ecclesiam non habentem maculam vel rugam*, h. e. nullam maculam delicti, nullam rugam perversae doctrinae: jam Christi sanguine rubicunda] jam Sancti Spiritus inlustratione composita, jam¹³⁾ carismatum donis ornata. Proinde manifestum nobis esse debet hac de causa fuscam se dixisse, vel propter vitia gentilitatis vel propter veteris hominis delicta, ex cujus origine censebatur;¹⁴⁾ formosam autem propter assumptionem Dei et fidei sanctitatem. Sed quia repetit:¹⁵⁾ *Fusca*¹⁶⁾ *sicut tabernacula Caedar, sicut pellis Salomonis*, causas¹⁷⁾ harum comparationum requirere¹⁸⁾ debemus. Caedar enim ex hebraeo in latinum¹⁹⁾ tenebricosum²⁰⁾ interpretatur; denique et apud Caedar civitatem gentilium tunc idolatria fervebat, quia²¹⁾ nihil est tetrius quam²²⁾ daemonibus servire. Unde²³⁾ [et] Dominus per Jheremiam Prophetam populum Israel²⁴⁾ objurgans, quod deliquissent,²⁵⁾ et manu facta simulacra gentium adorarent: *Ite*,²⁶⁾ inquit, *in Caedar et in Cethin mittite, et videte si facta sunt talia, si mutaverunt gentes Deos suos; et isti, inquit, non sunt Dii; populus autem meus immutavit*²⁷⁾ *gloriam suam*²⁸⁾ *pro parva ratione*. Et²⁹⁾ in loco

1) Rot. quippe tetro idolatriae fumo et sacrificiorum busto infuscati videbantur, sed decora etc. — 2) Rot. Denique, et tunc eram inquit fusca quoniam nondum me intuitus fuerat sol. — 3) Barc. fuscata. — 4) Cnt. cnt. 1, 5. Vers. Ant.: Nolite aspicere me, quia offuscata sum, quia non est intuitus me sol. — 5) Rot. Ezechiel, et in margine: Malachias. — 6) Malach. 4, 2. Vers. Ant. Et orietur vobis qui timetis nomen meum sol justitiae. Eodem fere modo Vulg. nisi quod timentibus pro qui timetis exhibet. — 7) Uncinis inclusa in solo Rot. leguntur. — 8) Port. ont. vero. — 9) Rot. adeo ut diceret ei Spiritus etc. — 10) Psalm 44, 4. — 11) Uncinis inclusa in solo Rot. — 12) Eph. 5, 27 (v. s.) — 13) Barc. omnia omittit inde a verbis: (jam crismatum) usque ad finem capituli seu usque ad verba: Sed quia repetit etc. — 14) Port. censebantur. — 15) Cnt. cnt. 1, 4; sed non invenitur v. S. eorum verborum iteratio, quam libri textus significare videtur. — 16) Port. Fusca sum sicut etc. — 17) Rot. ideo causas harum comparationum requirere et disserere debemus quid tabernaculum Caedar, quid pellis Salomonis indicet. Caedar enim etc. — 18) Port. inquirere. — 19) Port. in latinum sermonem. — 20) Port. tenebrosus. — 21) Barc. qua. — 22) Barc. omittit verba: quam daemonibus servire et legit qua. — 23) Et in solo Port. invenitur. — 24) Israel deest in Port. — 25) Rot. dereliquissent Dominum Barc. se dereliquissent. — 26) Jerem. 2, 10. 11. Secundum Vers. Ant. circuite insulam Cethin et videte, et in Cedar mittite et intelligite vehementer, et videte si facta sunt talia, si mutabunt gentes deos suos, et isti non sunt dii; populus autem meus mutavit gloriam suam. Magis graecorum verborum textus congruit cum lectione, quam auctor secutus est; ibi enim legitur: *εὐαγγέλιον* (si mutaverint) pro si mutabunt Vers. Ant. — 27) Barc. mutavit. — 28) Pro parva ratione deest in Barc., et Port. legit parvam rationem. — 29) Sequentia usque ad verba: Fusca desunt in Barc.

propheticus¹⁾ Christus ex voce Ecclesiae quae ex gentibus congregandae erat exemplum posuit, dicens: *Fusca sum*²⁾ *sicut tabernacula*³⁾ *Caedar* i. e. sicuti⁴⁾ gentium congregatio. Sed et *sicut pellis* inquit *Salomonis*. Pellem Salomonis⁵⁾ carnem ipsius dicit,⁶⁾ quae tetro veteris hominis lubrico transgressionis vitio fuscabatur.⁷⁾ Quod ipse Salomon idola gentium instar tenet Camos sed et lucos idolorum Sidoniorum et cetera simulacra coluerit. Vel quod amator fuerit mulierum, Moabitidas et Ammanitidas, quas secutus a priscae legis conversatione declinavit. Fuscam itaque se dicit propter transgressionem Adae et peccata parentum, sed et decoram propter conversionem Christi quam habet in fide et sanctitate. Denique⁸⁾ [et]⁹⁾ in templo Salomonis rubicundae et jacinthinae pelles erant unde et tabernaculum tegebatur: rubicundae propter passionem sanguinis, jacinthinae [vero]¹⁰⁾ propter firmitatem et splendorem virgineae sanctitatis. Haec est ergo ecclesia caro Christi, per quam non omnes credentes in Christo velut membra corporis ejus a delicto priscae conversationis purgati ornamentum decoris et speciem dignitatis accepimus.

Sed jam sufficiat modo de istis disseruisse. Reliquum quod sequitur favente Dei numine et clementia ejus caritati vestrae disserere non tardabo. Deo itaque Patri Omnipotenti gratias [agentes]¹¹⁾ per Dominum nostrum Jesum Christum [qui¹²⁾ est benedictus in secula seculorum].

EXPLICIT¹³⁾ LIBER PRIMUS.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

*Filii*¹⁴⁾ *matris meae oppugnaverunt adversum me*¹⁵⁾ [*posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodivi*]. Quae¹⁶⁾ est haec mater Ecclesiae, cujus filii oppugnaverunt eam? Matrem utique suam secundum carnem synagogam dicit, quae antiquior est in lege. Exinde¹⁷⁾ ergo Dei filius carnem hominis induit, quam Ecclesiam dicit Apostolus. [Et¹⁸⁾

1) *Port.* propheta e, quod equidem non intelligo. — 2) *Barc.* Fusca itaque sicut. — 3) *Rot.* tabernaculum. — 4) *Barc.* sicut gentium. — 5) *Barc. omissis verbis:* Pellem Salomonis, *legit:* carnem ipsius decit Salomonis quae etc. — 6) *Rot.* qua veteris hominis tetro transgressionis etc.; *Barc.* quae tetro veteris hominis transgressionis etc. — 7) *Barc.* Nam idola gentium astartem et curios, sed et locos idolis fabricavit. Amavit quippe mulieres Moabitidas etc.; *Rot.* Quod ipse Salomon idola gentium Astartem et Camos, sed et lucos idolorum Sidoniorum et cetera simulacra coluerit; quod amator fuerit mulierum i. e. ab earum carne revelli non poterat, quoniam necdum a Christo fuisset assumpta. Et quia generalem summam humani corporis Dominus in semetipso suscepit, unde et Apostolus *peccatum*, inquit, *pro nobis factum est*, i. e. carnem hominis peccatoris induendo, quam carnem ecclesiam esse Apostolus definivit, cujus nos membra sumus. Ideo et tabernaculum Caedar i. e. vitium gentilitatis, pellem Salomonis i. e. veteris hominis conversationem ex consortio ejusdem carnis esse dicebat; offuscatam propter transgressionem Adae et peccata parentum, sed decoram nimis propter conversationem Christi, quam etc.

8) *Barc.* unde tabernaculum tegebatur. Rubicundae propter passionem sanguinis Christi. Jacinthinae propter conversionem Explicit liber primus. — 9) *Port. om. et.* — 10) *Port. om. vero.* — 11) *Barc. om.* — 12) *Rot. om.* — 13) *Rot.* Et sic finit Liber I. — 14) *Cant. cant. 1, 5 secundum Vers. Ant. nisi* quod in ea: *pugnaverunt adversum me* legitur. — 15) *Port. om.* — 16) *Barc.* hic mancus est et pergit demum a verbis: Exinde vero etc. — 17) *Rot.* Et exinde Dei etc. — 18) Uncinis inclusa in solo *Rot.* inveniantur.

quia dixit: ¹⁾ *non tu radicem portas, sed radix te*, per hoc matrem suam secundum carnem synagogam appellat.] Filii ergo matris populi sunt synagogae, qui Ecclesiam Dei in multis [malis ²⁾] et temptationibus persecuti sunt; primum quod ipsam carnem Domini ³⁾ crucifixerunt, deinde quod omnes credentes in eo variis praessurarum ⁴⁾ generibus affligerunt. Unde et Saulus ⁵⁾ persecutor Ecclesiarum fuerat destinatus. Ideo ⁶⁾ ait: *filii matris meae pugnauerunt adversum me*.

Et addidit: ⁷⁾

Posuerunt ⁸⁾ *me custodem in vineis, vineam meam non custodivi*. Quae est haec vinea, quam non custodivit, nisi domum ⁹⁾ populi Israelis? Vineam autem populum esse probat Esaias ¹⁰⁾ cum dicit: *Vinea* ¹¹⁾ *enim inquit Domini Sabaoth domus Israel est*. Et David: ¹²⁾ *Vineam ex Aegypto transtulisti* [eiecisti ¹³⁾ gentes et plantasti eam]; et utique populum, non vineam, transtulerat ¹⁴⁾; sed hanc vineam populi ¹⁵⁾ Israelis noluit custodire. Ecclesia ¹⁶⁾ hac derelicta Apostolus Paulus vinea de persecutore apostolus meruit fieri, nolens legalem observationem custodire, circumcisionem carnis, neomeniae et sabbatorum dies festos et cetera, quae in lege inveniuntur esse praecepta, sed mandata Christi maluit custodire.

Et addidit: ¹⁷⁾

Ubi ¹⁸⁾ *pascis, ubi cubas in meridie*. Hoc quidem ¹⁹⁾ Ecclesia loquitur et ²⁰⁾ velut ignorans ab eo requirit. Nulli quidem dubium est, meridianum Aegyptum et partes Africae esse. Et quia illic infantia Christi delituit quando eum Herodes ²¹⁾ quaerebat occidere, sicut in evangelio

1) Rom. 11, 18. — 2) Malis est in solo Rot. — 3) Domini deest in Port., et Rot. legit: Primum quidem quod ipsi carnem Domini etc. — 4) Port. poenarum; Rot. temptationibus et poenarum generibus. — 5) Port. Paulus; Rot. unde beatus Paulus dum adhuc Saulus diceretur, persecutor. — 6) Port. om. Ideo ait usque ad Et addidit. — 7) Port. Et adjecit. — 8) Cnt. cnt. 1, 5. — 9) Port. nisi domus Israel. — 10) Rot. Ysaia propheta. — 11) Jes. 5, 7 secundum Vers. Ant., quae cum Brev. Mozar., Hilar. aliis consentit. — 12) Psalm 79, 9 secundum Vers. Ant. — 13) Uncinis inclusa in solo Rot. — 14) Rot. transtulit. — 15) Barc. et Rot. populus.

16) Locus sequens in Barc. valde mancus est; continet enim tantum haec: Ecclesias.... relicta Apostolus Paulus..... de persecutore Apostolum..... fieri nolens legalem etc. Cum hujus lectionis indicia Port. in universum consentit: Ecclesia hanc derelictam apostolus Paulus vineam de persecutore apostolus meruit fieri, nolens etc. Prorsus aliter legit Rot.: Et quidem Beatus Apostolus Paulus relicta hac vinea populi Israelis, quam custodiendam acceperat, de persecutore Apostolus esse meruit. Quia noluit iustitiam, ut ipse dicit, quae ex lege est facere, sed maluit eam, quae ex fide est adimplere; i. e. noluit legalem munificenciam observare, circumcisionem carnis, observantias escarum, sabbatis curam, neomenias et dies festos purificationis, et cetera quae in lege Moisi inveniuntur esse praecepta. Haec ergo omnia quae in vinea populi deputantur, noluit servare; et ideo dicit: *filii matris meae* i. e. synagogae populi, *oppugnauerunt me*; quia relicta vinea Israel praecepta Christi maluit custodire. — 17) Rot. adjecit.

18) Port. *Adnuncia mihi quem dilexit anima mea*, ubi pascis ubi cubas in meridie. Rot. *Ubi pascis, ubi manes in meridiano*. Locus (Cnt. cnt. 1, 5) in Vers. Ant. consentit cum lectione Port., nisi quod ibi (cum Rot.) *manes pro cubas habetur*. At Ms. S. Theoder legit: ubi pascas, ubi cubas in meridie. In Graecis fuit: *πὸ νοτιῶν, πὸ νοτιῶν ἐν μεσημβρίᾳ*. Consentit cum lectione codicis Port. Hieron. ep. 18 ad Eustoch.

19) Barc. om. quidem. — 20) Rot. sed velut ignorans ab eo requirebat, quasi ipsa nesciret; Port. sed quia velut etc. ut Rot. — 21) Barc. om. Herodes.

scriptum est, quod Angelus Domini dixit ad Joseph: ¹⁾ tolle ²⁾ infantem et matrem ejus Mariam et fuge in Aegyptum ut impleretur quod scriptum est: ex Aegypto vocabo ³⁾ filium meum, et alibi: ⁴⁾ Deus ex Aegypto ⁵⁾ veniet. Et ideo hoc in loco spiritus dixerit: ubi pascis ubi cubas in meridie ⁶⁾).

Sed hoc juxta simplicem historiam dici potest. Caeterum, quantum ad spiritalem sensum pertinet, meridianum ipsum ⁷⁾ Christi corpus accipimus; ⁸⁾ primum quod meridianum prope finem est, non in fine; ita et prope finem ⁹⁾ seculi Salvator induit corpus. Deinde ¹⁰⁾ quod in meridiana parte quamquam sit temperatus aer, tamen plus illic aestus quam frigus incumbit; sic etiam in carne Christi, licet sit permixta Dei et hominis substantia et quasi meridiani climatis temperamentum, ¹¹⁾ praestat tamen calor spiritualis plus, quam carnalis fragilitas operatur. Ac proinde Dei et hominis in eadem, ut dixi, carne temperamentum est, quod prope seculi finem susceptum est, meridianum spiritualiter nuncupatur. Cum ergo [hoc ¹²⁾] dicit: annuntia mihi, quem dilexit anima mea, ubi pascis, ubi cubas ¹³⁾ in meridie, adnunciationem divinae ¹⁴⁾ moderationis et praedicationem ¹⁵⁾ nominis Christi per Apostolos requirebat; mansionem quoque corporis ipsius ad pastum verbi ¹⁶⁾ coelestis quasi meridianum pro temperamento Dei et hominum, qui et Deum homini in ¹⁷⁾ gratiam revocavit, et hominem Deo, quem transgressionis vitio offenderat, in sua carne conjunxit.

Et addidit: ¹⁸⁾

Ne ¹⁹⁾ forte efficiar ²⁰⁾ circumamicta tanquam super greges sodalium tuorum. ²¹⁾ [O altitudo sapientiae et scientiae Dei, quam investigabiles viae ejus, qui vocat ea quae non sunt tamquam ea ²²⁾ quae sunt, ac tali ²³⁾ allegoria verborum ea, quae necdum erant, jam tunc praescius nuntiabat, et quae suis quibusque temporibus complenda erant per typos et imagines indicabat. Annuntia mihi, quem dilexit anima mea, hoc utique Christo dicebat Ecclesia. Ubi pascis, ubi manes in meridiano i. e. in evangelii tui temperamento et ratione ²⁴⁾ et definitione notam

1) Rot. et ad Mariam matrem Domini, ut tollerent infantem et in Aegyptum secederent, ut impleretur etc. — 2) Matth. 2, 13—15. Vulg. Surge et accipe puerum et matrem ejus et fuge in Aegyptum — et erat ibi usque ad obitum (Vers. Ant. consummationem) Herodis, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: ex Aegypto vocavi filium meum. — 3) Rot. vocavi. — 4) Quo id referendum sit, nescio. — 5) Rot. ab Aegypto. — 6) Rot. in meridiano. — 7) Barc. om. ipsum. — 8) Barc. quia meridianum etc.: (omittit igitur primum). — 9) Port. mundi. — 10) Barc. Quamquam ergo et meridiano sit temperatus etc. — 11) Barc. praestat tamen calor spiritualis quam carnalis fragilitas merito nuncupatur. Cum ergo dicit: annuntia etc. Itaque verba interposita codex ille non habet. Rot. temperamentum spiritualis gratia praestet tamen plus calor spiritualis quam etc. — 12) Port. et Barc. om. hoc. — 13) Rot. manes in meridiano. — 14) Rot. evangelicae. — 15) Port. praedicationis. — 16) Rot. cibi. — 17) Rot. et Deum et hominem. — 18) Port. Et adjecit. — 19) Cnt. cnt. 1, 6. Vers. Ant.: ne forte *fiat* circumamicta super greges sodalium tuorum; Hieron. (ep. 18 ad Eustoch.) ne quando efficiar sicut operta super etc.) Augustin.: (de unit. eccl.) ne forte *fiat* sicut operta super etc. Graece ita: μήποτε γένωμαι ὡς περιβάλλομένη. — 20) Rot. *fiat*. — 21) Barc. om. totam partem a verbis *o altitudo* etc. usque ad *Sodales* etc. — 22) Port. om. ea. — 23) Port. Partiali pro ac tali. — 24) Port. et rationem et definitionem totamque veritatem etc.

veritatem ostende mihi, ne forte efficiar tamquam super greges sodalium tuorum.)

Sodales hoc [in] ¹⁾ loco Christi Apostolos dicit, sicut ipse Dominus ²⁾ ait: ³⁾ *jam vos non dico* ⁴⁾ *servos sed amicos*. Et iterum: *Vos* ⁵⁾ *amici mei estis si feceritis, quae* ⁶⁾ *mando vobis*. Hi sunt ergo sodales Apostoli, qui pari passionum sudore persecutiones ⁷⁾ seculi pro justitia pertulerunt; ⁸⁾ quos et amicos et fratres sibi Dominus adoptavit; [amicos ⁹⁾ ex fide, fratres ex consortio carnis, cohaeredes quoque regni ex adoptione filiorum]. Et quia multos Pseudo-Apostolos [et circumventores ¹⁰⁾] futuros sciebat spiritus Ecclesiae ¹¹⁾ certam definitionem catholicae traditionis, ¹²⁾ et pastum verborum suorum et mansionem evangelicae praedicationis per ¹³⁾ Christum plenius volebat addiscere, ne forte ignorans caperetur, quasi qui diceret, ne ignorans capiar et circumducatur et sequar haeticam actionem, ¹⁴⁾ et non magis sodales tuos veros Apostolos. Denique, *ne forte fiat*, inquit, *circumamicta*. ¹⁵⁾ Quid est: *ne forte fiat* ¹⁶⁾ *circumamicta*? id est: ne forte sub velamento nominis tui, quod amictum vocat, ¹⁷⁾ aut sub occasione evangelicae praedicationis, a seductoribus haeticis verborum subtilitate ¹⁸⁾ decipiar. Sicut Apostolus ait: *Videte* ¹⁹⁾ *ne quis vos depraedetur per philosophiam et inanem traditionem secundum elementa mundi et non secundum Christum*. Et ideo super greges sodalium tuorum, i. e. super apostolicas plebes aliquod superinduar ²⁰⁾ scandalum. Dixerat enim ipse Dominus: *qui* ²¹⁾ *unum ex istis minimis in me credentibus fuerit* ²²⁾ *scandalizatus, oportebat illi homini ligari lapidem molarem et mitti in profundo*. ²³⁾ Et ideo hoc veretur, ²⁴⁾ *ne fiat*, inquit, *circumamicta*, i. e. ne ²⁵⁾ per seductionem falsorum sacerdotum efficiar solida veritate cooperta, ²⁶⁾ et non magis

1) In solus *Port.* habet. — 2) *Rot.* ipse Apostolos suos alloquitur dicens etc. — 3) *Joh. 15, 15.* In *Vers. Ant.* Jam non dico vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus, vos autem dixi amicos. *Maj. Mon.* Jam non dico vobis servos sed amicos, quia etc. *Cypr.* (ep. 63 et de unit. eccl.) Jam non dico vos servos sed amicos. *Ambros.* (in Ps. 118): Jam non dicam vos servos sed amicos. — 4) *Port.* Jam non dico vos servos etc. — 5) *Joh. 15, 14.* In *Vers. Ant.* si feceritis quae ego praecipio vobis; at *Cantabrig.* quae ego mando, et *Cypr.* si feceritis quae mando vobis. — 6) *Port.* ea quae mando vobis; *Rot.* ea quae dico vobis. — 7) *Barc.* persecutionem. — 8) *Rot.* persecutiones seculi istius pro justitia sustulerunt. — 9) Locus uncinis inclusus deest in *Barc.* — 10) et circumventores deest in *Barc.* — 11) *Rot.* Christus in ecclesiam, *Port.* Ecclesiam certam definivit catholice traditionem. — 12) *Rot.* eruditionis. — 13) *Rot.* omittit per Christum. — 14) Discrepat *Rot.*, qui habet: Ideo inquit ne ignorans capiar et circumducatur ac sequar per separationem nominis tui haeticam actionem, et non magis sodales etc. *Barc.* factionem. — 15) *Rot.* ne forte fiat, inquit, circumamicta. — 16) *Rot.* fiat. — 17) *Rot.* vocatur. — 18) *Rot.* sublimitate. — 19) *Col. 2, 8.* In *Vers. Ant.* Videte ne quis sit qui vos sudeat per philosophiam et inanem seductionem secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi et non secundum Christum. — *Cyprian.* (ep. 52): Videte ne quis vos depraedetur per philosophiam et inanem fallaciam. *Ambros.* (de Abr. 1, 2, c. 8) Videte ne quis vos depraedetur per philosophiam et inanem seductionem. Pari modo Hieron. in Oseam. 12. — 20) *Rot.* aliquid non superinduat scandalum. *Port.* superinduas. — 21) *Mrc. 9, 41*; in *Vers. Ant.* Et quisquis scandalizaverit unum ex pusillis his credentibus in me, bonum illi magis si circumdaretur mola asinaria circa collum ejus et in mare mitteretur. — 22) *Barc.* fuisset. — 23) *Rot.* qui unum ex minimis istis in se credentibus fuerit scandalizatus, oportebat illi homini ligare lapidem molarem et mitti in pelagus. — 24) *Rot.* Et ideo hoc veretur ne fiat circumamicta. — 25) *Rot.* ne om. — 26) *Rot.* a solida veritate segregata.

et non magis nuda et manifesta ratione conspicua, aut a gregibus sodalium tuorum, i. e. ab apostolica plebe integritas et simplicitas mea¹⁾ sine aliquo circumventionis fuco pura et inviolata cernatur; non tamen circumamicta velamine falsitatis. Dixerat enim Dominus, venturos ad Ecclesiam suam quosdam in vestitu ovium, sed intrinsecus esse lupos rapaces. Et²⁾ beatus Apostolus Paulus praemonuerat quod post discessum suum venturi essent lupi rapaces, non parcentes gregi, qui devorarent plebes Christi [i. e. haeretici qui devorarent plebes Christi per doctrinam ob commissionem illicitam³⁾]. — Denique post haec verba quid ei Dominus comminetur audite:

*Nisi cognoveris te,*⁴⁾ inquit, *decora*⁵⁾ *inter mulieres, exi tu in vestigio gregum.* Quibus dictis hortatur eam ad custodiendam fidem, et⁶⁾ religiosam sollicitudinem adhibere debere: ⁷⁾ et intelligeret se solam sponsam virginem esse et incorruptam atque decoram sine macula et ruga, [et talem se praeberet⁸⁾] quales et Dominus voluit, et Apostolus definivit. Exies, inquit, tu in vestigiis gregum. Sed quae sunt istae mulieres, inter quas se solam virginem incorruptam et decoram cognoscere deberet Ecclesia perquiramus.⁹⁾ Mulieres itaque [has¹⁰⁾] haeticorum plebes praedictas esse nulla est dubitatio; quae adulterino doctrinae stupro¹¹⁾ corruptae, et perversae traditionis adulterio violatae, jam non virgines sed mulieres dici meruerunt. Nam et synagogae plebes mulieres¹²⁾ esse dicuntur, quia fornicatam eam esse¹³⁾ saepenumero post Deos alienos¹⁴⁾ sancta scriptura testatur. Proinde a Christo admonetur Ecclesia, ut inter has mulieres, i. e. [inter laves¹⁵⁾] haeticorum et Iudaeorum congregationes, quas mulieres appellat, nisi se virginem in doctrina, incorruptam in fide, speciosam in bonis operibus cognovisset, talem exitum habitura esset, qualem pertulit populus Iudaeorum. Quia qui naturalibus ramis non pepercit, nec vobis parcat, inquit Apostolus.¹⁶⁾ Cum enim subiunxit: *Exi tu in vestigiis gregum*, dicere videtur: et tu hunc exitum

1) *Port.* i. e. apostolicas plebes integritas et simplicitas mea me aliquo circumventionis fuco pura et etc. — 2) *Port.* Sed et beatus etc. — 3) Locus uncinis inclusus in solo *Rot.* — 4) *Cnt.* ent. 1, 7. In *Vers. Ant.*: Nisi cognoscas te, decora inter mulieres, exi tu in calcaneis gregum. *Hieron.* (ep. 18 ad Eustoch.): Si non cognoveris te ipsam, o pulchra inter mulieres, egredere tu in vestigiis gregum. Et *Augustin.* (ep. 93): Nisi cognoveris temetipsam, o pulchra inter mulieres, exi tu in vestigiis gregum. Alibi (de unit. eccl.) o decora legit pro o pulchra. — 5) *Rot.* Nisi cognoveris pulchram, inquit et decoram inter etc. — 6) *Barc.* ad pro et. *Rot.* emendat: et religiosae fidei sollicitudinem adhibendam. — 7) *Port.* et *Rot.* interponunt: Cum enim sancta et inviolata simplex columba ecclesia falsos ut iam dixi doctores et corruptores virginittatis suae graviter pertimesceret, qui sub velamine sacerdotum Dei, h. e. qui sub vestigio ovium lupi rapaces, ut praedixerat Dominus, venturi erant, et cetera definitione evangelicae veritatis requireret rationem, ubi pasceret, ubi maneret in meridiano i. e., ut dixi, in temperamento Dei et hominis, ne quis per verosimilia exempla aut Deum ab homine, aut hominem a Deo separaret, tunc respondit ei Dominus: nisi cognoveris te decoram inter mulieres i. e. nisi intelligas te solam virginem esse etc. — 8) Verba uncinis inclusa, quae in *Barc.* prorsus desunt, in solo *Port.* ita leguntur; *Rot.* sic habet: et talem te praebeas. — 9) *Port.* diligentius debemus advertere. — 10) *Barc. om.* has. — 11) Ita in *Rot.*; contra *Port.* quae adulterio doctrinae stupro, et *Barc.* quae doctrinae atque stupro etc. — 12) *Rot.* et ipsae esse. — 13) *Rot.* quas meretricatas. — 14) *Rot. om.* post Deos alienos. — 15) *Inter laves* in solo *Rot.* — 16) Differt *Port.*: qui naturalibus ramis non pepercit, ut apostolus dicit, nec vobis parcebit insertis, nisi eadem bonitate, qua subiungit.

habebis nisi te cognoveris speciosam.¹⁾ Audi Apostolum dicentem: nolo,²⁾ inquit, ignorare vos³⁾ fratres, quia⁴⁾ patres nostri in mare et in nube sunt baptizati, et omnes eundem cibum spiritalem manduca-verunt, et omnes eundem potum spiritalem biberunt; bibebant, inquit, de spiritali consequenti⁵⁾ petra, petra autem erat Christus.⁶⁾ Sed non bene in illis complacuit Domino; prostrati enim sunt in deserto. Haec in figura contigerunt illis,⁷⁾ scripta autem sunt ad nostram correptionem. Alii ab exterminatore Angelo occisi, alii a serpentibus devorati,⁸⁾ alii hiatu terrae vivi ad inferos descenderunt, et multa⁹⁾ alia quae passi sunt persequi¹⁰⁾ longum est. Et ideo Ecclesiae talium¹¹⁾ ingeruntur exempla, ne et nos similia facientes simili animadversione plectamur.¹²⁾

Denique¹³⁾ comminantis vox subsequitur dicens:

Pasce¹⁴⁾ hoedos tuos in tabernaculis pastorum. Hoedos peccatores homines intelligi oportet,¹⁵⁾ secundum evangelium, ubi Dominus ait: et statuit¹⁶⁾ agnos a dextris, hoedos autem a sinistris.¹⁷⁾ Hoedos, in-

1) *Rot.* et *Port.* legunt amplificantes: speciosam inter mulieres, quomodo secessit populus Israel quos prae multitudine sua greges appellat. Comminantis vox est: nisi te cognoveris; quorsum ista se habeat probat B. Apostolus, qui cum ad ecclesias scriberet, nolo, inquit etc. — 2) 1 Cor. 10. 1 ff. In *Vers. Ant.* Nolo enim vos ignorare, fratres, quod patres nostri omnes sub nube erant, et omnes per mare transierunt, et omnes in Moysen baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eandem escam spiritalem manduca-verunt, et omnes eundem potum spiritalem biberunt, biberant enim spiritali sequenti se petra, petra autem erat Christus etc. — 3) *Port.* vos ignorare fratres etc. — 4) *Port.* quod. — 5) *Port.* consequenti eos petra. — 6) *Rot.* Sed non bene inquit illis opinatus est Dominus, alii enim prostrati sunt, alii ab exterminatore angelo etc. vid. infr. In *Vers. Ant.* (1 Cor. 10, 10 sqq.) locus est hic: Sed non omnibus illis voluntas fuit Dei, postrati enim sunt in deserto. Haec autem in figuram nostri facta sunt ut non etc. *Augustin.* (in Psalm 77.): sed non in omnibus illis beneplacitum est Deo, prostrati enim sint in deserto. In Graecis: ἀλλ' οὐκ ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν ἐδόξε τὸν θεόν κατεστρώθηναι γὰρ ἐν τῇ ἐρήμῳ etc. — 7) Verba haec in figura contigerunt illis *Port.* non habet. — 8) *Port.* defurati. — 9) Verba et multa alia etc. usque ad longum est in *Rot.* desunt. — 10) *Port.* prosequi. — 11) *Port.* talia. — 12) *Port.* legit *damnemur* pro *plectamur*, et addit verba: qui Ecclesia nuncupamur. *Rot.* magis etiam differt: animadversione consimili damnemur, qui Ecclesia nuncupamur. — 13) *Port.* et *Rot.* Denique adhuc quasi comminantis etc. — 14) *Cnt.* cnt. 1, 7. secundum *Vers. Ant.* — 15) *Rot.* intelligi oportere probat Dominus in evangelio ubi dicit: statuum justos ut oves ad dexteram, peccatores ut hoedos ad sinistram. — 16) *Matth.* 25, 33. In *Vers. Ant.* et statuet oves a dextris suis, hoedos autem a sinistris; at in *Ms. Claremont*: statuit pro statuet. *Vigil: Taps.* (c. Varimund.) statuet agnos ad dextram suam, hoedos autem ad sinistram. Et *Avitus Vienn.* (ep. 2.) et statuet justos quasi agnos a dextris, impios autem sicut haedos ad laevum. In Graecis: Καὶ στηθεὶ τὰ μὲν πρόβατα ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ, τὰ δὲ ἑρίκια ἐξ ἐναντίων. — 17) *Rot.* et *Port.* hic pergunt: Et ideo [*Port.* omittit ideo] proinde nisi cognovisset se ecclesia inter mulieres speciosam in fide [*Port.* speciosa in qua fide] et sanctitate et bonis operibus inter mulieres haereticorum, et nisi inter Israeliticas plebes [*Port.* et Israelis plebes] pasceret hoedos suos i. e. peccatores suos, quae agnos vel oves pasceret, [*Port.* pascere deberet, si se] nisi se speciosam cognosceret: sicut Petro dictum est, super quem fundamentum est ecclesiae: *Pasce oves meas*; ac per hoc ecclesia, quamdiu catholicam integritatem tenet, non hoedos sed oves pascit [*Port.* pascet]. At ubi non cognoscit [*Port.* cognosceret] speciem et decorem fidei suae et per transgressionem corrumpitur, statim audit: *pasce hoedos tuos*. Hoedos tuos inquit pasce i. e. peccatores tuos quae agnos vel oves meas pascere noluisti. [*Rot.* pasce hoedos tuos i. e. peccatores, sicut Moysi etc.]. Sicut Moysi dictum est: *peccavit populus tuus*. Jam enim [*Rot. om.* Jam enim] Dei esse peccando [peccando *om.* in *Rot.*] desiderat, ex quo a Dei fide recesserat. Sed in *tabernaculis* inquit *pastorum*. Pastores apostolos dicit, tabernacula vero pastorum congregationes sunt ecclesiarum, ubi plebes apostolicae conveniebant. Et proinde quamquam taber-

quit, tuos pasce, i. e. peccatores tuos, quae agnos vel oves meas pascere noluisti. Sicut Moysi dictum est: *peccavit populus tuus*; ¹⁾ jam enim Dei esse peccando desierat.

Denique retro ²⁾ gesta ejus recensuit ³⁾ Spiritus Sanctus, ut vel sic fidem Christi custodiat, cum quid ei praestiterit recognoscit. Subjungit enim dicens: *Aequae*, ⁴⁾ inquit, *meae* ⁵⁾ in curribus Pharaonis. Fuerunt enim aliquando aequae Domini i. e. plebes gentium in curribus Pharaonis i. e. in diaboli potestate, cum necdum [Christum ⁶⁾] credidissent; et ideo praemonet, ne iterum pro ⁷⁾ contemptu fidei sub jugo ipsius revertantur. [Aequas enim, ⁸⁾ ut dixi jam, plebes gentium requirebat; quas licet suas esse Dominus ante praesciret, ante adventum tamen ⁹⁾ suum sub jugo Pharaonis i. e. diaboli curribus tenebantur.] Pharaonem autem diabolum figurari ¹⁰⁾ nulla est dubitatio, quia sicut Pharaon in Aegypto, sic diabolus in saeculo tyrannidem gerit. ¹¹⁾ Et sicut Pharaon persequabatur filios Israel, sic diabolus in hoc mundo persequitur sanctos. Ac proinde cum aequas in curribus Pharaonis diceret, plebes gentium ante adventum Christi sub jugo et potestate diaboli subditas fuisse dicebat, et quod ipso impellente praecipiter ¹²⁾ urgerentur. [Denique ¹³⁾ Apostolus ait: fuimus et nos aliquando filii irae, quando ¹⁴⁾ sub iugo Pharaonis i. e. quando vasa diaboli eramus. Quando vasa diaboli nisi quando equae ad libidines hinientes et luxuriantes in omni vanitate aurigae diaboli vitiorum curribus vaccabant, ¹⁵⁾ sicut Jeremias ait: *Equi*, ¹⁶⁾ inquit, *libidinantes ad uxores proximi sui hinniebant*. Sed jam Christi gratia liberati de jugo tyrannicae ¹⁷⁾ servitutis, et filii Dei per fidem effecti, atque coelesti gloriae destinati puro corde et sincera devotione in omni sanctitate et justitia hanc eandem fidem teneamus, ¹⁸⁾ per quam vivimus et salvamur; quia *fides*, ¹⁹⁾ inquit, *tua te salvum fecit*. Semper haec ²⁰⁾ incorrupta et inviolata devotione custodire debemus, quia per Christum Dei filium diabolicae luxuriae curribus liberati sumus, et ²¹⁾ jugo gravissimae servitutis exuti, ne rursus interveniente perfidia ad eadem quae evasimus revolvamur, dicente Domino: *ecce* ²²⁾ *jam sanus factus es, noli peccare, ne quid tibi deterius veniat*.]

nacla pastorum i. e. fabricas ecclesiarum apostolicas teneas, tamen non oves Christi, sed hoedos tuos pascis, nisi virginem te et speciosam esse cognoveris. [Port. si virginem etc. esse ne cognoveris]. Denique etc.

1) Exod. 32, 7. In *Vers. Ant.* praevaricatus est enim populus tuus; in *Vulg.* peccavit populus tuus. — 2) *Rot.* Petro pro retro legit. — 3) *Barc.* recens; *Port.* recensit. — 4) *Cnt. ent.* 1, 8. consentit cum *Vers. Ant.* — 5) *Barc.* et *Rot.* hac pro meae legunt. — 6) Christum *Port.* tantum habet. — 7) *Port.* per contemptum. — 8) Locus uncinis inclusus (Aequas — tenebantur) in *Barc.* deest. — 9) *Port.* autem ante adventum suum. — 10) *Rot.* et *Port.* esse. — 11) *Rot.* et *Port.* excercet. — 12) *Barc.* praecipite surgerentur. — 13) Locus uncinis inclusus deest in *Barc.* — 14) *Port.* fuimus et nos aliquando et eramus filii irae nisi quando. — 15) *Port.* vaccabamus. — 16) Jerem. 5, 8. *Vers. Ant.* Equi furentes circa feminas facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat. — 17) *Rot.* tyranniae. — 18) *Port.* hanc eandem fidem tenemus per. — 19) Matth. 9, 22. consentit cum *Vers. Ant.*, *Vulg.* aliis. — 20) *Port. om.* — 21) *Port.* et a jugo gravissimo servitutis. — 22) Joan. 5, 14. *Vers. Ant.* consentit cum *Vulg.* Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Ambrosiast.* ne quid tibi deterius contingat. *Hieron.* in Jes. 1: ne quid tibi deterius fiat; et c. Lucif. contingat. Similiter *Augustin* (in Joh.) Ecce jam sanus factus es, noli peccare ne quid tibi deterius contingat.

Et addidit: ¹⁾

Quam speciosae ²⁾ *genae tuae sicut turturis*. Vox haec Christi est ad Ecclesiam, cujus non carnalem pulchritudinem laudat, sed per similitudinem turturis spiritualis Ecclesiae membra designat. ³⁾ *Genae*, inquit, *tuae ut turturis*. Genae sunt in facie nostra malarum primae partes, quae subjectae sunt oculis, in quibus maxime humani vultus decor elucet; ⁴⁾ quae ideo genae appellantur, quia in utero matris infantum genua oculis conjuncta haberi perhibentur. Unde ⁵⁾ et cava sunt loca oculorum de impressione genuum. Ac proinde ⁶⁾ istae duae genae oculorum luminibus cum suo decore subjectae ⁷⁾ duo sunt genera sancta ⁸⁾ in capite Ecclesiastici corporis constituta, Patriarcharum scilicet et Apostolorum, qui duobus luminibus ⁹⁾ i. e. duobus testamentis vel conjuncti vel proximi dinoscuntur. Legis autem praecepta in Ecclesiasticis corporibus ¹⁰⁾ deputari probat David cum dicit: *Praeceptum* ¹¹⁾ *Domini lucidum inluminans oculos*. Et iterum: *Lucerna* ¹²⁾ *pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis*. Genua ergo impressa oculis hoc significant, quod in utero matris ecclesiae tam ¹³⁾ priores Patriarchae, quos *genas* appellat, quam posteriores Apostoli, qui pedes Domini nuncupantur, in uno corpore conjuncti et posteriores prioribus adaequati ¹⁴⁾ unius honoris et dignitatis gloriae habentur. Denique Dominus in evangelio Patriarchas priores posterioribus Apostolis coequans ait: *alii* ¹⁵⁾ *seminaverunt* ¹⁶⁾ *et vos in labores eorum introistis*, ¹⁷⁾ quia et qui seminat et qui metet unam mercedem habebunt. ¹⁸⁾ Denique et in Apocalypsi viginti et quattuor seniores i. e. duodecim Apostoli duodecim ¹⁹⁾ Patriarchae pariter coronati, et similia tribunalia habentes Beato Johanni demonstrata sunt. [Et ideo ²⁰⁾ genua oculis conjuncta posteriores apostolos patriarchis prioribus socios et participes ostendebat.] Verum quod turturis genus Ecclesiae comparavit, de qualitate avis congrua ²¹⁾ similitudine evidenter expressit. Haec enim avis hieme absconsa est, verno ²²⁾ procedit variis et discoloribus plumis pennisque vestita: sic ²³⁾ Ecclesia absconditur quidem in persecutione hiemis et injuria ²⁴⁾ tempestatis, quia fides multorum et caritas refrigescit: sed post hanc ²⁵⁾ persecutionem veluti ²⁶⁾ post tempestatem quasi ²⁷⁾ verni temporis Domini ²⁸⁾ scilicet adventu diversarum gentium et nationum populis velut plumis ²⁹⁾ pennisque vestita variis ³⁰⁾ monstratur Ecclesia. ³¹⁾

1) Rot. et Port. adject. — 2) Cnt. cnt. 1, 9. In Vers. Ant.: Quam speciosae factae sunt genae tuae! sicut turturis. — 3) Rot. spiritualia ejus membra designat. Port. om. spiritualis ecclesiae membra. — 4) Barc. et Rot. decore lincet. — 5) Rot. Hinc pro Unde. — 6) Port. perinde. — 7) Rot. Ac proinde duo ista oculorum lumina decori subjecta duo sunt etc. Port. om. subjectae. — 8) Port. et Rot. sanctorum. — 9) Port. luminibus. — 10) Barc. et Port. in ecclesiastici corporis, et Barc. quidem post deputari lacunam habet, quasi omittat aut desideret vocabulum. — 11) Psalm 18, 9 ex Vers. Ant. — 12) Psalm 118, 105 ex Vers. Ant., quae cum Vulg. consentit. — 13) Rot. tam tempore priores. — 14) Port. ad aequum. — 15) Joh. 4, 38. Vers. Ant. Alii laboraverunt et vos in labores eorum introistis. Eodem modo Vulg. all. — 16) Rot. laboraverunt. — 17) Rot. et Port. addunt: Sed in hoc sermo verus est, quia etc. — 18) Rot. habet, Port. habent. — 19) Port. et duodecim Patriarchae. — 20) Uncinis inclusa desunt in Barc. — 21) Port. congruam similitudinem. — 22) Rot. sed vero tempore. — 23) Port. Sic et Ecclesia. — 24) Barc. et injuriam tempestatis, qua fides etc. — 25) Rot. et Port.: sed post hanc ut dixi persecutionem. — 26) Rot. et pro veluti post. — 27) Port. quasi jam verni etc. — 28) Port. Dominici. — 29) Barc. plurimis pro plumis. — 30) Port. om. variis. — 31) Rot. om. Ecclesia.

[Variae¹⁾ etenim plumae turturis varietatem carismatum bonorum meritorum populorum quoque in Christo credentium perspicue manifestant. Et haec est varietas plumarum²⁾ quoque in similitudinem turturis hoc in loco.] Unde³⁾ et in psalmis ad eandem Ecclesiam dicebat sponsus: *adsistit⁴⁾ regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumamicta varietate.*

Et addidit:⁵⁾

Cervix⁶⁾ inquit tua sicut redimiculum ornamenti, similitudinem⁷⁾ auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti. Quae est haec cervix? Quae redimicula? Nisi quia cum cervicem nominat Evangelicam disciplinam jugo Christi subditam laudat? De quo jugo Dominus dicebat: *venite⁸⁾ ad me omnes qui⁹⁾ onerati estis et ego vos reficiam; tollite jugum meum super vos, jugum enim meum leve¹⁰⁾ est.* Et ideo cervix Ecclesiae evangelicae disciplinae subjecta, sanctorum gemmis ornata laudatur, in quo¹¹⁾ synagogae cervix dura et superba¹²⁾ monstratur. [*Populus¹³⁾ enim inquit¹⁴⁾ dura cervice est;* sed nunc ecclesiae cervix humilis et submissa et coelestis disciplinae ut dixi jugo subdita, martyrii et virginitatis atque omnium bonorum ornamentis est decorata. Nam et sicut¹⁵⁾ a cervice descendunt nervi, qui totum corpus complectuntur et continent, sic a capite ecclesiae, quod est Christus, per humilem evangelicae disciplinae cervicem descendunt nervi caritatis et fidei, qui omnes credentes¹⁶⁾ in uno corpore complectuntur [se¹⁷⁾] et continent religionis vinculo ligati.¹⁸⁾] Quod vero¹⁹⁾ adjecit: *Similitudinem auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti,* aurum cum dicit Sancti Spiritus fulgorem ostendit. Denique et Magi aurum Domino obtulerunt, ut majestatem ejus regiam indicarent. Argentum vero virgineae carnis splendidam sanctitatem²⁰⁾ ostendit. Spiritus²¹⁾ ergo Sanctus cum pura et integra carne conjunctus similitudinem auri facit²²⁾ cum distinctionibus argenti. Et quia omnes nos membra corporis [Christi²³⁾] esse quod est Ecclesia, Apostolo auctore, didicimus, proinde²⁴⁾ Martyres auro sunt comparati, sicut scriptum est: *tanquam²⁵⁾ aurum in fornace probabit illos; argento virgines,*

1) *Barc.* uncinis inclusa non habet. — 2) *Rot.* plurimarum. — 3) *Rot.* Vnde et per psalmistam pro eadem Ecclesia dicit sponsus; *Port.* Unde et in psalmis pro eadem Ecclesia dicebat spiritus. — 4) Psalm 44, 10 secundum *Vers. Ant.* — 5) *Port.* Et adjecit. — 6) *Cnt. cnt.* 1, 9. *Vers. Ant.*: cervix tua sicut redimiculum ornamenti; contra *Hieron.* (in *Jes.* 52): collum tuum sicut monilia. In Graecis: *τράχηλός σου ὡς ὀσμύζον.* — 7) *Cnt. cnt.* 1, 10. *Vers. Ant.* Similitudines auri faciemus tibi ex distinctionibus argenti. In Graecis: *μετὰ συγμάτων.* Prorsus cum versione, quam auctor secutus est *Hieron.* c. Jovin. 1, *Augustin* de trin. alii consentiunt. Contra *Ms. S. Theoder.* ex distinctionibus. Totus vero locus deest in *Rot.* — 8) *Mth.* 11, 28. *Vers. Ant.* et *Vulg.* suave pro leve. Contra *novat. cathol. hom. ad frat.* Tollite jugum meum, quia leve est. *Augustin* ep. 26: Jugum enim meum leve est. — 9) *Rot.* qui laboratis et onerati estis; eodem modo *Port.* legit nisi quod qui omittit. — 10) *Rot.* suave est; *Port.* suave est, et onus meum leve. — 11) *Rot.* et *Port.* quia pro in quo. — 12) *Rot.* et *Port.* saepenumero demonstratur. — 13) Uncinis inclusa desunt in *Barc.* — 14) *Exod.* 34, 9. *Vulg.*: populus enim durae cervicis est. *Vers. Ant.*: populus hic dura cervice est. In Graecis *γάρ.* — 15) *Port.* Nam sicuti a. — 16) *Rot.* sedentes. — 17) se in solo *Rot.* habetur. — 18) *Port.* conligati. — 19) *Rot.* om. vero. — 20) *Barc.* sanctum. — 21) *Barc.* et *Rot.* ostendit spiritum. Ergo sanctus. — 22) *Barc.* similitudinem accepit set. — 23) *Barc.* om. Christi. — 24) *Port.* proinde et. — 25) *Sap.* 3, 6 ex *Vers. Ant.* quacum consentit aliis discrepantibus, exempli gratia, *Cyprian.*: quasi holocausta hostiae; in Graecis: *ὡς ὀλοκαύτωμα θυσίας.*

confessores¹⁾ lapidibus pretiosis, qui, Ecclesiastici corporis cervicē²⁾ Evangelicae³⁾ disciplinae iugo subjecta,⁴⁾ virtutum suarum mentes⁵⁾ pulchro decore adornant.⁶⁾ [ac per⁷⁾ hoc dicit: *cervix tua sicut redimiculum ornamenti, similitudinem auri faciemus tibi cum distinctionibus tuis.*⁸⁾ Spirituales homines in ecclesia ornamento⁹⁾ futuros esse perspicue indicat,¹⁰⁾ cum ait] *Quousque*¹¹⁾ inquit *rex sedeat in declinatorium suum.*¹²⁾ Quid¹³⁾ est haec declinatio regis? Regem Christum dici¹⁴⁾ nulla est dubitatio. Hic ergo rex regum non habuit in synagoga, ubi caput suum declinaret,¹⁵⁾ sicut ipse in Evangelio testatur dicens: *vulpes*¹⁶⁾ *cubiles habent, et volucres*¹⁷⁾ *coeli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Non hoc de domibus aut de civitatibus manufactis dicebat, sed de vasis hominum loquebatur, de quibus et Apostolus ait: in interiorē hominem habitare Christum, eo quod omnium sensus ita obstruxerat et obsiderat diabolus, ut nemo tunc dignus haberetur, in quo rex Christus caput suum declinaret.¹⁸⁾ Vasa enim diaboli adhuc omnes homines ante adventum Domini erant; quia nondum religatus fuerat¹⁹⁾ fortis a domino fortiore, et necdum vasa ipsius dirupta,²⁰⁾ [necdum²¹⁾ aqua baptismatis lota, necdum templum Dei Sancti Spiritus dedicatione effecta. Unde²²⁾ in Evangelio dicit: *quotquot*²³⁾ *ante me fuerunt, fures fuerunt et latrones.* Antequam enim in hunc²⁴⁾ mundum Christus adveniret, nox ignorantiae et tenebrae erroris erant: antequam Jesus²⁵⁾ Christus vita veniret, in nobis mors omnibus dominabatur; antequam fides veniret, infidelitas grassabatur; antequam templum Dei efficeremur, diversorium daemonum eramus. Hi sunt fures et latrones: ignorantia,²⁶⁾ perfidia, immunditia, spurcitia, avaritia, fraus, libido et omnis diabolica operatio, quae in omnibus permanebant,²⁷⁾ antequam filius²⁸⁾ Dei caro fieret et habitaret in nobis. Et inde hoc in loco ait: *Quousque rex in declinatione sua?* Hoc est dicere quia:] in synagoga autem²⁹⁾ non habuit ubi Dominus declinaret,³⁰⁾ donec veniret

1) Rot. et Port. confessores et iusti. — 2) Rot. et Port. cervicem. — 3) Port. Evangelicae ut saepe dictum est disciplinae. — 4) Rot. subjectantes. — 5) Rot. om. mentes. — 6) Port. exornant. — 7) Barc. om. uncinis inclusa. — 8) Port. cum distinctione argenti. — 9) Port. ornatos. — 10) Port. indicabant pro indicat cum ait. — 11) Rot. et Port. Quousque rex inquit sedeat etc. Locus, Cnt. cnt. 1, 11, est in Vers. Ant. Quoadusque rex est in declinatione sua; Hieron. (c. Jovin. 1) in acenbitu suo; Augustin (de trin. 1) in recubitu suo; in Graecis: ἐν ἀνακλίσει αὐτοῦ. — 12) Rot. in declinatione sua. — 13) Port. Quae est haec declinatio regis? Rot. Quid est in declinatione? Barc. Quid est haec declinatorio regis? — 14) Port. dicimus sine ulla dubitatione. — 15) Port. et Rot. reclinaret. — 16) Mith. 8, 20. Vulg., Vers. Ant. alii foveas pro cubiles; ceterum consentit Vulg.; Vers. Ant. post nidos interponitur ubi requiescant. — 17) Rot. volatilia. — 18) Port. reclinet. Magis recedit Rot.: in quo Christus caput suum declinans ingrederetur. — 19) Port. fuerat ipso vir fortis a etc. — 20) Port. direpta; in Rot. contra verbum prorsus deest ibique scriptum: vasa ipsius erant aqua baptismatis lota necdum etc. — 21) Uncinis inclusa desunt in Barc. — 22) Port. Unde et Dominus in Evangelio. — 23) Port. quot. Sermo est de Joh. 10, 8, ubi Vers. Ant. omnes quotquot venerunt fures sunt et latrones. Hieron. (in Os. 7) omnes qui venerunt ante me, fures fuerunt et latrones. Auct.: quaest. in Nov. Test. (part. 29. 34.) Qui ante me fuerunt fures sunt et latrones. Conferendus est Augustin c. Advers. 2, qui ibi scripsit: Omnes alii quotquot ante me venerunt fures sunt et latrones. Statim post haec verba addit: Non autem ita scriptum est, sed ita: omnes quotquot venerunt fures sunt et latrones. — 24) Port. in homine pro in hunc mundum. — 25) Port. om. Jesus. — 26) Port. Dei inter ignorantia et perfidia ponit. — 27) Port. permanebat. — 28) Rot. om. filius. — 29) Rot. et Port. om. autem. — 30) Port. reclinaret.

Ecclesia, in qua rex noster veniens declinaret,¹⁾ pro qua et humiliavit se obediens factus usque ad mortem, mortem autem crucis. [Qua declinatione ingredi in ea et habitare possit, sicut scriptum est: *inhabitabo*²⁾ et *perambulo in eis*, dicit Dominus. Et Apostolus: *templum*³⁾ Dei vos estis et spiritus Dei in vobis habitat.⁴⁾ Ipsi Deo patri omnipotenti gratias agentes per Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.]

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

*Nardum*⁵⁾ inquit *meum edidit*⁶⁾ *odorem suum*. *Nardum*⁷⁾ est oleum [ligno⁸⁾ permixtum], quod et curationi corporis prodest et boni odoris flagrantia⁹⁾ dedit crucis virtutem perfectam. Unde et bonum odorem notitiae suae Dominus credentibus praestat, sicut Apostolus ait: *boni*¹⁰⁾ *odoris Christi sumus*. Et ideo nardum meum i. e. crismatis donum passionum crucis confectum dedit nobis odorem suum.

Et addidit:

*Ligamentum*¹¹⁾ *guttae frater meus mihi*. Gutta callida vis est, quae cum adhaeserit corpori, nullo modo evellitur.¹²⁾ Hoc ergo ait Ecclesia: Christus mihi sic adhaesit¹³⁾ ut nunquam a me evelli aut separari possit; sicut Apostolus ait: *quis nos separabit a caritate Christi*.¹⁴⁾ Ergo calor spiritus in guttae comparatione demonstratur.

Et addidit:

*Frater*¹⁵⁾ *meus mihi inter media ubera mea requiescit*. Ubra Ecclesiae evangeliorum sacri fontes habentur, in quibus Christus requiescit; exinde enim sanctis emulgentur¹⁶⁾ alimenta doctrinae.

Et addidit:

Botrus,¹⁷⁾ inquit, *Cipri frater meus in vinea, quae in Gaddin*.¹⁸⁾ Hoc Ecclesia de Christo loquitur; sed videamus, quomodo botrus Cipri Christus dici potest! Ciprum enim Judaea est;¹⁹⁾ Gaddi autem trans

1) *Port.* ingrederetur pro veniens declinaret. — 2) 2 Cor. 7, 16 ubi *Vers. Ant.* Dicit enim Deus quoniam inhabitabo in illis et inter vos ambulabo. *Hilarius* (in Psalm 118): Et inhabitabo et inambulabo in eis. Ceterum ipse *Rot.*: habitabo et perambulabo in eis etc. — 3) 1 Cor. 3, 16. *Vers. Ant.* Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis. — 4) *Port.* inhabitat. — 5) *Cnt.* cnt. 1, 11, at, ubi alias verba nobis occurrunt, nardus mea pro Nentro legitur. Ceterum *Port.*: Nardus inquit meus etc. — 6) *Port.* edidit. — 7) *Port.* Nardus. — 8) Verba ligno permixtum inveniantur tantum in *Rot.* — 9) *Port.* boni odoris flagrantiam dedit crucis virtute perfecta. *Rot.*: flagrantiam praestat. Nardum enim crismatis gratiam dicit crucis virtute perfectam, unde etc. — 10) *Port.* et *Rot.* bonus odor; eodem modo *Vers. Ant.* hoc loco (2 Cor. 2, 15), a quo *Irenaeus*, *Hilarius* alii recedunt. — 11) *Cnt.* cnt. 1, 12. Ipse *Port.* Alligamentum guttae etc. *Vers. Ant.* Colligatio guttae consobrinus meus; at *Ms. S. Theodor.* et *Ambros.* diversis locis: frater meus mihi pro consobrinus meus. *Vulg.*: Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi. In Graecis: *Ἀπόδεσμος τῆς στακτῆς ἀδελφιδός μου ἐγώ*. Ligamentum apud neminem inveni. — 12) *Port.* evellitur. — 13) *Port.* adhaeserit. — 14) Rom. 8, 35 ex *Vers. Ant.*, quum *Tertull.* cum aliis dilectione pro caritate legat. — 15) *Cnt.* cnt. 1, 12. *Vers. Ant.* praemittit verba botro Cypri, quae in Graecis in *MSS. Theodor.* et multis locis apud *Ambros.* desunt. — 16) *Rot.* emulgentur; *Port.* sanctis se mulguntur. — 17) *Cnt.* cnt. 1, 13. *Vers. Ant.* Nardus Cypri consobrinus meus in vineis Engaddi. Alii legunt fraternus, fratruelis, ἀδελφιδός, multi: botrus Cypri, graece *βότρυς τῆς Κύπρου*. — 18) *Rot.* in vinea Engaddi; *Port.* in vineis Engaddin. — 19) *Port.* erat.

Jordanem, quae terra gentium dicitur. Sic enim Matthaeus Evangelista testimonium Prophetiae posuit dicens: *terra Zabulon*¹⁾ *et terra Neptalim via maris trans Jordanem*²⁾ *gentium populus qui sedebat in umbra mortis, lux orta est eis.* Exinde enim³⁾ coepit praedicare regnum Dei. Hoc ergo intelligendum est, quod⁴⁾ Christus, qui botrus est appellatus, eo quod multa in se credentium grana⁵⁾ contineat, quique venerabili cruce⁶⁾ ligno compressus sanguinem suum vindemia passionis effusus non solum Judaeis, sed [et⁷⁾] gentibus cunctisque nationibus in se credentibus propinaturus erat, sicut Apostolus ait: *An numquid*⁸⁾ *Judaeorum tantum Deus?*⁹⁾ *nonne et gentium, immo et gentium?* Proinde cum hunc botrum Cipri et Gaddi nominaret, hoc indicabat, ut non tantum Judaeis sed et¹⁰⁾ gentibus in Christo salus esset futura. Denique caro ipsius non solum ex Judaeis sed ex gentibus per partem virgine permixta¹¹⁾ descendit. Unde agnus in typum¹²⁾ Christi, qui in Pascha immolandus erat ab ovibus et hoedis requiri jubetur, cum utique discordet horum animalium in conjunctione communis foetus. Booz enim¹³⁾ Israelitam et Moabitam i. e. Booz gentilem habuit uxorem originem¹⁴⁾ peccatorum unde natus est Jesse, qui fuit pater David, unde secundum carnem natus est Christus, de quo Apostolus et ad Romanos et ad Timotheum scribit, ut meminissent natum Christum ex semine David. Johannes quoque Apostolus¹⁵⁾ audit per angeli vocem: *Ecce*¹⁶⁾ *venit leo de tribu Juda, radix David.* Et ideo non solum ex Judaeis, sed ex gentibus secundum carnem Christus advenit, ut ex quacunque gente in Christo credidissent, jam arram salutis suae in Christi carne haberent. Ac per hoc botrus Cipri i. e. ex Judaeis et ex vineis, quae in Gaddin,¹⁷⁾ hoc est¹⁸⁾ populo gentium fratrem suum i. e. Christum dicebat Ecclesia, quae corpus est Christi. Hic est botrus quem in palanga¹⁹⁾ speculatores a Mose missi de terra repromissionis adtulerunt. Terra enim repromissionis corpus erat Mariae Virginis: botrum in palanga²⁰⁾ corpus Domini inter duos populos palanga crucis allatus,²¹⁾ ut qui prior ibat Judaeorum typum ostenderet, qui post se Christum relicturi erant; qui vero posterior veniebat Christianorum populum indicabat, qui praecedente Christo²²⁾ tanquam Magistrum discipulus et servus Dominum secuturus erat.

1) Matth. 4, 15. 16. In *Vers. Ant.*: trans Jordanem Galilaeae gentium populi qui sedebant in tenebris lucem viderunt magnam, qui sedebant in umbra etc. Singularis numerus (i. e. populus qui sedebat) legitur in Ms. S. Germ. 1, Cantabr. lat. alibi. — 2) *Rot.* et *Port.* Jordanem Galilaeae gentium etc. — 3) *Rot.* Exinde ergo coepit; *Port.* Exinde enim Jesus coepit. — 4) *Port.* quod Christus botrus appellatur, eo quod etc. — 5) *Barc.* et *Port.* legunt regna pro grana. — 6) *Rot. om.* — 7) et deest in *Barc.* — 8) Rom. 3, 29., ubi *Vulg.* et *Vers. Ant.* inter se non discrepantes legunt: An Judaeorum Deus tantum, nonne. — 9) *Rot.* Deus tantum. — 10) et deest in *Port.* — 11) *Port.* per patres origine permixta; *Rot.* per patrum originem permixta. — 12) *Rot.* typo. — 13) *Barc.* hoc loco mutilatus est; leguntur tantum verba: Booz enim et Moabitaram i. e. Booz gentilem. *Port.* legit: Booz enim Israelitam et Moabitaram i. e. Booz gentilem. *Rot.* Booth enim Hisraelitarum et Ruth Moabitidem i. e. gentilem. — 14) *Rot.* de origine. — 15) *Rot.* Evangelista. — 16) Apoc. 5, 5. Congruit cum *Vulg.* et *Vers. Ant.* — 17) *Rot.* et *Port.* ex vineis Engaddin. — 18) *Rot.* de populo. — 19) *Rot.* falanga, *Port.* palanca. — 20) *Rot.* botrus in falanga. — 21) *Rot.* falanga ad latus ut. — 22) *Rot.* et *Port.* praecedentem Christum.

Et addidit:

Vide ¹⁾ si speciosa soror mea, vide si decora. Hoc Christus pro ²⁾ Ecclesia dicit. De specie autem et decore ³⁾, jam supra tractavimus. Oculi ⁴⁾ tui ut columbae. Oculos columbae cum nominat lumina spiritualis gratiae manifestat, ⁵⁾ quibus et praeterita et praesentia et futura videmus. Columbam autem Ecclesiam non solum propter simplicitatem et innocentiam nominat, eo quod nulla sit malitiae felle perfusa, sed et quod columba apud Graecos *peristera* dicitur, cujus nominis litterae per ⁶⁾ computum Graecum in summa redactum ⁷⁾ unum et octingentos efficiunt. Unum autem et DCCC ⁸⁾ α et ω graece signatur, ⁹⁾ unde et ipse Dominus, cujus est caro Ecclesia: ego sum, ¹⁰⁾ inquit, α et ω, ¹¹⁾ quo numero nomen columbae signatur. Unde et spiritus sicut columba idem a Domino per Christum in Jordanem indicat trinitatem Patris et Filii et Spiritus Sancti; vox in Patre, Filius in Christo, Spiritus Sanctus in columba.

Et addidit:

Vide si ¹²⁾ bonus frater meus et quidem speciosus. Duo sunt ista quae requireret in Christo bonitate ¹³⁾ qua Deus est, quia nemo, ¹⁴⁾ inquit, bonus nisi unus Deus. Ideo hunc ut Deum esse ostenderet bonum esse dicebat. Speciosum autem et David similiter dicit: ¹⁵⁾ speciosus forma prae filiis hominum. Speciosus utique in resurrectione est visus, quia jam fuerat in caritate paterna ¹⁶⁾ reversus. Quia ante passionem homo in plaga et sciens ferre imbecillitatem est dictus: vidimus eum, ¹⁷⁾ inquit Esaias, et non habebat speciem suam neque decorem, quia, ut Apostolus ait, ¹⁸⁾ formam servi induerat, semetipsum exinanivit, et humiliavit se usque ad mortem, mortem autem crucis. Ideo tunc non habebat speciem suam neque decorem, sed cum post resurrectionem clarificatus est, eo honore qua ¹⁹⁾ specie ascendit in coelis. Et ideo ait: vide si bonus frater meus, et quidem speciosus, ut humanitatem et deitatem ²⁰⁾ ipsius declararet.

[Et addidit:] ²¹⁾

Cubilem ²²⁾ nostrum umbrosum, ²³⁾ asseres nostri cedrini, praeseptia

1) Cnt. cnt. 1, 14. In *Vers. Ant.*: Ecce es bona proxima mea, ecce es bona. In Graecis: Ἰδοὺ εἰ χἀλή. — 2) *Port.* de pro pro. — 3) *Rot.* Dei speciem autem et decorem. — 4) Cnt. cnt. 1, 14. verba desunt in *Vers. Ant.*, leguntur autem in *Ms. S. Theoder.* oculi tui columbae, et in Graecis ὀφθαλμοὶ σου περιστέρα. — 5) *Port.* designat. — 6) *Port.* per compositum graecum. — 7) *Rot.* in summam reductae. Ceterum computandi ratio non satis recta videtur, nam: π = LXXXX, ε = V, ρ = C, ι = X, σ = CC, τ = CCC, ε = V, ρ = C, α = I: ergo περιστέρα = DCCCXI, neque DCCCI, quem numerum α et ω sane designant. — 8) *Barc.* Unum autem et Alfa et... Graece signatur. *Port.* prorsus similiter: Unum autem et α et ω graece signatur. — 9) *Rot.* signant. — 10) *Apoc.* 1, 8. — 11) In *Barc.* lacuna est, quare α et ω desunt. — 12) Cnt. cnt. 1, 15. In *Vers. Ant.* — 13) *Rot.* bonitatem, quia Deus. — 14) *Marc.* 10, 18. *Vers. Ant.* solus pro unus. — 15) *Psalm* 44, 3. — 16) *Port.* in claritate paterna reversus. Magis dissentit: *Rot.* in claritatem paternam revisus, qui ante passionem in plaga hominis nesciens ferre imbecillitatem homo est dictus. — 17) *Jes.* 53, 2. Nusquam alibi speciem suam legi; *Vers. Ant.*: Vidimus eum et non habebat speciem neque decorem. — 18) *Philipp.* 2, 7. — 19) *Rot.* quasi pro qua. — 20) *Rot.* dignitatem pro deitate. — 21) Et addidit deest in *Barc.* — 22) Cnt. cnt. 1, 15. *Rot.* Cubile nostrum etc.; *Vers. Ant.* Adclinatio nostra opaca; *Vulg.* lectulus noster floridus; in *Graecis*: πρὸς κλίνην. — 23) Cnt. cnt. 1, 16. *Vers. Ant.*: trabes domorum nostrarum cedri, lacunaria nostra cypressi. *Vulg.* ligna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina. *Ms. S. Theoder.* cedrinae.

nostra cypressi.¹⁾ In hoc loco cubilem²⁾ cum nominat sepulturam Dominici corporis dicit, ubi somno passionis soporatus jacuit Dominus umbra mortis coopertus, sicut Apostolus ait: *etsi³⁾ mortuus est ex infirmitate, sed vivit in⁴⁾ virtute*. Et ideo cubile umbrosum infirmitatem corporis i. e. sepulturam carnis, mortis ut dixi umbra coopertum perspicue indicabit.

Asseres, inquit, nostri cedrini. Non hic de asseribus ligneis, et⁵⁾ de domo manu facta loquebatur, sed cum asseres cedrinos nominat, Patriarchas nobiles sublimi gloria⁶⁾ elatos in domum Dei ostendit. Quos ideo cedros appellat, quia hoc genus ligni imputribile et nimis excelsum est, ut et immortalem gloriam Patriarcharum et sublimem regni promissi dignitatem ostenderet.

Praesepia vero cypressi.⁷⁾ Cypressium⁸⁾ majus est quam cedrum. Denique hoc genus ligni rex omnium arborum perhibetur. Proinde ut Patriarchas cedros, ita et Apostolos cypressos appellat; unde praesepia nostra i. e. evangelicae doctrinae cibo repleta sunt. Denique et ipse salvator cum secundum hominem nasci dignatus est et⁹⁾ praesepio positus inventur¹⁰⁾ eo quod pabulum nobis quodam pecoribus esset futurus; sicut in evangelio dicit: *Qui¹¹⁾ vescitur corpus meum, ut panem vitae, habet¹²⁾ vitam aeternam*. Haec sunt praesepia Apostolicae doctrinae praecepta, quae¹³⁾ propter principalem regni coelestis gloriam cypressi nuncupantur, sacri scilicet corporis pabulo et potu¹⁴⁾ sanguinis plena, unde credentium animae et corpora saginantur.

[Et addidit:]¹⁵⁾

Ego¹⁶⁾ flos campi et lilium convallium. Flos campi Christus est in seculo, de quo flore Esaïas Propheta pronuntiavit dicens: *exiit¹⁷⁾ virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendit*. Seculum autem campum esse testatur scriptura, quae dicit: *exiit¹⁸⁾ verbum et stetit in campum¹⁹⁾* i. e. Christus in seculo. Sed lilium, inquit, convallium, infernorum loca dicit quasi in depressa valle dimersa, ubi descendit Dominus velut²⁰⁾ lilium decorae resurrectionis candidus ascensurus, ut inde²¹⁾ Patriarcharum animas liberaret. Sed cum repetit: *ut lilium²²⁾ in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiorum et filiarum*. Qui sunt isti filii vel filiae, inter quos proxima sua ut lilium in medio spinarum pronuntiatur? Filios et filias credentes appellat. Sed quia sunt multi in Ecclesia qui spinas et tribulos generant i. e. per sollici-

1) Port. cipressina. — 2) Rot. cubile. — 3) 2 Cor. 13, 4. Vers. Apt. Nam et crucifixus est ex infirmitate sed vivit ex virtute Dei. Augustinus legit loco quodam (ep. ad Rom.) etsi mortuus est ex infirmitate, sed vivit in virtute Dei. — 4) Port. ex pro in. — 5) Rot. nec pro et. — 6) Barc. aliter conjungens seu dividens verborum litteras: gloriae lato lectionem praebet. — 7) Rot. Praesepia nostra cypressi. — 8) Rot. Cypressus magis est quam cedrus. — 9) Rot. et Port. in pro et. — 10) Rot. om. invenitur. — 11) Respicit ad Joh. 6, 55 verba. — 12) Rot. habebit. — 13) Rot. atque propter. — 14) Barc. post pro potu. — 15) Et addidit deest in Port. — 16) Cnt. cnt. 2, 1. — 17) Jes. 11, 1. In Vers. Ant. Et exhibit virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendit. Similiter in Vulg., nisi quod ibi egrediatur legitur. Irenaeus (l. 3, c. 9): Exiet virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet. — 18) Ignoro, quis locus hic afferatur. — 19) Rot. in campo. — 20) Port. vel pro velut. — 21) Rot. exinde. — 22) Cnt. cnt. 2, 2. In Vers. Ant. Sicut lilium etc., ita proxima mea in medio filiarum. Similiter August. Hieron. alii.

tudinem mundi, per divitias, honores et ambitiones secularis potentiae spinas peccatorum producant, de quibus spinis in Evangelio dicit: *suffocare*¹⁾ *bonum semen ut fructum debitum afferre non possit*, inter haec ergo versatur Ecclesia, quae²⁾ quidem major pars credentium his secularibus curis intenta est; sed qui ea despicere potuerit, ille inter ceteros, quos spinas appellat, fulgebit ut lilium.

Et addidit:

*Tamquam*³⁾ *malum inter ligna silvae*. Malum granatum quamvis in magna silva sit positum, inclusam tamen intra se multitudinem granorum suorum ab omni ramorum collisione defendit ac vindicat. Silvam autem hanc homines dicit⁴⁾ infideles, qui nullum divinae religionis cultum habere videntur. Ergo Ecclesia cum sit in medio Judaeorum vel⁵⁾ gentium constituta, inclusam tamen intra se plebem suam liberam et intactam praestat, et continet et vindicat per Spiritum Sanctum, cujus munitione concluditur atque servatur.⁶⁾

*Sic*⁷⁾ *frater meus in medio filiorum* i. e. in medio populi.

Sed denique et addit:⁸⁾

*Concupivi*⁹⁾ *in membra*¹⁰⁾ *ejus et vultus*¹¹⁾ *ejus dulcis in faucibus meis*.¹²⁾ [Umbra hoc in loco Christi passio est, sicut alibi scriptum est: *in umbra*¹³⁾ *alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas*. Fructus autem resurrectionis ipsius est, in qua resurrectione nos omnes resurgimus a mortuis. Sed quod ait: *fructus ejus dulcis in faucibus meis*.] Quid enim tam dulce credentibus esse potest, quam cum repromittitur resurrectio mortuorum?

Et addidit:

Inducite me,¹⁴⁾ inquit, *in domum vini*. Quid est in domum vini nisi in sacramento passionis? Hoc enim vinum sanguis est Christi, qui in mysterio passionis ipsius semper in Ecclesia credentibus propinatur, sicut ipse dicit: *nisi*¹⁵⁾ *manducaveritis carnem filii hominis* i. e. panem vitae, et *biberitis*¹⁶⁾ *sanguinem, non habebitis vitam aeternam*.

Et addidit:

*Constituete*¹⁷⁾ *super me dilectionem*. Hanc dilectionem mandat Do-

1) Respicit ad Luc. 8, 7. — 2) Rot. quia. — 3) Cnt. cnt. 2, 3. In Vers. Ant. Tanquam malus in lignis nemoris. Ambros. (in Psalm 118): tanquam malum in lignis silvae; et alio loco (in Luc. 13) sicut arbor mali inter ligna silvae. — 4) Port. hanc dicit homines infideles etc. — 5) Rot. et pro vel. — 6) Rot. salvator. — 7) Cnt. cnt. 2, 3. In Vers. Ant. Ita frater meus etc.; Ambros. ita consobrinus meus in medio filiorum, et paullo infra (in Psalm 118): ita frater meus inter medium filiorum. — 8) Rot. Denique addidit; Port. Denique et addidit. — 9) Cnt. cnt. 2, 3. Vers. Ant. In umbra ejus concupivi et sedi, et fructus ejus dulcis in faucibus meis. Similiter alii, nisi quod in graecis pro faucibus legitur λαγύρῃ (guttur). Lectionis textus nostri alibi vestigium non invenio. — 10) Rot. et Port. umbra. — 11) Pro vultus legit Rot. fructus. Magis discrepat Port. qui post in umbra ejus scripsit: concupivi et sedi et fructus ejus etc. — 12) Uncinis inclusa tantum reperiuntur in Rot. — 13) Psalm 56, 2 ex Vulg. — 14) Cnt. cnt. 2, 4. Vers. Ant. Introducite me in domum vini; Hieron. (in Zach. 9): introducite me in cellulam vini. In Graecis: εἰσαγάγετέ με εἰς οἶκον τοῦ οἴνου. — 15) Joh. 6, 53 cum Vers. Ant. consentit, nisi quod in ea ejus ante sanguinem scribitur et vobis pro aeternam. At reperitur aeternam apud Ambros. in Psalm 43; Cassiod. in Psalm 33, alibi. In Graecis: οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς. — 16) Rot. et Port. ejus sanguinem. — 17) Cnt. cnt. 2, 4. In Vers. Ant. scribitur in me pro super me. In Graecis: τάχατε ἐπ' ἐμὲ ἀγάπην. Hieron. (in Zach. 14) ponite super me caritatem.

minus noster cum dicit: *diligite*¹⁾ *vos invicem*; et Apostolus: *si*²⁾ *habeam potestatem*³⁾ *ita ut montes transferam, caritatem*⁴⁾ *non habeam, nihil sum.*

Et addidit:

⁵⁾ *Confirmate me*, ⁶⁾ inquit, *in unguentis.* Unguentum hoc fidelibus creditum est post lavacrum succus⁷⁾ fidei, i. e. crisma sanctorum.

Et addidit:

*Constipate*⁸⁾ *me in malis quia vulnerata caritatis ego sum.* Hic cum constipari se in malis⁹⁾ dicit in magnis laboribus et aerumnis passionem suam ostendit adversus seculi persecutionem. Vult enim Ecclesia pro Christo omnibus malis i. e. periculis et passionibus obijci atque puniri, sicut Apostolus ait: *non*¹⁰⁾ *sunt condignae passionibus hujus seculi ad superventuram*¹¹⁾ *gloriam quae revelabitur in vobis.*¹²⁾

Denique¹³⁾ et addidit: *quia vulnerata caritatis ego sum* i. e. quia vulnus violentum mihi in his passionibus inflixit caritas Christi usque ad profusionem sanguinis, cum dicit: *non*¹⁴⁾ *veni pacem mittere sed gladium*; et qui¹⁵⁾ *vult meus discipulus esse, abneget se sibi et tollat crucem suam et sequatur me.* Et iterum: qui¹⁶⁾ *animam suam perdidit pro me*¹⁷⁾ *in vitam aeternam inveniet eam.* Hoc est autem vulnus, quod nos perducit ad passionem, amor scilicet Christi quem habemus in eo, de quo Apostolus ait: *quia*¹⁸⁾ *propter te morti afficimur tota die aestimati sumus ut oves occisionis,* in eo¹⁹⁾ se vulnerata caritatis esse testatur.

Et addidit:

*Laeva*²⁰⁾ *ejus sub capite meo et dextera ejus complectitur*²¹⁾ *me.* Manus istae duae duo sunt testamenta praeae legis et evangeliorum. Laeva ergo²²⁾ cum dicit vetus testamentum adnuntiat; dextera autem evangeliorum²³⁾ praedicatio est. Proinde infra est vetus testamentum,

1) Joh. 13, 34. *Vers. Ant.* Ut diligatis invicem; *Hilarius* (in Psalm 132): diligite invicem. — 2) 1 Cor. 13, 2. In *Vers. Ant.* conspirante cum omnibus reliquis versionibus et verborum textu graeco: omnem fidem pro potestate. Praeterea legitur: *autem post caritatem.* Conferatur *Optatus* (c. Donat. 1, 3): si habeam in me potestatem imperandi montibus ut transferant se etc. — 3) *Rot.* si habeam, inquit, omnem fidem, ita ut. — 4) *Port.* caritatem autem; similiter *Rot.* — 5) *Cnt.* cnt. 2, 5, consentit cum *Vers. Ant.*, contra *Hieron.* (in Zach. 9): confortate me in unguentis. — 6) *Rot.* confirma me; *Port.* Confirmate, non addens me. — 7) *Rot.* sumptae pro succus. — 8) *Cnt.* cnt. 2, 5. *Vers. Ant.* stipate, et infra: dilectionis pro caritatis. At legitur apud *Greg. M.* (in Job. 6) vulnerata caritate; apud *Augustin.* (in Psalm 7) constipate. — 9) *Rot.* immodum pro in malis; *Port.* malis, non antecedente in. — 10) *Rom.* 8, 18. *Vers. Ant.* mundi pro seculi, futuram pro superventuram, sub finem nobis pro vobis. At superventuram habes apud *Cyprian.* et alios. Plane consentit cum lectione verborum textus apud *Hieron.* ad *Heliod.*, nisi quod et ipse nobis pro vobis legit. — 11) *Rot.* futuram. — 12) *Rot.* et *Port.* nobis. — 13) Denique deest in *Port.* — 14) *Mth.* 10, 34. — 15) *Mth.* 16, 24. *Vers. Ant.* Si quis vult venire post me, abneget se sibi. *Tertull.* (de idol. c. 12): Si vis, inquit, Domini discipulus esse, crucem tuam tolles; *Beatus* (in Apoc. p. 171): Qui vult post me venire, abneget semetipsum. — 16) *Mth.* 10, 39. *Vers. Ant.* qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam. *Claromont.* in vitam aeternam addit. Similiter *Augustin.* (c. Faust. 1, 22) qui perdidit animam suam propter me in vitam aeternam inveniet eam. — 17) *Rot.* propter me. — 18) *Rom.* 8, 36, conspirat cum *Vers. Ant.*, *Iren.* alias. — 19) *Barc.* inesse pro in eo se; *Rot.* Ideo se vulneratam. — 20) *Cnt.* cnt. 2, 6. In *Vers. Ant.* amplexabitur me. *Hieron.* (ad Fabiol.) complectetur me; similiter *Ambrosius* diversis locis. In Graecis: περιλήψεται με. — 21) *Port.* complectetur me. — 22) *Rot.* ejus pro ergo. — 23) *Rot.* evangelica.

quod subjicitur a capite¹⁾ Ecclesiae, quod est Christus. Et dextera complectitur eam i. e. evangelica sacramenta unde operiuntur²⁾ vetera peccata. Ergo qui in fide procedit, et Christo devote servit, veterem hominem intra se relinquit,³⁾ et denuo Christi corpus amplectitur, quod est Ecclesia.

EXPLICIT LIBER TERTIUS.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

⁴⁾Adjuravi⁵⁾ vos filiae Jerusalem in virtutibus et potestatibus agri, si excietis⁶⁾ caritatem quousque velit. Filiae Jerusalem plebes sunt synagogae. Virtutes⁷⁾ autem agri fruges intelliguntur, quae sunt futurae⁸⁾ sanctorum de quibus fructibus⁹⁾ Isaac filium suum Jacob benedixit dicens: *Det*¹⁰⁾ tibi Deus a¹¹⁾ rore coeli et a fertilitate terrae abundantiam frumenti, vini et olei. Quarum rerum abundantiam non solum¹²⁾ non habuit Jacob, verum etiam et¹³⁾ in Aegypto fame fugit.¹⁴⁾ Sed hanc benedictionem in personam Jacob consequuturi¹⁵⁾ sunt ipsi qui filii Abraham vel Jacob esse meruerunt. Denique istae tres species continent frumentum in Christi corpore, vinum in sanguine, oleum in crismate, [hoc est]¹⁶⁾ per quod adjurat filias Jerusalem, i. e. plebes synagogae Spiritus Sanctus, ut crederent Christo et hanc gratiam consequi mererentur.¹⁷⁾ Sic enim ipse Dominus dicebat: *non*¹⁸⁾ sum missus nisi ad oves perditas¹⁹⁾ domus Israel. Ob hoc autem adjurat per has²⁰⁾ virtutes i. e. per abundantiam futuri regni, et per sacramentum corporis, et passionem sanguinis, et crismatis unctionem, ut elearent et suscitarent caritatem super eum,²¹⁾ quousque ipse velit. Haec est enim caritas quam ipse vult, ut hoc amore²²⁾ ipsius mortem sectemur. Quia²³⁾ qui pro me, inquit, animam suam perdiderit, in vitam aeternam inveniet eam.

Et addidit:

*Ecce*²⁴⁾ hic saliens super montes, exsiliens super colles. Montes Patriarchas dicit vastos, sanctitate,²⁵⁾ fide, spe robustos, mole caritatis fundatos. Colles Prophetas in specula constitutos. Et ideo super omnium

1) Rot. capit. — 2) Rot. oriuntur. — 3) Rot. relinquit. — 4) Cnt. cnt. 2, 7. In Vers. Ant. legitur fortitudinibus pro potestatibus, et infra: si suscitaveritis et resuscitaveritis dilectionem, usque quo voluerit. At invenitur in Ms. S. Theoder. quousque voluerit. — 5) Rot. Adjuro vos; Port. Adjurabo vos. — 6) Port. si excietis et suscitatis caritatem, quousque ipse velit. — 7) Rot. virtutum. — 8) Rot. fructus. — 9) fructibus deest in Port. — 10) Gen. 27, 28. In Vers. Ant. legitur de rore coeli et de ubertate terrae (Vulg. de pinguedine terrae), et multitudinem (Vulg. abundantiam, sine et), frumenti et vini. In Graecis: *πλοῦτος* (pinguedine, ut in Vulg.). Irenaeus: Det tibi Deus de rore coeli et a fertilitate terrae, multitudinem tritici et vini; similiter Cyprian., qui multitudinem frumenti et vini et olei legit. — 11) Port. de pro a. — 12) Port. om. non solum. — 13) Port. om. et. — 14) Port. fame fuerit; Rot. prae fame fugit. — 15) Rot. consecuti sunt sancti qui etc. — 16) hoc est in solo Rot. legitur. — 17) Port. hanc gratiam consequerentur. — 18) Mth. 15, 24. Vers. Ant. ad oves quae perierunt domus Israel; at, ut in verborum textu scriptum est, Corb. 1. et Tertull. (de praescript. 8 et adv. Marc. 4) legunt. — 19) Rot. quae periire. — 20) has in Port. deest. — 21) Port. et Rot. eam. — 22) Rot. ob amorem pro hoc amore. — 23) Mth. 10, 39. (v. s.) — 24) Cnt. cnt. 2, 8. Vers. Ant. Vox fratris mei, ecce hic venit saliens super montes et transiliens super colles. — 25) sanctitate deest in Port. et Barc., in hoc autem tantum, ut videtur, lacunae causa.

altitudinem montium i. e. Patriarcharum et super omnes colles [i. e.]¹⁾ Prophetas exsilire et elevari eum testatur, quia ipse est super omnia Dominus, et omnia pedibus ejus subjecta sunt.

Et addidit:

*Similis*²⁾ *esto frater meus cervae aut hinnulo cervorum.* De cerva et hinnulo cervorum paulo ante utilius disseruimus, quia et infra³⁾ hanc comparisonem inducat. Verum quod ait: *super*⁴⁾ *montes Bethel*, eo quod Christus in Bethlem natus est.⁵⁾ Quod autem comparat eum cervae aut hinnulo cervorum ostendere voluit⁶⁾ fugitivae mentis infantiam. Hoc enim animal, cum persecutorem senserit, fugit et⁷⁾ eo modo eum fugisse legimus Herodis persecutionem, propter quem et omnes infantes interfecti sunt a binatu et infra.

Et addidit:

*Ecce*⁸⁾ *hic*⁹⁾ *post parietem nostrum praespiciens*¹⁰⁾ *per fenestram*¹¹⁾ *auscultatur*¹²⁾ *per retia.* Quid hic paries indicet, quid fenestra, quid etiam retia, per quae Dominus auscultatur,¹³⁾ diligentius requiramus. Parietem corpus Domini Beatus Apostolus manifestat, cum dicit: *unum*¹⁴⁾ *et medium parietem maceria solvens inimicitias in carne sua, ut duos jungat in unum.* Et David corpus Domini parieti comparans ait:¹⁵⁾ *tamquam*¹⁶⁾ *parieti inclinato et maceriae impulsae*, quod¹⁷⁾ scilicet paries illa in maceria crucis inclinatus esse videatur. Sed et Habacuc:¹⁸⁾ *lapis*,¹⁹⁾ inquit, *de pariete clamabit et scarabaeus de ligno adnuntiabit ea.* Lapis itaque spiritus²⁰⁾ de pariete corporis clamavit ad Patrem, et scarabaeus de ligno adnuntiavit ea,²¹⁾ i. e. unus ex latronibus pronuntiavit dicens: *tu*²²⁾ *cum sis filius Dei quare haec teris?*²³⁾ Nam ideo paries dicitur Christus, qui ut includet suos, servat²⁴⁾ alienos. Fenestra²⁵⁾ autem luminaria²⁶⁾ sunt carismatum, i. e. donorum quibus ex pariete corporis sui humani generis²⁷⁾ prospiciens lumen credentibus praestitit. Nam subjunxit parietem nostrum ut manifestaret corpus ipsius, quod paries dicebatur nostrae conditionis et sortis materiam habere.²⁸⁾

Et addidit: *auscultans per retia.* Auscultare autem est, quod per parabolas loquitur, sicut ipse Dominus dicit: *simile*²⁹⁾ *regnum coelorum*

1) i. e. in Rot. solo. — 2) Cnt. cnt. 2, 9. Vers. Ant. Similis frater meus capreae vel hinnulo cervorum. Nusquam cervae legitur. — 3) Rot. quia et in hanc comparisonem indicit verum quod ait etc. — 4) Cnt. cnt. 2, 9. In Vers. Ant. in montibus Bethel; apud Ambros. (de interpel. Job. 1, 1) super montes Bethel. — 5) Port. erat. — 6) Rot. vult. — 7) Lectio haec recepta est ex Rot. nam duo reliqui codices corrupti videntur. Port. legit: fugit eo modo aut fugisse eum Herodis persecutionem etc. Barc. fugite eo modo. An fugisse eum Herodis persecutionem. — 8) Cnt. cnt. 2, 9. In Vers. Ant. legitur: retro post hic, prospiciens pro praespiciens, fenestras pro fenestram, et prospicient pro auscultatur. — 9) Rot. om. hic. — 10) Port. prospiciens. — 11) Port. fenestras. — 12) Rot. auscultat. — 13) Rot. auscultat. — 14) Eph. 2, 14. Lectiones discrepantes in Vers. Ant. sunt: maceriae, inimicitiam, et postea legem mandatorum in edictis destituens ut duos condant in se ipso in unum novum hominem. Ceterum multi (Hieron. Augustin. Iren. alii) inimicitias legunt. — 15) Port. comparat cum dicit. — 16) Psalm 61, 4. — 17) Rot. quoniam; Port. quos scilicet. — 18) Barc. Abacuc. Rot. Abacuch. Port. Abacuc. — 19) Habacuc 2, 11, secundum Vers. Ant., ubi tamen loquitur pro annuntiabit. — 20) Rot. et Port. Christus. — 21) adnuntiavit ea deest in Rot. — 22) Respicit ad Luc. 23, 39. — 23) Port. et Rot. pateris. — 24) Rot. servet. — 25) Port. Fenestrae. — 26) Rot. lumina. — 27) Port. humano generi; Rot. humanum genus. — 28) Port. haberet. — 29) In libris canonicis talis parabola non reperitur.

retiae quae mittuntur¹⁾ in mari et capiet pisces bonos et malos. Mare utique [est praesens]²⁾ seculum: pisces in similitudine hominum posuit. Qui verbo Dei de mari seculi per aquam baptismatis in Ecclesia congregantur. Merito hoc in loco vox Ecclesiae dicit: [simile³⁾ est regnum coelorum et reliqua; ideo dicit:] *frater meus per retia auscultat* i. e. verbum Dei in parabolis loquitur, ut occulto sermone capiat audientes. Nam ut in retia⁴⁾ nodi sunt, et ligaturae, quibus macularum spatia distenduntur, ita et in parabolis nonnulla quaestionum sunt vincula et obscuri nodi habentur, quaedam vero aperta et perspicua veritate patescunt, ut per haec homines capiant et ad litus⁵⁾ i. e. ad regnum Dei deducantur, ubi inter bonos et malos discrimen habetur.

Et addidit:

Respondit⁶⁾ frater meus nunc⁷⁾ et dicit mihi: exurge, veni proxima mea, columba mea, quoniam⁸⁾ ecce hiems transit⁹⁾ et pluvia¹⁰⁾ discessit sibi,¹¹⁾ flores visi sunt in terra nostra, tempus metendi¹²⁾ advenit. Quis hic frater qui respondit: *exurgens¹³⁾ veni proxima mea*, jam supra exposuimus, quod vox haec Christi ad Ecclesiam sit. Sed et quare Christus columbam Ecclesiam nominaverit, et hoc puto disserui. Sed si Ecclesia secundum Apostolum corpus est Christi, cur ei dicitur: *exurge?* Hoc enim¹⁴⁾ aut sedenti dicitur aut jacenti. Arbitror additum¹⁵⁾ [ideo dicitur] quia caro Christi, quod est Ecclesia, post passionem in monumento sepulta jacebat. Haec ergo tertia die in Domino resurrexit, et ipsi copulata pariter in coelis ascendit. Et ideo hoc in loco voce¹⁶⁾ Christi Ecclesiae dicebat: *exurge veni, proxima mea, speciosa mea,¹⁷⁾ columba mea; exurge utique ex mortuis, veni in regno coelorum, proxima in corpore, speciosa in sanctitate, columba in spiritu.* Quoniam ecce hiems pertransiit,¹⁸⁾ pluvia discessit sibi, flores visi sunt in terra nostra. Hiemem itaque¹⁹⁾ duplicem significatione²⁰⁾ nulla est dubitatio, vel quod inest ei asperitas frigoris²¹⁾ et rigoris, aut cum opportunitate pluviarum tempus est seminandi. Ac per hoc cum hiemem nominat mundi istius tempus inducit. Quod et verbum Dei quasi quoddam semen justitiae a Prophetis et Apostolis vel sacerdotibus in hoc seculo seminatur, et adsidua praedicatione velut quoddam coelesti imbre rigatur,²²⁾ ut centesimum, sexagesimum et tricesimum fructum posset afferre. Asperitas autem hiemis et rigoris ad persecutionis²³⁾ injuriam

1) Rot. raeli quod mittitur in mare. Port. raeliae quae mittitur in mare. — 2) est praesens legitur tantum in Rot. — 3) Verba uncinis inclusa in solo Rot. reperiuntur. — 4) Rot. Nam sicut in retibus. — 5) Barc. ut per haec homines capiant litus i. e. ad regnum etc.; Rot. ut per haec capiant litus i. e. ad regnum etc. — 6) Cnt. cnt. 2, 10. Has lectiones discrepantes Vers. Ant. habet: nunc deest, dixit pro dicit legitur, surge pro exurge, et inter proxima et columba mea interponitur speciosa mea. — 7) nunc deest in Rot. et Port. — 8) Cnt. cnt. 2, 11. In Vers. Ant.: pluvia abiit, discessit sibi. — 9) Rot. pertransiit. — 10) Rot. pluvia abiit discessit sibi. — 11) Cnt. cnt. 2, 12. Vers. Ant. om. nostra; et habet secandi pro metendi. In Graecis: *καὶ ὁὗτος τῆς τομῆς*, quae verba Ambrosius interpretatur: tempus messis. — 12) Port. metendi. — 13) Rot. qui respondens dicit: exurge veni. — 14) Port. Hoc enim ei aut sedenti. — 15) Port. Arbitror ideo dictum quia: in solo Rot. ideo dicitur. — 16) Port. vox de ecclesia dicebat; Rot. vox Christi etc. — 17) speciosa mea deest in Rot. — 18) Port. transit. — 19) Port. utique. — 20) Port. significationem; Rot. habere significationem. — 21) Rot. hiemis; Port. om. et rigoris. — 22) Barc. regnatur. — 23) Port. persecutionum.

perlinet, quam in mundo omnes sancti saepenumero patiuntur, sicut Salvator in Evangelio dicit: oportet¹⁾ vos²⁾ per multas tribulationes introire in regnum Dei. Praedicationem³⁾ autem doctrinae coelestis in pluviam deputari probat Moyses dicens: attende⁴⁾ coelum et loquar, et audiat terra verba ex ore meo, expectetur sicut pluvia eloquium meum, et descendant sicut ros verba mea, et sicut imber super gramen, et sicut nix super foenum, quoniam nomen Domini invocavi. Semen et verbum⁵⁾ Dei evangelista ex voce Domini testatur dicens: exiit⁶⁾ seminator seminare semen suum; et iterum: bonum⁷⁾ semen seminasti in agro tuo, unde huic⁸⁾ zizania? Transacta ergo hieme i. e. mundi tribulatione, cessante quoque pluvia i. e. praedicatione verbi Dei, adveniet⁹⁾ vernum tempus, verni grata temperies. Quod vernum futuri de virginum in magna tranquillitate designat, ubi sanctorum flores velut rosae et lilia de sepultionis¹⁰⁾ terra per sanctitatem candida et passione rubicunda procedunt. Vox¹¹⁾ inquit, turturis audita est in terra; ficulneae¹²⁾ protulerunt grossos¹³⁾ suos. Diximus jam superius turturem congregationem Ecclesiae ex gentibus venientem ostendere¹⁴⁾ de varietate plumarum. Unde et Moses¹⁵⁾ in figura spiritali turturem et columbam in sacrificio [spiritali]¹⁶⁾ offerri jubetur.¹⁷⁾ Sed quare inquit: in terra nostra vox turturis audita est? David dicit: credo¹⁸⁾ videre bona Domini in terra viventium; et Dominus: beati¹⁹⁾ mansueti quoniam ipsi possidebunt terram.

Et addidit: ficulneae protulerunt grossos²⁰⁾ suos. Non quod de ficulneis curam Sanctus Spiritus gereret, sed ficus imaginem prisci populi geret, sicut Dominus in evangelio ait: quidam²¹⁾ pater familias plantavit vineam et in vinea sua plantavit ficum. Proinde hoc significat, quod ex populo Judaeorum Elia Tesbitem annunciante in Christo credituri sunt multi, quorum numerum Spiritus Sanctus per beatum Johannem Apostolum in Apocalypsi signavit ex duodecim tribus duodecim [milia]²²⁾ signatorum. Et Dominus in Evangelio: cum²³⁾ videritis ficum germinantem, scitote in proximo esse²⁴⁾ tempus aestatis, i. e. cum ex Judaeis videritis credentes et fructum evangelicae fidei facientes, scitote in proximum esse adventum Dei.

1) Act. 14, 21. Vers. Ant. Et quia (Vulg. Et quoniam) per multas tribulationes oportet nos introire (Vulg. intrare) in regnum Dei. — 2) Rot. nos. — 3) Rot. Praedicationes. — 4) Deut. 32, 1-3. In Vers. Ant. adpronunciatio mea pro eloquium meum; sicut imber pro et sicut imber, quia pro quoniam. At eloquium in Miss. Rom., Brev. Mozar. alibi legitur. — 5) Rot. Semen verbum Dei esse. — 6) Mth. 13, 3. Vers. Ant. exiit seminans seminare; at conspirat Ms. Corb. 1. cum lectione textus quem exhibeo. — 7) Mth. 13, 27, ubi Vers. Ant. alioquin non disceps: unde ergo habet zizania legit. — 8) Port. hic pro huic habet. — 9) Port. advenit. Rot.: i. e. praedicatione verbi Dei adveniente post laetum tempus verni grata temperie quod vernum futurum Christi regnum magna tranquillitate designat, ubi sanctorum corpora, velut flores rosae et etc. — 10) Rot. de sepulcris terrae sanctitate. — 11) Cnt. cnt. 2, 12. Vers. Ant. in terra nostra. — 12) Cnt. cnt. 2, 13. Vers. Ant. ficus protulit grossos suos. — 13) Barc. legit gros pro grossos. — 14) Rot. significari, quod ostendimus de varietate. — 15) Rot. liber Moysi. — 16) spiritali legitur tantum in Rot. — 17) Rot. jubet. — 18) Psalm 26, 13. secundum Vulg. — 19) Ev. Matthaei 5, 5. — 20) Barc. gros, ut supra. — 21) Matth. 21, 33, ubi nihil sane de ficu in vinea plantata dicitur. — 22) milia deest in Barc. — 23) Respicit ad Luc. 21, 29, 30. aut ad locos respondentes. — 24) Port. hic orationis membrum finit, tantum ponens: in proximo esse adventum Dei.

Tempus metendi advenit. Quid est tempus metendi nisi tempus illud, quando ¹⁾ Christus veniet, quo sancti omnes ²⁾ ut frumentum in regni coelestis horrea reconduntur, palea vero i. e. peccatores et leves et irrationabiles homines igni inextinguibili comburentur. Sicut ³⁾ Johannes Baptista de Salvatore dicebat: *habens*, ⁴⁾ inquit, *ventilabrum in manu sua purgabit aream suam ut frumentum in horreo recondat, paleas autem comburet igni inextinguibili.*

Et addidit:

Vineae ⁵⁾ *nostrae floreant* i. e. species et merita sanctorum in regno Dei floreant. *Et dederunt*, ⁶⁾ inquit, *odorem suum.* In omni loco odor ⁷⁾ sicut Apostolus ait: *nos* ⁸⁾ *bonus odor Christi sumus.*

Mandragorae, ⁹⁾ inquit, *dederunt odorem suum.* Haec est mandragora cujus fructum Ruben primitivus ¹⁰⁾ filius Liae, quae ¹¹⁾ synagogae typum habebat, in agro invenit, quem ¹²⁾ Rachel, quae similitudinem Ecclesiae gerebat, concupiscens accipit. Quandam ¹³⁾ figuram Domini nostri gerebat Salvatoris advenientis, quem Ecclesia concupiscens accipere meruit.

Et addidit:

Exurge, ¹⁴⁾ *veni soror mea, speciosa mea, columba mea.* ¹⁵⁾ Sed quid opus est saepe de hoc vocabulo disserere, cum jam supra quid sit exurgere et venire, quid soror et speciosa et columba indicaret, ostenderim. ¹⁶⁾

Sed quod ait: *In* ¹⁷⁾ *protectione petrae continuatae muro*, ¹⁸⁾ petram hoc in loco Christum intelligi fas est. Sicuti Apostolus ait: *petra* ¹⁹⁾ *autem erat Christus.* In Christi ergo protectione Ecclesia veniebat, ut continuaretur muro, ²⁰⁾ i. e. Sancto Spiritu jungeretur, quem murum appellat, cujus defensione hostes et daemones ²¹⁾ expugnamus et vincimus. ²²⁾

Et haec Ecclesia respondens dicit:

Ostende ²³⁾ *mihi faciem tuam et auditum da mihi vocis tuae.* Faciem cum nominat adventum Domini significat, vocem ²⁴⁾ imperium regnantis adnuntiat.

1) Rot. quo pro quando. — 2) Rot. homines pro omnes. — 3) Rot. liber Johannis Baptistae. — 4) Mth. 3, 13. In Vers. Ant. scribitur: et permundabit pro purgabit; et post haec: et congregabit triticum suum in horreum. Apud Augustin. (ad. Donat.) scribitur: frumenta recondet in horreo. Quod hic lectio praebet analogia caret. — 5) Cnt. cnt. 2, 13. Verba desunt in Vers. Ant., at Ms. S. Theoder. legit: vineae florentes odorem dederunt; et in Graecis scribitur: αἱ ἀμπέλαι κυροῦνται, ἔδωκαν ὄσμήν. — 6) Cnt. cnt. 2, 13, sicut supra Rot. dissentit: Mandragorae inquit dederunt odorem. — 7) odor deest in Rot. — 8) 2 Cor. 2, 15. Vers. Ant. quia Christi bonus odor sumus, Iren. quoniam Christi suavis odor sumus. (V. s.) — 9) Non legitur neque in aliis versionibus, in Vulg. Vers. Ant., Ms. S. Theoder., neque in Graecis. — 10) Rot. primitivus. — 11) Rot. qui. — 12) Rot. quam. — 13) Rot. quae jam figuram; Port. quandam figuram. — 14) Cnt. cnt. 2, 13. 14. Vers. Ant.: Surge pro Exurge, proxima pro soror, sponsa pro speciosa, et veni tu ante columba mea. — 15) columba mea deest in Rot. — 16) Port. ostenderimus. — 17) Cnt. cnt. 2, 14. Vers. Ant. in tegumento petrae juxta praemonitionem. In Graecis: ἐν σκέπῃ τῆς πέτρας ἐχόμενα τοῦ προτευχίσματος. Arnobius (de Deo trin.) veni ad me proxima mea, formosa mea, et in velamento petrae continuatae muro. — 18) Rot. murum. — 19) 1 Cor. 10, 4. Port. legit Petra autem Christus est. — 20) Rot. murus. — 21) hostes daemonum in Rot. — 22) Barc. vicimus. — 23) Cnt. cnt. 2, 14. Vers. Ant. Insinua vocem tuam; Hieron. (c. Jovin. 1) auditam fac mihi vocem tuam. In Graecis: ἀκούσόν με τήν etc. — 24) Port. et vocem; Rot. ex voce.

*Quoniam vox,*¹⁾ inquit, *tua suavis et facies tua dulcis.*²⁾ Quid enim suavius et dulcius quam audire: venite benedicti patris mei, accipite regnum quod vobis praeparatum est ante mundi constitutionem? Quid pulchrius facie Dei i. e. praesentia³⁾ in regno coelorum?

Et addidit:⁴⁾

*Capite*⁵⁾ *michi vulpes pusillas exterminantes vineas.* Vulpes in hoc loco haereticos designat, exterminantes vineas, i. e. plebes sanctorum in fide et veritate florentes. Denique ipse Dominus et Salvator noster, qui est verus cultor vineae suae homines⁶⁾ subdolos et monstrosos⁷⁾ vulpibus comparans ait: *Vade*⁸⁾ *dic vulpi illi Herodi;* et iterum: *Vulpes*⁹⁾ *cubilia habent,* eo quod omnis nequitia et dolus in malorum hominum¹⁰⁾ pectoribus speluncas habent, ubi filius hominis caput suum declinare¹¹⁾ non potest.

Sed *pusillas* inquit *vulpes.* Non sine causa pusillas¹²⁾ nominavit, nisi quia sunt et majores.¹³⁾ Majores sunt utique principum gentium¹⁴⁾ potestates ad saevendum, quam haereticorum fallaciae ad seducendum. Par quidem nequitia in utrumque,¹⁵⁾ sed impar in ultione potestas. Haeresis blanditur ut noceat, gentilitas saevit ut vincat; illa in persecutione crudelis, haec in pace deceptrix. Ac per hoc capi eas¹⁶⁾ congrua dispositione a vinitoribus¹⁷⁾ i. e. a praepositis Ecclesiarum Dominus jubet.

Et addidit:

*Frater*¹⁸⁾ *meus mihi et ego illi.*¹⁹⁾ Unum sunt enim Christus et Ecclesia, quia *erunt,* inquit, *duo in carne una*²⁰⁾ i. e. Deus et homo. Sed quod ait: *quia*²¹⁾ *pascet*²²⁾ *inter lilia,*²³⁾ lilia jam diximus sanctorum corpora indicari. Sed²⁴⁾ *quoadusque aspiret,* inquit, *dies et amoveant umbrae.*²⁵⁾ Diem hoc in loco²⁶⁾ evangelium dicit, quia lux Christus apparuit. Adveniente itaque evangelica claritate umbra²⁷⁾ figurarum et typus²⁸⁾ futurorum amovenda esse dicebat.

Et addidit:

*Convertere,*²⁹⁾ *similis esto frater meus cervae, aut hinnulo cervorum*

1) Cnt. cnt. 2, 14. Vers. Ant. Quia pro quoniam, et sub finem pulchra pro dulcis. At legitur Quoniam apud Hieron., ubi etiam speciosa pro pulchra aut dulcis legitur. In Graecis: ὁσαῦτα. — 2) Port. et Rot. pulchra. — 3) Rot. ejus praesentia. — 4) Et addidit deest in Rot. — 5) Cnt. cnt. 2, 15. Vers. Ant. Prendite nobis. — 6) Rot. omnes. — 7) Port. tortuosos. — 8) Luc. 13, 32. Vers. Ant. Ite dicite vulpi illi, ecce etc. — 9) Mth. 8, 20. Vers. Ant. Vulpes habent cubilia; dum Beatus (in Apocal. p. 430) vulpes foveas habent; Rot. cubicula. — 10) Port. om. hominum. — 11) Port. reclinare. — 12) Rot. vulpes pusillas. — 13) Rot. et majores sunt. — 14) Rot. principes seculi potestates; Port. principes gentium potestates. — 15) Rot. utrisque. — 16) Port. eos. — 17) Port. vineatoribus. — 18) Cnt. cnt. 2, 16. Vers. Ant. praemittit sub finem v. 15., verba ut vineae nostrae florent. — 19) Port. brevissime: Frater meus mihi et ego illi: Christus et Ecclesia, qui erant, inquit, duo in carne una i. e. Deus et homo. — 20) una deest in Rot. — 21) Port. qui. — 22) Rot. pascitur. — 23) Cnt. cnt. 2, 16. Vers. Ant. qui pascit in liliis. Hieron. qui pascit inter lilia. In Graecis: ἐν τοῖς λελίοις. Vulg. qui pascitur inter lilia. — 24) Cnt. cnt. 2, 17. Vers. Ant. usque dum aspiret dies et amoveantur umbrae. — 25) Rot. tenebrae. — 26) Port. et Rot. hoc loco. — 27) Port. umbrae, Rot. umbras. — 28) Rot. typus. — 29) Cnt. cnt. 2, 16. ex Vulg. et Ms. S. Theoder. ubi revertere pro convertere, dilecte mi pro frater meus, capreae hinnuloque pro cervae aut hinnulo, et in Vulg. legitur Bether, in Ms. S. Theoder. Bethel pro aromatum.

super montes aromatum. Cervam in hoc loco carnem Christi appellat, quae serpentem diabolum absorbens omnes veneni illius virus extenuavit,¹⁾ sicut Apostolus ait: *de²⁾ peccato peccatum devicit*; et iterum: *mortale³⁾ absorptum⁴⁾ est a vita.* In hac denique figura et virga Moysi, quae in serpentem conversa est devoravit serpentes, qui ex Magorum virgis effecti sunt, et iterum adprehensa cauda convertitur in virga.⁵⁾ Devorari enim peccatum de peccato non poterat, nisi virga i. e. potestate divina. Quia virtutes⁶⁾ operatur diabolus in carne hominis peccatoris, quae imaginem principis transgressionis in se serpentis⁷⁾ gerebat. Potestas itaque divina omnem potentiam serpentis diaboli in semetipsa devoravit et conquiendo⁸⁾ rursum ad suam speciem figura digesto jam peccato reversa est. Hujus itaque rei causa carnem Christi cervae comparat, vel propter habilitatem⁹⁾ pedum, qua velociter cucurrit in seculo, vel propter quod letale virus¹⁰⁾ in semetipsam decoxerit. Sed hinnulo¹¹⁾ cervorum populi nostri figuram, qui membra sumus corporis Christi evidenter ostendit. Quia¹²⁾ hinnulus cervorum varium colorem habet, ita et diversae¹³⁾ gentium nationes variumque¹⁴⁾ merita credentium in eadem figura monstrantur.¹⁵⁾

Quod vero subjunxit: *super montes aromatum*, eo quod super omnes Patriarchas, Prophetas, Apostolos omnesque sanctos excurreret Spiritus Sancti gratia. Ipsi enim sunt montes aromatum, qui et¹⁶⁾ variata fidei mole fundati, et arduae celsitudinis fastigio elevati¹⁷⁾ omnem bonum odorem Christi secundum Apostolum in semetipsis haberent.

EXPLICIT LIBER QUARTUS.

INCIPIT LIBER QUINTUS.

In¹⁸⁾ cubiculo in noctibus,¹⁹⁾ inquit, quaesivi quem dilexit anima mea: quaesivi eum et non inveni eum: vocavi²⁰⁾ eum et non obaudivit²¹⁾ me. Hoc quidem spiritus ex voce Ecclesiae adhuc apud gentes delitescens loquebatur. Ecclesia etenim ex congregatione populorum vocabulum sumpsit.

Sed quod ait:²²⁾ *in cubiculo in noctibus*, quod est [hoc]²³⁾ cubiculum, aut quae²⁴⁾ noctes, in quibus Ecclesia quaerebat, quem dilexit anima ejus, nisi in cubiculo cordis sui, ubi sapientia requiescit? Ibi²⁵⁾ Dominum et salvatorem nostrum assidua cogitatione requirebat. Sed si²⁶⁾

1) Rot. extinguit, Barc. omne veneni illius virus extenuavit. — 2) Rom. 8, 3. Vers. Ant. et Vulg. de peccato damnavit peccatum. — 3) 2 Cor. 5, 4. Vers. Ant. ut absorbeatur mortale a vita. — 4) Rot. absorptum est mortale. — 5) Rot. convertebatur in virgam; Port. quoque virgam legit. — 6) Rot. Qua virtute superatur. — 7) Barc. serpentes; Rot. in serpente. — 8) Rot. convertendo. — 9) Rot. et Port. agilitatem. — 10) Rot. letale virus omittit. — 11) Rot. hinnulus. — 12) Rot. Quia sicut hinnulus. — 13) Rot. et diversae sunt. — 14) Rot. variaque. — 15) Port. monstratur. — 16) Rot. vastae pro variato; Port. ex pro et. — 17) Barc. elevationem pro elevati omnem. — 18) Rot. In cubiculo meo per noctes quaesivi quem diligit anima mea, quaesivi eum et non inveni illum, invocavi eum et non obaudivit me. Locus (Cant. ent. 3, 1) est in Vers. Ant. In cubili meo in noctibus quaesivi etc.; at in Ms. S. Theoder. In cubiculo meo in noctibus quaesivi. Vulg. legit: In lectulo meo per noctes quaesivi etc. — 19) in noctibus deest in Barc. — 20) Port. et vocavi eum. — 21) Port. audivit pro obaudivit. — 22) Sed quod ait deest in Port. — 23) hoc in solo Rot. reperitur. — 24) Port. atque pro aut quae. — 25) Rot. ubi. — 26) Rot. sicubi.

cubiculum secretarium cordis est, quae sunt istae noctes, in quibus Dominum requirebat, nec tamen poterat invenire? Quia nec fas erat, ut Deus lucis inveniri posset in tenebris. Noctes ergo has per allegoriam mundanae philosophiae doctrinas¹⁾ appellat, caeca erroris²⁾ caligine adopertas; de quibus Apostolus ait: *videte*³⁾ *ne quis vos depraedetur per philosophiam et inanem traditionem secundum elementa mundi et traditionem hominum et non secundum Deum*. Dum itaque adhuc in gente⁴⁾ Ecclesia i. e. in his qui⁵⁾ ex natione hominum⁶⁾ crediturae erant, et philosophiae mundanae doctrina uteretur quas noctes appellat, putabat⁷⁾ in iisdem scripturis, quibus de Deo vel⁸⁾ Deorum natura tunc temporis disputabat, verum Deum posse cognoscere, et quia eum ibi invenire non potuit, ideo ex voce ejus jam tunc praescius propheticus spiritus loquitur:⁹⁾ *in cubiculo meo i. e. in corde suo*,¹⁰⁾ *in noctibus i. e. in doctrina sapientiae saecularis quaesivi quem dilexit anima mea, quaesivi eum et non inveni eum*. Quae¹¹⁾ cum illic non invenisset, et ibi vocatus¹²⁾ non obaudisset, tunc aliud genus inquisitionis adgressa¹³⁾ est, ut in aliis scripturis eum requireret.

Exurgam,¹⁴⁾ inquit, *et circuibo civitatem in foro et in platea*¹⁵⁾ *et quaeram quem dilexit anima mea*. Quid est: *exurgam*? Jacebat enim ut jam superius diximus adhuc apud gentes, inhaerens in terra i. e. terrena sapiebat, et terrena in cordis sui cubiculo cogitabat. Sed ubi illic Deum verum invenire non potuit in foro et in plateis ait: *circuibo*¹⁶⁾ *civitatem*. Hic civitatem cum nominat, constitutionem divinae legis adnuntiat. Quia constitutio legis ut magna civitas habet forum et plateas, vicos et domos, muros magnos et altos, inexpugnabili soliditate firmatos, i. e. munitionem Dei, qua omnes defendimur et munimur.¹⁷⁾ Habet carismatum turres, unde hostes daemones expugnare consuevimus vicos [i. e.]¹⁸⁾ itinera vitae, domus¹⁹⁾ conversationis bonae.²⁰⁾

Sed *circuivi*, inquit, *civitatem* i. e. perscrutabor omnem legem. *Forum* autem cum nominat legem Pentateucum i. e. quinque libros Moysi indicat, in qua velut in quodam foro omne divinum et humanum jus et legum constitutiones et decreta disciplinae continentur. Hoc est forum divini juris. *Plateas* autem libros Propheticos appellat, quibus recta justitiae itinera ad Deum commeantibus ostenditur.²¹⁾

Et ideo ait: *in foro [et in]*²²⁾ *plateis requiram eum*; in foro utique ut dixi legis Moysi, et in plateis Prophetarum, et in omnes vicos

1) *Port.* et *Barc.* doctrinam. — 2) *Rot.* errorum. — 3) *Col.* 2, 8. *Vers. Ant.* Videte ne quis sit qui vos suadeat per philosophiam et inanem seductionem secundum traditionem hominum secundum elementa mundi et non secundum Christum. At verba: ne quis vos depraedetur apud *Ambros.* et alios. — 4) *Rot.* in gentibus esset, *Port.* in gentes esset. — 5) *Rot.* quae. — 6) *Rot.* numero pro hominum; *Port.* legit unum. — 7) *Rot.* se in eisdem. — 8) *Rot.* vel de Deorum. — 9) *Rot.* loquebatur. — 10) *Port.* et *Rot.* meo pro suo. — 11) *Port.* et *Rot.* quem. — 12) *Rot.* ibidem invocatus non audisset. — 13) *Rot.* adgressus. — 14) *Cnt.* cnt. 3, 2. In *Vers. Ant.* ibo post *exurgam* interponitur et plateis pro platea legitur. In Graecis pro illo scribitur *ἔγ.* *Hieronymus* quoque (ep. 18 ad Eustoch.) et *Ms. S. Theoder.* ibo omittunt. — 15) *Rot.* plateis. — 16) *Rot.* circuibo totam civitatem. — 17) et munimur deest in *Port.*; *Rot.* legit defendimus et munimus. — 18) i. e. in solo *Rot.* legitur. — 19) *Rot.* domos. — 20) *Port.* conversationis vitae bonae. *Rot.* conversationis bonae utilitatem. — 21) *Port.* et *Rot.* ostenduntur. — 22) In solo *Rot.* reperitur tantum; in solo *Barc.* omittitur in.

scripturarum requisitum se Dominum ¹⁾ Ecclesia promittebat. ²⁾ Denique ipse Dominus: *praescrutamini*, ³⁾ inquit, *scripturas et* ⁴⁾ *videte, illae enim de me senserunt*. ⁵⁾ Et iterum: *simile* ⁶⁾ *est regnum coelorum thesauro absconso in agro*. Thesaurum utique ⁷⁾ Christus in scripturarum agro absconsus est, et ideo requirendus.

Sed ⁸⁾ *invenerunt me*, inquit, *custodes qui servant et circumeunt* ⁹⁾ *civitatem*. Qui sunt isti custodes nisi scribae et Pharisei, i. e. Principes Judaeorum, qui hanc ¹⁰⁾ ipsam praelegis civitatem magna observatione custodiebant. Omnia ejus praecepta ¹¹⁾ circumeuntes investigabant. Hi ergo custodes et sciscitores ¹²⁾ et inquisitores praelegis invenerunt quidem Ecclesiam in Christi corpore natam, quando dixerunt interrogantibus ¹³⁾ Magis, ubi Christus nasceretur, [responderunt] ¹⁴⁾ in Bethlehem Judae Christum nasci debere; sed ¹⁵⁾ eum retinere non meruerunt.

¹⁶⁾ Denique ¹⁷⁾ *quam modicum*, inquit, *transivi ab eis*. Quid est modicum nisi quia apud Deum nihil est alium. ¹⁸⁾ Et ideo modicum tempus ex nativitate usque ad passionem Domini ¹⁹⁾ pronuntiat. Cum enim post intolerabilem ²⁰⁾ passionem suam resurrexisset a mortuis, tunc eum invenit quidem [ecclesiam] ²¹⁾ quem diligebat anima ejus. A tempore autem Dominicae resurrectionis missi sunt apostoli ²²⁾ ut ex gentibus Ecclesiam congregarent. Ideo ait: *inveni* ²³⁾ *eum et non relinquam eum*, per caritatem, quam in ipso ²⁴⁾ usque ad effusionem sanguinis habuit, sicut Apostolus ait: *quis* ²⁵⁾ *nos separabit a caritate Christi*.

Sed donec ²⁶⁾ *inducam*, inquit, *eum in domum matris meae et in secretum ejus* ²⁷⁾ *quae me concepit*. Haec vox Ecclesiae. ²⁸⁾ Et si Ecclesia mater est omnium, requirendum nobis est, quae sit mater Ecclesiae, in cujus domum et in cujus secretum introducurum se eum dice-

1) *Barc.* Deum. — 2) Inde ab hoc loco *Barc.* mutilatus est, ita ut saepe verba legi non possint; qualiter hic: *ecclesia promittebat*. — 3) *Joh.* 5, 39. *Vers. Ant.* Scrutaminus Scripturas et illae sunt quae testimonium perhibent de me. — 4) Ab et nova lacuna incipit in *Barc.*, ita ut verba: *videte, illae enim* desint. — 5) *Rot.* dixerunt. — 6) *Mith.* 13. 44. In *Vers. Ant.* in agro absconso; at multi legunt, ut verborum textus, exempli gratia *Arnobius Afer* (annot. in *Ev.* p. 332). — 7) *Rot.* Thesaurus utique i. e. Christus; *Port.* Thesauro autem qui est Christus. — 8) *Cnt.* cnt. 3, 3. Locus non invenitur in *Vers. Ant.*, at in *Ms. S. Theoder.*: inveni custodes, qui custodiunt civitatem: num quem etc. In *Vulg.* Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. In *Graecis*: *Ἐυροσάν με οἱ τηροῦντες, οἱ κυκλοῦντες ἐν τῇ πόλει*. — 9) *Rot.* custodiunt. — 10) *Barc.* lacunas habet: qui hanc praelegis magna. — 11) *Barc.* circumeuntes vesti ergo custodes et inquisitores. — 12) *Rot.* sciscitores, *Port.* circuitores. — 13) *Rot.* quando ipsi interrogantibus magis; *Barc.* quando dixerunt interrogati magis. — 14) *responderunt* in solo *Rot.* est. — 15) *eum* deest in *Barc.* propter lacunam. — 16) *Cnt.* cnt. 3, 4. *Vers. Ant.* Quam modicum fuit cum transivi ab ipsis. — 17) *Barc.* Denique inquit transivi Quid. *Rot.* Denique eum modicum, inquit, pertransivi ab eis. — 18) *Rot.* grande. — 19) *Rot.* suam. — 20) *Rot.* et *Port.* venerabilem. — 21) Ecclesia deest in *Barc.*; in *Port.* autem: tunc enim eum invenit ecclesia, quem etc. — 22) Lacuna est in *Barc.*, ubi apostoli deest. — 23) *Cnt.* cnt. 3, 4. *Vers. Ant.* donec inveni quem dilexit anima mea: tenui eum et non relinquam. Conferatur: *Ambros.* de Isaac 5: Quam modicum cum transivi ab eis, inveni eum, tenui eum et non dimisi eum. — 24) *Rot.* ipse. — 25) *Rom.* 8, 35 ex *Vers. Ant.* — 26) *Cnt.* cnt. 3, 4. *Vers. Ant.* Donec introducam eum etc.; porro cubiculum pro secretum. At *Ambrosius* multis locis habet secretum. — 27) *Port.* omittit ejus, quod idem verbum deest in *Barc.*, ubi tamen ob lacunam. — 28) *Port.* addit est.

bat. Jam ostendi¹⁾ superius, quid esset Ecclesia i. e. corpus Christi ex convenientibus membris. Mater ergo Ecclesiae est sancta Jerusalem civitas,²⁾ de qua Apostolus Paulus dicebat: *illa*,³⁾ inquit, *quae sursum est coelestis Jerusalem ipsa est mater nostra*. Illa ergo coelestis Jerusalem quae est⁴⁾ mater Ecclesiae i. e. nostra qui sumus ecclesia⁵⁾ misit nobis Christum, quem in baptismo induimus. Sicut Apostolus ait: *Quicumque*⁶⁾ *in Christo baptizati estis, Christum induistis*. In⁷⁾ antiqua Christus, in secreto synagogae. Quia et Christus in Ecclesia et Ecclesia in Christo manet. Nec quisquam in illa domo coelestis Jerusalem⁸⁾ ingredi potest, nisi in se Christum⁹⁾ habuerit et eum inseparabili caritate¹⁰⁾ tenuerit.

Et addidit:

In secretum ejus quae me concepit. Quid est hoc secretum matris nostrae Jerusalem coelestis nisi illud, de quo Apostolus dicit: *quae*¹¹⁾ *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt eum*. Sicut autem mater est Jerusalem coelestis Ecclesiae,¹²⁾ quia illa antiquior¹³⁾ est, haec posterior in terris, in illa plenitudo spiritus et repraesentatio rerum, in hac portio et arrha gratiae coelestis. *Modo*,¹⁴⁾ inquit Apostolus, *arram spiritus accepimus, tunc plenitudinem, modo ex parte, tunc totum, modo videmus in aenigmate*,¹⁵⁾ *tunc facie ad faciem*. Arrham¹⁶⁾ enim hanc illa plenitudo generavit et portionem¹⁷⁾ istam summa illa concepit Jerusalem. Jerusalem etenim coelestis, quae est mater nostra,¹⁸⁾ Ecclesiam hanc ex aqua et spiritu¹⁹⁾ generavit in terris quam²⁰⁾ in futuro seculo in semetipsa²¹⁾ est receptura [in coelum].²²⁾

EXPLICIT. 23)

1) Ostendi deest in *Barc.* ob lacunam. — 2) Civitas in solo *Barc.*; at *Port.* et *Rot.* legunt: sancta coelestis Jerusalem, de qua etc. — 3) Gal. 4, 26. *Vers. Ant.* Quae autem sursum est Hierusalem libera est, quae est mater nostra. — 4) Lacuna est in *Barc.*, ubi verba quae est desunt. — 5) Ob lacunam deest *ecclesia* in *Barc.* — 6) Gal. 3, 27. *Vers. Ant.* Quicumque enim in etc. *Tertull.* et *Cyprian.* legunt: Quotquot. — 7) *Rot.* Itaque qui habet in se Christum Deus in secretum cordis ejus ingreditur, quia et Christus. *Port.* In antiqua Christus, in secreta Deus ingreditur; quia etc. — 8) Verba coelestis Jerusalem ob lacunam desunt in *Barc.* — 9) Nova lacuna in *Barc.*, quare Christum non legitur. — 10) Caritate pariter deest in *Barc.* ob lacunam. — 11) 1 Cor. 2, 9. *Vers. Ant.* Quod oculus non vidit nec auris audivit et in cor hominis non ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus eum. *Tertull.* (de resur. l.) Quae nec oculus vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. *Cyprian.* (in Psalm 64) Quod nec oculus etc., itaque prorsus consentit cum lectione, quam in verborum textu habemus. — 12) *Barc.* et *Rot.* Ecclesia. — 13) *Barc.* antiquior posterior coelestis modo. — 14) Respicit ad 1 Cor. 13, 11. 12. — 15) *Port.* modo in speculum in enigmate. *Rot.* in enigmate et speculo. — 16) *Barc.* Arae; *Rot.* Aram hanc; *Port.* Partem enim hanc. — 17) *Barc.* (sine et) portione istam. — 18) *Barc.* et *Rot.* Ecclesia; *Port.* om. nostra. — 19) *Barc.* ex aqua et spiritu; *Port.* ex qua et spiritu. — 20) quam deest ob lacunam in *Barc.*; *Port.* quem legit. — 21) *Barc.* in semetipsa ... receptura. *Rot.* in semetipso est receptura. — 22) in coelo in solo *Port.* invenitur. — 23) *Port.* Explicit Liber Quintus. *Rot.* Explicit explanatio Beati Gregorii Eliebertiani episcopi in canticis canticorum.

B. COMMENTARIUS GREGORIO MAGNO ADSCRIPTUS.

Satis notum est, viros prudentes in iudicando et doctos Gregorio Magno abjudicasse commentarium Cantici Canticorum, quem Maurini sub ejus nomine ad lucem dederunt, neque dubitabant, quin hujus doctoris crederent opus, Mabillon, Ceillier, alii. Quibus tamen haud invalida opposuerunt argumenta cum Gussanvillaeus censura hujus commentarii praefixa tertio volumini operum Gregorii Magni, quae ipse Parisiis anno MDCLXXV edi curavit, tum Casimirus Oudinus (de script. eccl. tom I. pag. 1495), qui quaestionem solvit allegans legitimum illius auctorem, Robertum quendam Abbatem seculi duodecimi. Neque tamen infirmis argumentis nitentem Monachi Ordinis S. Benedicti in nova Gregorii operum editione, quae Parisiis prodiit anno MDCCV, sententiam protulerunt, commentarium ab Oudino editum non genuinum esse, ut deperditus videretur ipse Gregorii liber. Jam vero si libris manuscriptis fidem habemus, opus, quod sequitur, fragmentum est hujus commentarii amissi. Illud a me perscriptum est primum Barcinone e codice LII coenobii Ripulensis quem in adnotationibus textus verbis adscriptis **d** nomino. Qui liber decimo aut undecimo seculo scriptus est, et quidem secundum notam quandam operis principio nobis obviam a Guifredo sanctae Dei genitricis Mariae monacho; primum enim continet Gregorii vitam Johanni Papae ab Johanne Levita dedicatam eamque quatuor libris conscriptam; deinde duas partes Gregorii homiliarum de Ezechiele compositarum; porro idem continet fragmentum, quod exhibeo; in ultima denique pagina hymnum, cui notae musicae additae sunt, in Caeciliam sanctam scriptum, quales hymnos et psalmos ad rem non pertinentes saepius in primis et ultimis codicum paginis invenimus. Nec non reperimus libri manuscripti locos, qui nudi relictos erant, nunc perscriptos variis adnotationibus nullius pretii. Quo libro jam exscripto, Marchal, Bruxellis manuscriptorum bibliothecae praefectus, qua est eximia humanitate Vir Cl., tres alias ejusdem fragmenti membranas inspiciendas mihi tradidit. Harum prima, ¹⁾ in bibliotheca No. 2761 notata et a me littera **a** laudata, illam Ripulensem aetate aequat; nam nono aut decimo seculo scripta est. Recentior est altera, ibi numero 15,127 notata, quam littera **b** insignivi; in eadem, seculo undecimo scripta, fragmentum illud sequitur alius commentarius in canticum canticorum confectus, qui inscribitur: „Incipit cantica canticorum i. e. Sirassirim,“ et a nonnullis versibus incipit:

1) Infra codicis litterarum imaginem tibi praebeo.

Hunc cecinit Salomon mira dulcedine librum
 Qui tenet egregias sponsi sponsaeque cemenas
 etc. etc.

Quos versus excipit explicatio cujus initium est: „*Osculetur me osculo oris sui: Vox antiquae ecclesiae visionem atque reconciliationem sponsi sui ad dominum postulantis* etc.“ — Tertius codex, ¹⁾ qui Bruxellis a me collatus est, seculo duodecimo scriptus, ibi No. 4890, a me **c** insignitus est. Foliis ejus non recte inter se connexis, factum est, ut post illud a me editum fragmentum, non ut in reliquis codicibus, sermo finia-
 tur, sed uno tenore continuetur: „*Pulchrae sunt genae tuae sicut turtur. Turtur postquam parem suam* etc.“ — Quae continuatio, cujus initium modo a me consignatum est, nullum aliud opus est, nisi quod in editionibus Gregorio adtribuitur; idque in octo libros divisum haec verba infra scripta habet: „Explicit favente Deo expositio beati Gregorii Papae super cantica canticorum Salomonis regis Israel.“ — Post haec leguntur: „Incipiunt flores cantici canticorum, quos Paterius excerpsit ex libris beati Gregorii Papae. *Osculetur me osculo oris sui.* Potest per os Dei unigenitus filius designari etc.“ — Ita infra octo capita, quae exhibentur, scripta sunt, verba: „Expliciunt flores cantici canticorum,“ sequuntur: „Incipit prologus sancti Hieronimi presbyteri in transferendis de graeco in latinum duobus tractatibus Origenis in Epithalamicis. Beatissimo Papae Damaso Hieronimus! Origenes cum in ceteris libris etc.“ — Finitur codex libello de conflictu vitiorum atque virtutum, qui ibidem Ambrosio Mediolanensi adtribuitur. — Denique etiam Cod. 3003 bibliothecae Bruxellensis idem fragmentum continet una cum continuatione, cujus modo memini, in octo libros divisa. At quum liber seculo demum quinto-decimo ex eo, quem supra nominavi, exscriptus videatur, neque lectio-num varietatem, si nonnullos scribendi errores exceperis, habeat, eum non accuratius contuli.

INCIPIT SUPER CANTICA CANTICORUM GREGORII PAPAE.²⁾

Postquam a paradisi gaudiis expulsum est genus humanum in istam peregrinationem vitae praesentis veniens caecum cor ab spiritali intellectu habet. Cui caeco cordi si diceretur³⁾ sequere Deum vel dilige⁴⁾ eum, sicut ei in lege dictum est, semel foris missum et per torporem

1) Diagraphas scripturae infra videbis.

2) a. In nomine Domini incipit expositio in canticis canticorum a capite de Exda relevata Domino Gregorio Papae urbis Romae libri duo. Incipit Primus. b. In nomine Domini incipit expositio in cantica canticorum ec... Gregorii Papae. c. In Christi nomine incipit expositio beati Gregorii Papae super canticum canticorum Salomonis regis Israel. — 3) a. b. si diceretur voce divina: sequere; c. humana pro divina. — 4) b. diligere.

infidelitatis ¹⁾ frigidum, non caperet quod audiret. Idcirco per quaedam aenigmata sermo divinus animae torpenti et frigidae loquitur, et de rebus quas novit latenter insinuat ei amorem quem non novit. Allegoria enim ²⁾ animae longe a Deo infra ³⁾ positae quasi quandam machinam facit, ut per illam levetur ad Deum. Interpósitis quippe aenigmatibus, dum quiddam ⁴⁾ in verbis cognoscit, quod suum est in sensu verborum, intelligit, quod non est suum, et per terrena verba sperantur ⁵⁾ aeterna. Per hoc enim, quod non abhorret cognitum, intelligit quiddam incognitum. Rebus enim nobis notis, per quas allegoriae conficiuntur ⁶⁾ sententiae divinae vestiuntur, ⁷⁾ et dum recognoscimus exteriora verba pervenimus ad interiorum intelligentiam. Hinc ⁸⁾ est quod in hoc ⁹⁾ qui in canticis canticorum conscriptus est sermone amoris quasi corporei verba ponuntur, ut a torpore suo anima per sermones suae consuetudinis refricata recalescat, et per verba amoris qui infra est, excitetur ad amorem qui supra est. Nominantur enim in hoc libro oscula, nominantur ubera, nominantur genae, nominantur femora. In quibus verbis non irridenda est sacra descriptio, sed major Dei misericordia consideranda est, quae dum membra corporis nominat et sic ad amorem vocat, notandum est quam mirabiliter nobiscum et misericorditer operatur, qui ut cor nostrum ad instigationem sacri amoris accenderet usque ad turpis amoris nostri verba descendit. Sed unde se loquendo humiliat, inde nos intellectu exaltat, quia ex sermonibus huius amoris discimus, qua virtute in ¹⁰⁾ divinitatis amore ferveamus. Hoc autem nobis sollerter intuendum est, ne cum verba exterioris amoris audimus, ad exteriora sentienda ¹¹⁾ remaneamus, et machina, quae ponitur ut levet, ipsa magis opprimat ne levemur. Debemus enim ¹²⁾ in verbis istis corporeis, in verbis exterioribus quicquid interius est quaerere, et loquentes de corpore quasi extra corpus ¹³⁾ fieri. Debemus enim ad has sacras nuptias sponsi et sponsae cum intellectu intimae caritatis i. e. cum veste venire nuptiali. ¹⁴⁾ Nisi vesti nuptiali, i. e. digna caritatis intelligentia, non induimur, ab hoc nuptiarum convivio in exteriores tenebras, i. e. in ignorantiae caecitatem, repellimur. Debemus per haec verba passionis transire ad virtutem ¹⁵⁾ impassibilitatis. Sic est enim scriptura sacra in verbis et sensibus sicut pictura in coloribus et rebus, et nimis stultus est qui sic coloribus picturae ¹⁶⁾ inhaeret ut res quae pictae sunt ignoret. Nos enim si verba quae exterius dicuntur amplectimur et sensus ignoramus, quasi ignorantes res quae depictae sunt solos colores tenemus. Littera occidit, ¹⁷⁾ scriptum est, spiritus autem vivificat. Sic enim littera cooperit spiritum sicut palea tegit frumentum; sed ¹⁸⁾ jumentorum est paleis vesci, hominum frumentis. Qui ergo humana ratione utitur, jumentorum paleas abjiciat et frumenta spiritus edere festinet. Ad hoc quippe utile ¹⁹⁾ est ut

1) b. d. insensibilitatis. — 2) b. om. — 3) a. c. om. — 4) c. quoddam cognoscit in verbis. — 5) a. c. separatur a terra. — 6) a. constituntur. — 7) b. vertuntur. — 8) b. Hic; a. c. Hinc est enim quod. — 9) a. b. c. in hoc libro (at postea deest sermone). — 10) d. om. — 11) b. sentiendo. — 12) c. ergo. — 13) a. interponit post corpus verbum post; c. fieri debemus. Ad has etc. — 14) a. c. venire nuptiali necesse est, ne si vestis etc. — 15) c. ad virtutem transire. — 16) a. c. picturae coloribus. — 17) d. interponit sicut. — 18) a. om. sed jumentorum usque ad frumentis; c. si pro sed. — 19) a. c. utilis.

mysteria litterae involueris¹⁾ tegantur, quatenus sapientia requisita plus sapiat.²⁾ Hinc enim scriptum est: Sapientes abscondunt intelligentiam; quia nimirum sub tegmine³⁾ litterae spiritalis intelligentia cooperitur. Hinc rursum in eodem libro dicitur:⁴⁾ Gloria Dei celare verbum. Menti enim Deum quaerenti tanto⁵⁾ Deus gloriosius apparet quanto subtilius atque interius investigatur ut appareat. Sed numquid quod in mysteriis Deus celat, nos requirere non debemus? Debemus utique, nam sequitur: Et gloria regum investigare sermonem. Qui enim jam corpora sua vel motus carnis regere et investigare noverunt, reges sunt. Regum ergo⁶⁾ gloria est, investigare sermonem, quia bene viventium laus est perscrutari secreta mandatorum.⁷⁾ Humanae⁸⁾ ergo conversationis verba audientes,⁹⁾ quasi extra homines esse debemus, ne si¹⁰⁾ humaniter quae dicuntur audimus, nihil divinitatis de his quae audire debemus sentire possimus. Quasi jam non homines esse desiderabat Paulus discipulos suos, quibus dicebat: cum enim sint inter vos zelus et contentio nonne homines estis? quasi non jam¹¹⁾ aestimabat homines¹²⁾ discipulos suos Dominus¹³⁾ cum dicebat: Quem¹⁴⁾ me dicunt homines esse filium hominis? Cui cum verba hominum respondissent, ilico¹⁵⁾ adjunxit: vos autem quem¹⁶⁾ me esse dicitis? Cum enim super¹⁷⁾ dicit homines, ac deinde subjungit: vos autem etc., inter homines et discipulos quandam distantiam fecit; quia videlicet divina eis insinuans jam eos supra homines faciebat. Ait¹⁸⁾ apostolus: si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt; et scimus quia in resurrectione nostra ita corpus spiritui adnectetur ut omne quod fuerat passionis in virtute spiritus assumatur. Is ergo qui Deum sequitur imitari debet quotidie resurrectionem suam, ut sicut tunc nichil passibile habebit in corpore, ita nunc¹⁹⁾ nichil passibile habeat in corde, ut secundum interiorem hominem jam nova creatura sit. Jam quicquid vetustum sonuerit²⁰⁾ calcet et in verbis veteribus solam vim novitatis inquirat. Scriptura enim sacra mons quidam est, de quo in nostris cordibus ad intelligendum Dominus venit. De quo monte per prophetam dicitur: Deus a Libano veniet et sanctus de monte umbroso et condenso. Iste mons et²¹⁾ condensus est per sententias et umbrosus per allegorias. Sed sciendum est, quia cum vox Domini in monte sonat, vestimenta lavare praecipimur et²²⁾ ab omni iniquatione carnis²³⁾ mundari, si ad montem accedere festinamus. Scriptum quippe est, quia si²⁴⁾ bestia tetigerit montem²⁵⁾ lapidabitur. Bestia enim tangit montem quando inrationabilibus motibus²⁶⁾ dediti scripturae sacrae celsitudini propinquant, et non eam secundum quod debent intelligunt sed inrationabiliter ad suae voluptatis intelligentiam flectunt. Omnis enim absurdus vel sensu piger, si circa hunc montem visus fue-

1) c. involuta. — 2) d. suscipiat veteri emendatione in sapiat mutatum. — 3) c. tegmine, a. regimine. — 4) c. scriptum est pro dicitur. — 5) c. tanto gloriosius Deus apparet; a. quanto pro tanto. — 6) b. om. — 7) a. b. c. addunt Dei. — 8) b. Humanae. — 9) d. audienda sunt. — 10) b. nisi. — 11) c. jam non. — 12) a. esse interponit. — 13) a. b. c. om. — 14) a. c. quem dicunt; b. quae dicunt. — 15) b. illuc. — 16) a. quem me dicitis; b. quae me dicitis. — 17) c. supra; d. superius. — 18) c. ut ait apostolus. — 19) a. tunc. — 20) c. fuerat pro sonuerit. — 21) b. om. — 22) a. i. e. pro et. — 23) a. carnis iniquatione. — 24) d. etsi. — 25) a. om. lapidabitur usque ad verba tangit montem. — 26) b. mentibus.

rit, atrocissimis sententiis veluti lapidibus necatur. Ardet enim mons iste quia scriptura sacra¹⁾ videlicet quem spiritualiter replet amoris igne succendit. Unde scriptum est: ignitum eloquium tuum. Unde cum verba Dei audirent²⁾ quidam in via ambulantes dixerunt: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis cum aperiret nobis scripturas? Unde per Moysen dicitur: in dextra ejus ignea lex. Sinistra Dei iniqui accipiuntur, qui in dextra parte non transeunt. Dextra Dei electi sunt, qui a sinistris³⁾ separantur. In dextra ergo Dei lex ignea est, quia in electorum cordibus, qui ad dexteram ponendi sunt, flagrant praecepta divina,⁴⁾ et caritatis ardore succensa⁵⁾ sunt. Iste ergo ignis quicquid in nobis est exterius rubiginis et vetustatis exurat ut mentem nostram velut holocaustum in Dei contemplatione offerat. Nec vacue attendendum est quod liber iste non canticum, sed canticum canticorum vocatur. Sicut enim in veteri testamento alia sunt sancta et alia⁶⁾ sancta sanctorum. alia sabbata et alia sabata sabatorum, ita in scriptura sacra alia sunt cantica et alia cantica canticorum. Sancta erant⁷⁾ in tabernaculo et quae exterius agebantur; sabata erant quae singulis hebdomadibus celebrabantur; sed sancta sanctorum secretiori quadam veneratione suscipiebantur, et sabata sabatorum nonnisi in suis festivitatibus colebantur.⁸⁾ Ita canticum canticorum secretum quoddam et sollemne interius est; quod secretum in occultis intelligentiis penetratur. Nam si exterioribus verbis attenditur, secretum non est. Sciendum est etiam, quia in scriptura sacra alia sunt⁹⁾ cantica victoriae, alia cantica exhortationis et contestationis,¹⁰⁾ alia cantica exultationis, alia cantica adjutorii, alia cantica conjunctionis cum Deo. Canticum victoriae est, quod¹¹⁾ Maria transacto mari rubro cecinit, dicens: cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est, equum et ascensorem projecit in mare. Canticum exhortationis et contestationis est quod Moyses Israelitis ad terram promissionis propinquantibus dixit: attende coelum et loquar, et audiat terra verba ex ore meo. Canticum exultationis est quod Anna perspecta foecunditate ecclesiae,¹²⁾ in semetipsa cecinit dicens: exultavi cor meum in Domino: ubi¹³⁾ per semetipsam figurate¹⁴⁾ foecunditatem prolis ecclesiasticae expressit cum dicit: Sterilis peperit plurimos et quae multos habebat filios infirmata est. Canticum adjutorii David¹⁵⁾ post proelium cecinit dicens: Diligam te Domine virtus mea. Canticum vero conjunctionis cum Deo h. e. canticum¹⁶⁾ quod in nuptiis sponsi et sponsae canitur vel est¹⁷⁾ canticum canticorum. Quod tanto est omnibus canticis sublimius quanto et in nuptiarum¹⁸⁾ sollemnitate sublimius offertur. Per illa enim cantica vitia devitantur, per ista vero unusquisque virtutibus locupletatur. Per illa cavetur hostis, per haec Dominus familiari amore complectitur. Et notandum quia aliquando se Dominus in scriptura sacra Dominum vocat, aliquando patrem, aliquando sponsum. Quando enim vult se timeri, Dominum se

1) d. om. — 2) a. ponit audirent post ambulantes; c. audirent quid in via. — 3) d. quum a sinistra separantur. — 4) c. divina praecepta. — 5) c. succensi. — 6) a. om. — 7) c. quae in tabernaculo et quae exterius. — 8) c. celebrabantur. — 9) c. quia alia sunt in scriptura sacra. — 10) d. om. et contestationis. — 11) b. quando. — 12) a. om. in semetipsum usque ad figurate. — 13) d. ubi. — 14) b. infigurata, c. figurata. — 15) c. est quod David. — 16) c. om. — 17) b. c. d. id est. — 18) a. et quanto innupta sollemnitate sublimioris offertur; c. quanto et in nuptiis.

nominat; quando vult honorari patrem; quando vult amari sponsum. Ipse per prophetam dicit: Si Dominus ego sum, ubi est timor meus; si pater ego sum, ubi est honor meus? Et rursum dicit: desponsavi te mihi in iustitia, vel certe recordatus sum¹⁾ diei desponsationis tuae in deserto. Et quidem²⁾ apud Deum, quando et quando non est; sed quia prius timeri se vult ut honoretur et prius honorari ut ad ejus amorem perveniat,³⁾ et Dominum se propter timorem nominat et patrem propter honorem,⁴⁾ et sponsum propter amorem, ut per timorem veniat ad honorem,⁵⁾ per honorem vero ejus veniat⁶⁾ ad amorem.⁷⁾ Quanto ergo dignius⁸⁾ est honor quam timor, tanto plus gaudet Deus pater dici quam Dominus.⁹⁾ Et quanto carius est amor quam honor, tanto plus gaudet Deus sponsus dici quam pater. In hoc ergo libro Dominus et ecclesia non Dominus et ancilla, sed sponsus nominatur et sponsa, ut non soli timori, non¹⁰⁾ soli reverentiae, sed etiam amoris deserviat, et in¹¹⁾ verbis exterioribus incitetur affectus interior. Cum se Dominum nominat, indicat quod creati sumus; cum se patrem nominat, indicat quod adoptati; cum se sponsum nominat, indicat quod conjuncti. Plus autem est conjunctos esse Deo quam creatos et adoptatos. In hoc ergo libro ubi sponsus dicitur aliquid sublimius insinuat, dum in eo foedus conjunctionis ostenditur. Quae nomina in testamento novo quia jam aperta¹²⁾ conjunctio verbi et carnis, Christi et ecclesiae, celebrata est, frequenti iteratione memorantur. Unde Johannes dicit Domino veniente: qui habet sponsam sponsus est.¹³⁾ Unde idem Dominus dicit: non jejunabunt filii sponsi quamdiu cum illis est sponsus. Unde ecclesiae dicitur: desponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Et rursum: Ut exhiberet sibi¹⁴⁾ gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam. Et rursum in Apocalypsi Johannes: Beati¹⁵⁾ qui ad coenam nuptiarum agni vocati sunt. Et rursum ibidem: et vidi sponsam quasi novam nuptam descendentem de coelo.

Neque hoc a magno mysterio abhorret quod liber iste Salomonis tertius in opusculis ejus ponitur. Veteres enim tres vitae ordines esse dixerunt: moralem, naturalem et contemplativam, quas Graeci vitas ethicam, fisicam, theoricam nominaverunt. In proverbii itaque¹⁶⁾ moralis vita exprimitur,¹⁷⁾ ubi dicitur: Audi fili mi sapientiam meam et prudentiae meae inclina aurem tuam. In ecclesiaste vero naturalis; ibi quippe quod omnia ad finem tendant consideratur, dum¹⁸⁾ dicitur: vanitas vanitatum, et omnia vanitas. In canticis vero canticorum contemplativa vita exprimitur¹⁹⁾ dum in eis ipsius Domini adventus et aspectus desiderantur, cum sponsae²⁰⁾ voce dicitur: Veni de Libano, veni. Hos²¹⁾ etiam ordines trium²²⁾ patriarcharum vita signavit, Abraham, Ysaac videlicet et Jacob. Moralitatem quippe Abraham obediendo²³⁾ tenuit, Ysaac vero naturalem vitam puteos fodiendo figuravit. In imo enim puteos

1) a. recordatis. — 2) d. Equidem. — 3) c. ut ad eum perveniat, Dominum se. — 4) a. et propter patrem honorem. — 5) a. amorem. — 6) d. om. — 7) a. om. per honorem usque ad amorem. — 8) d. dignus. — 9) c. pater quam Dominus dici. — 10) c. nec. — 11) a. c. in his verbis. — 12) a. c. peracta. — 13) Haec tota enuntiatio deest in a. — 14) a. om. — 15) c. Beati inquit qui. — 16) a. quoque. — 17) a. reprimitur. — 18) a. c. cum. — 19) a. c. reprimitur. — 20) c. sponsi. — 21) c. Vel. — 22) a. om. — 23) c. per obedientiam.

fodere est per considerationem naturalem omnia quae infra sunt perscrutando rimari. Jacob vero contemplativam vitam tenuit, qui ascendentes et descendentes ¹⁾ angelos vidit. Sed quia naturalis consideratio ad perfectionem non perducitur, ²⁾ nisi prius moralitas teneatur, recte post proverbia ecclesiastes ponitur. ³⁾ Et quia superna contemplatio non conspicitur nisi prius haec infra labentia despiciantur, recte post ecclesiastem canticum canticorum ponitur. ⁴⁾ Prius quippe est mores componere, postmodum omnia quae adsunt tanquam non adsint considerare, tertio vero loco munda cordis acie superna et interna conspiciere. His itaque librorum gradibus quasi quandam ad contemplationem Dei scalam fecit, ut dum primo in seculo bene geruntur honesta, postmodum etiam honesta seculi despiciantur, ad ⁵⁾ extremum etiam Dei intima conspiciantur. Sic autem generaliter ex voce ecclesiae adventus Domini in hoc opere praestolatur, ut etiam, ⁶⁾ specialiter unaquaeque anima ingressum Dei ad cor suum tanquam aditum ⁷⁾ sponsi in thalamum aspiciat. ⁸⁾ Et sciendum quia in hoc libro quatuor personae loquentes introducuntur, sponsus videlicet et sponsa; adolescentulae vero cum sponsa, et greges sodalium cum sponso. Sponsa enim ipsa perfecta ecclesia est; sponsus Dominus; adolescentulae vero cum sponsa sunt inchoantes animae et per novum studium pubescentes; sodales vero ⁹⁾ sponsi sunt sive angeli qui saepe hominibus ab ipso venientes apparuerunt, seu certe perfecti quique viri in ecclesia, qui veritatem hominibus nuntiare noverunt. Sed ii qui singillatim adolescentulae vel sodales sunt tot simul sponsa sunt, quia tot simul ecclesia sunt. Quamvis et juxta unumquemque tota haec tria nomina accipi possunt, nam qui Deum jam perfecte amat, sponsa est; qui sponsum praedicat, sodalis est. Qui adhuc novellus viam bonorum sequitur, adolescentula est. Invitatur ergo ¹⁰⁾ ut simus sponsae; si hoc necdum praevalemus, simus sodales; si neque hoc adepti sumus, saltem ad hunc thalamum adolescentulae conveniamus. Quia igitur sponsum et sponsam, Dominum et ecclesiam diximus, velut adolescentulae, velut sodales audiamus verba sponsi, audiamus verba sponsae, et in eorum sermonibus fervorem discamus amoris!

Itaque sancta ecclesia diu praestolans adventum Domini, diu sitiens fontem vitae, quomodo optet videre praesentiam ¹¹⁾ sponsi sui, quomodo desideret, edicat: ¹²⁾

Osculetur me osculo ¹³⁾ *oris sui.* Angelos ad eam Dominus, patriarchas ad illam, et prophetas miserat, spiritalia dona deferentes; ipsa vero munera non per servos sponsi sed per ¹⁴⁾ ipsum jam sponsum percipere quaerebat. Ponamus ante oculos omne genus humanum, ab exordio mundi usque in finem mundi, ¹⁵⁾ totam videlicet ¹⁶⁾ ecclesiam unam esse sponsam, quae arras ¹⁷⁾ spiritali dono per legem perceperat, sed tamen sponsi sui praesentiam quaerebat, quae dicit: osculetur me osculo ¹⁸⁾ oris sui. Suspirans enim sancta ecclesia pro ¹⁹⁾ adventu mediatoris

1) d. om. et descendentes. — 2) c. perducit. — 3) a. ponit. — 4) c. cantica canticorum ponuntur. — 5) b. c. et ad extremum. — 6) a. via. — 7) d. om. — 8) c. conspiciat. — 9) c. quoque. — 10) d. om. — 11) a. praesentiam Dei sponsi sui. — 12) b. et dicat. — 13) d. osculis. — 14) a. om. — 15) c. om. — 16) d. om. — 17) a. ardens, b. arrhis. — 18) a. d. osculis. — 19) b. om. pro usque ad hominum.

Dei et hominum, pro adventu redemptoris sui, ad patrem ¹⁾ verba ²⁾ orationis ³⁾ fecit, ut filium dirigat, et sua illam praesentia inlustret, ut eidem ecclesiae non jam per ora prophetarum sed suo ore allocutionem faciat. Unde et de eodem sponso in evangelio scriptum est, cum sederet in monte et sublimium praeceptorum verba faceret: Aperiens autem Jesus os suum, dixit etc.; acsi dicatur: tunc os suum aperuit qui prius ad exhortationem ⁴⁾ ecclesiae aperuerat ora prophetarum.

Sed ecce cum suspirat, cum quasi absentem quaerit, subito intuetur praesentem! Habet enim ⁵⁾ hoc gratia creatoris nostri, ut cum de illo quaerentes eum ⁶⁾ loquimur, ejus praesentia ⁷⁾ perfruamur. Unde in evangelio scriptum est, quia dum Cleophas et alius de illo in itinere verba facerent, praesentem eum subito videre meruerunt. Dum ergo sancta ecclesia incarnandum sponsum adhuc absentem desiderat, subito intuetur praesentem atque subjungit:

Quia meliora sunt ubera tua vino et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Vinum fuit scientia legis, scientia prophetarum; sed veniens Dominus quia sapientiam suam ⁸⁾ per carnem voluit praedicare, quasi fecit eam in carnis ubera lactescere, ut quam ⁹⁾ in divinitate sua capere minime poteramus, in incarnatione ejus ¹⁰⁾ agnosceremus. Unde non immerito ejus ubera laudantur, quia praedicationis ejus condensio hoc egit in cordibus nostris quod doctrina legis agere minime valuit. Plus enim nos nutrit incarnationis ¹¹⁾ praedicatio quam legis doctrina. Dicat ergo: meliora sunt ubera tua super vinum; quod adhuc confirmans subjungit ac dicit: et odor unguentorum super omnia aromata. Unguenta Domini virtutes sunt. Unguentum Domini Spiritus Sanctus fuit, de quo ei per prophetam dicitur: Unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis. Hoc oleo tunc unctus est, cum incarnatus; non enim prius homo extitit, et postmodum Spiritum Sanctum accepit, sed quia Spiritu Sancto mediante incarnatus est, eodem hoc oleo tunc unctus est cum homo creatus est. Odor ergo unguenti ejus est flagrantia Spiritus Sancti, qui ex illo procedens in illo permansit. Odor unguentorum ejus est flagrantia virtutum, quas operatus est. Habuit ¹²⁾ autem a ¹³⁾ ecclesia aromata, quia habuit multa Spiritus dona, quae in domo Dei i. e. in congregatione sanctorum odorem bonae opinionis redderant ¹⁴⁾ et suavitatem futuri mediatoris nuntiarent. Sed odor unguentorum tuorum super omnia aromata, quia flagrantia virtutum sponsi quae per incarnationem ejus facta est, vicit praedicamenta legis, quae in arris a sponso ¹⁵⁾ fuerant praerogata. Tanto quippe amplius ad intellectum crevit ¹⁶⁾ ecclesia, quanto et amplioris visionis gratia meruit inlustrari. Illa legis aromata per angelos ministrata ¹⁷⁾ sunt, istud unguentum per praesentiam sponsi ¹⁸⁾ datum ¹⁹⁾ est. Sed quia claritate ejus praesentiae superata sunt bona legis, quae sublimia esse credebantur, dicitur recte: odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Hoc

1) d. om. ad patrem. — 2) c. om. — 3) c. orationem. — 4) b. ab exhortatione. — 5) c. om. — 6) c. ei. — 7) b. praesentiam. — 8) c. om. — 9) a. quam enim. — 10) b. om. — 11) c. incarnationis ejus. — 12) a. Auriat, c. Hauriat. — 13) b. d. om. — 14) a. reddiderunt. — 15) a. b. ab sponso, d. absconsae. — 16) b. credit. — 17) a. ministrata. — 18) c. om. — 19) a. data.

autem quod generaliter de cuncta ecclesia diximus, nunc specialiter de unaquaque anima sentiamus. Ponamus ante oculos esse animam quandam donorum ¹⁾ studiis inhaerentem, intellectum vero ex aliena praedicatione percipientem, quae per divinam gratiam ipsa illustrari desiderat, ut aliquando etiam per se intelligat, quae nihil se intelligere nisi per verba praedicatorum considerat et dicat: osculetur me osculis oris sui; acsi dicat: ²⁾ ipse ³⁾ me tangat intus, ut cognoscam intelligentia ⁴⁾ et non jam praedicatorum vocibus, sed internae ⁵⁾ ejus gratiae tactu perfruar. Quasi osculo oris sui osculabatur Moysen Dominus, ⁶⁾ cum ei per fiduciam familiaris gratiae intellectum porrigeret. Unde scriptum est: si fuerit propheta, in somnio loquar ad eum et non sicut famulo meo Moysi; os enim ad os loquor ei. Os ⁷⁾ quippe ad os loqui quasi osculari est, et interna ⁸⁾ intelligentia mentem tangere. Sequitur: quia meliora sunt ubera tua vino. Ubera Dei sunt sicut prius diximus humillimae praedicationes ⁹⁾ incarnationis ejus. Sapientia autem seculi quasi quoddam vinum est. Debrat enim mentem, quia ab intellectu humilitatis alienam reddit; quasi quoddam vino debriantur philosophi, dum per secularem ¹⁰⁾ sapientiam vulgi morem transeunt. Quam sapientiam sancta ecclesia ¹¹⁾ despiciat et humillimam praedicationis dominicae incarnationem appetat. ¹²⁾ Plus ei sapiat quod per infirmitatem carnis ejus nutritur, quam quod mundus hic per elationem falsae prudentiae extollitur et dicat: quia meliora sunt ubera tua vino i. e. humillima incarnationis tuae praedicatione elatam mundi sapientiam superat. Unde scriptum est: quod infirmum est Dei, fortius est quam homines, et quod stultum est Dei sapientius est quam homines. Sed quia ipsi hujus seculi sapientes nonnunquam videntur quibusdam virtutibus studere, videas ¹³⁾ enim plerosque habere caritatem, servare mansuetudinem, honestatem exteriorem in omnibus exercere; quas tamen virtutes non ut Deo sed ut hominibus placeant exhibent, quae idcirco virtutes non sunt, quia Deo placere non appetunt. Olent tamen in humanis naribus, dum humano judicio bonam opinionem reddunt; sed comparentur haec vero odori redemptoris nostri, comparentur veris virtutibus et dicatur: et odor unguentorum tuorum super omnia aromata i. e. flagrantia virtutum tuarum omnem speciem virtutum sapientium mundi superat, quia videlicet fictas eorum imagines ex veritate transcendit. Quia secundo loco sentire hoc quod dictum est de unaquaque anima diximus, adhuc eundem sensum si possumus adjuvante Deo subtilius exequamur. Omnis anima quae timet Deum jam sub jugo ejus est, sed adhuc longe quia timet. Nam tantum quisque ad Deum prope fit, ¹⁴⁾ quanto poenam timoris amittit et gratiam de illo caritatis percipit. Ponamus ante oculos animam electi cujuslibet, quae continuo desiderio in amorem ¹⁵⁾ visionis sponsi accenditur, quia quod in hac vita perfecte percipere non valet contemplatur ejus celsitudinem, et ex ipso amore conjungitur. Ipsa enim compunctio, quae per caritatem fit,

1) c. bonorum. — 2) a. om. acsi dicat; c. i. e. — 3) b. ipsa. — 4) b. intelligentiam. — 5) a. interna ejus gratia et actu perfruar. — 6) c. om. — 7) c. Ore. — 8) a. in aeternam intelligentiam mentem tangere; c. internam intelligentiam mente tangere. — 9) a. om. — 10) c. per secularem vulgi amorem transeunt. — 11) a. sanctam ecclesiam. — 12) c. humillimam dominicae incarnationis praedicationem appellat. — 13) b. videmus. — 14) a. c. proficit. — 15) a. memorem.

quae ex desiderio accenditur, quasi quoddam osculum est. Toties enim anima osculatur Deum, quoties in ejus amore compungitur. Sunt enim multi qui jam quidem Dominum metuunt, jam in bonam¹⁾ operationem recipiunt, sed necdum osculantur, quia amore ejus minime compunguntur. Quod bene in convivio pharisaei signatum est, qui cum Dominum receperisset cumque osculanti²⁾ mulieri³⁾ pedes ejus in corde suo derogaret, audit: intravi in domum tuam, osculum mihi non dedisti; haec autem, ex quo ingressa est, non cessavit osculari pedes meos. Omnis qui jam elemosynas facit, qui jam bonis operibus studet, quasi Christum in convivium recipit, Christum pascit, quia eum in membris suis sustentare non desinit. Sed si nondum per amorem compungitur, adhuc ejus vestigia non osculatur. Praeponitur ergo pastori mulier quae osculatur, quia praeponitur exteriora sua danti⁴⁾ is qui ex⁵⁾ interno mentis ardore in desiderio Domini compungitur. Bene autem dictum est: non cessavit osculari pedes meos. Non enim sufficit in amore Dei semel compungi et quiescere, sed et compunctio esse debet et crebrescere. Unde mulier ideo⁶⁾ laudatur, quia osculari non destitit, i. e. compungi minime⁷⁾ cessavit. Unde⁸⁾ per prophetam dicitur: constituite diem sollempnem in confrequentationibus⁹⁾ usque ad cornu altaris. Dies sollempnis est Domino compunctio cordis nostri;¹⁰⁾ sed tunc in frequentatione¹¹⁾ dies sollempnis constituitur cum ad lacrimas prae amore Domini¹²⁾ assidue mens movetur. Cui, velut si diceremus quamdiu ista acturi sumus, quamdiu tribulationibus afficimur, illico terminum, quousque fieri debeat, subiunxit dicens: usque ad cornu altaris. Cornu quippe altaris est exaltatio sacrificii interioris, ubi cum pervenerimus jam¹³⁾ nequaquam necesse est, ut sollempnem diem Domino de nostra lamentatione faciamus. Anima ergo, quae jam per amorem compungi desiderat, quae jam contemplari visionem sponsi sui appetit dicat: osculetur me osculis¹⁴⁾ oris sui. Vel certe osculum oris ejus est ipsa perfectio pacis internae, ad quam cum pervenerimus, nihil remanebit amplius quod quaeramus. Unde et apte subiungitur: quia meliora sunt ubera tua vino. Vinum enim est scientia Dei, quam¹⁵⁾ in ista vita positi accipimus;¹⁶⁾ ubera autem sponsi tunc amplectimur,¹⁷⁾ cum eum in aeterna¹⁸⁾ patria jam per amplexum praesentiae contemplamur. Dicit ergo: meliora sunt ubera tua vino, acsi dicat: magna est quidem scientia quam de te mihi in hac vita contulisti, magnum est vinum notitiae tuae quo me debrias; sed ubera tua vino meliora sunt, quia tunc per speciem et per sublimitatem contemplationis transcenditur, quicquid de te modo per fidem scitur. Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Habet¹⁹⁾ hic sancta ecclesia aromata, dum virtute scientiae, virtute castitatis, virtute misericordiae, virtute humilitatis, virtute caritatis pollet. Si sanctorum vita odorem aromatatum ex virtutibus non haberet, Paulus non diceret: Christi bonus

1) b. bono. — 2) a. osculatos, b. osculati. — 3) a. a muliere. — 4) b. c. d. suadenti. — 5) a. in interno; b. qui externo; c. qui interno. — 6) b. in eo. — 7) c. minime compungi cessavit. — 8) a. b. Unde et. — 9) c. frequentationibus. — 10) c. om. — 11) b. in frequentatione. — 12) a. c. ejus. — 13) a. om. jam usque ad nihil. — 14) b. c. osculo. — 15) a. c. quia. — 16) a. c. accepimus. — 17) c. complectimur. — 18) b. eum interna. — 19) c. om. Habet usque ad aromata.

odor sumus¹⁾ in omni loco. Sed longe excellentior est illa unctio contemplationis²⁾ Dei ad quam quandoque ducendi sumus; longe excellentior est odor unguentorum Dei aromatibus virtutum nostrarum. Etsi jam magna sunt quae accepimus, valde tamen potiora sunt quae de contemplatione creatoris nostri accepturi sumus. Unde anhelet anima et dicat: odor unguentorum tuorum super omnia aromata i. e. illa bona quae per contemplationem tuam praeparas, ista omnia virtutum munera quae in hac vita tribuisti transcendunt. Dicamus huic ecclesiae, dicamus huic animae sic amanti, sic aestuanti³⁾ in amore sponsi sui, unde tantum desiderium perceperit, unde notitiam divinitatis ejus adprehenderit. Sed ecce unde ipsa exprimit et⁴⁾ dicit:

Unguentum effusum nomen tuum. Unguentum effusum est divinitas incarnata. Si enim fit unguentum in vasculo, odorem exterius minus reddit;⁵⁾ si⁶⁾ vero effunditur, odor effusi unguenti dilatatur. Nomen ergo Dei unguentum effusum est, quia ab immensitate divinitatis suae ad naturam nostram se exterius fudit, et ab eo quod est invisibilis se visibilem exhibuit⁷⁾ [per praesentiam assumptae carnis].⁸⁾ Si enim non se effunderet, nequaquam nobis innotesceret. Effudit⁹⁾ se unguentum cum se et Deum servavit et hominem exhibuit. De qua effusione Paulus dicit: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalis¹⁰⁾ Deo, sed semetipsum exinanivit,¹¹⁾ formam servi accipiens. Quod Paulus dixit: exinanivit, hoc Salomon dixit: effudit. Quia ergo humano generi Dominus per humilitatem incarnationis innotuit, dicatur ei: Unguentum effusum nomen tuum.

Sequitur: *Ideo adolescentulae dilexerunt te.* Quid hoc loco adolescentulas accipimus¹²⁾ nisi electorum animas per baptismum renovatas? Vita quippe peccati ad veterem hominem pertinet, vita justitiae ad novum. Quia ergo unguentum foras se effudit,¹³⁾ in amore suo adolescentulas ardentes fecit, quia renovatas animas desiderio suo flagrantem exhibuit. Puerilis aetas amori necdum congruit, senilis ab amore desinit.¹⁴⁾ Puer est qui vitae ardentis studium necdum cepit; senex est, qui ceperat quidem sed desiit. Quia ergo neque ii flagrant in Domino, qui necdum ceperunt, neque ii qui jam quidem¹⁵⁾ ceperant¹⁶⁾ sed frigerunt, postposita puerili vel senili vita¹⁷⁾ adolescentulae currere dicuntur i. e. illae animae, quae in ipso fervore amoris¹⁸⁾ sunt. Quod tamen intelligere et¹⁹⁾ aliter possumus. Potest enim adolescentia ad infirmitatem referri; juvenilis quippe aetatis²⁰⁾ sunt ordines²¹⁾ angelorum, qui nulla debilitate victi sunt, nulla infirmitate superati. Dicatur ergo: Unguentum effusum nomen tuum, ideo adolescentulae dilexerunt te i. e. quia per incarnationem tuam noticiam tuam exterius effudisti, idcirco infirmarum animarum naturam humanam diligere praevalent. Illae quippe virtutes

1) c. sumus Deo in. — 2) c. om. — 3) b. certanti. — 4) c. ipsa exprimeret; dicit. — 5) a. b. fundit; c. odoratur minus. — 6) a. cum. — 7) a. c. reddidit; b. reddit. — 8) Verba uncinis inclusa leguntur tantum in d. — 9) c. Effundit. — 10) a. c. aequalem. — 11) Hic finitur folium octavum in c., et folia inde ab nono usque ad septimum decimum cum antecedentibus non cohaerent; hoc demum folio commentarius continuatur. — 12) accipimus in c. post renovatas legitur. — 13) a. fudit. — 14) c. desiit. — 15) c. om. — 16) c. ceperunt. — 17) c. aetate. — 18) c. fervoris amore. — 19) a. c. om. — 20) b. c. aetate. — 21) b. c. ordo.

summae quasi aetatis juvenilis etiam ibi te diligunt, ubi fusus non es, quia¹⁾ ibi te vident, ubi in statu divinitatis tuae te²⁾ continet. Qui ergo ab illis summis ordinibus quasi juvenilibus aetatibus³⁾ etiam non fusus videris, exterius propter homines funderis, ut etiam ab adolescentulis i. e. infirmis mentibus diligaris.

Sequitur: *Trahe me.*⁴⁾ Omnis qui trahitur aut non valens aut non volens, invitatus, ducitur.⁵⁾ Sed qui⁶⁾ dicit: trahe me, habet aliquid quo⁷⁾ vult,⁸⁾ habet aliquid quod non valet.⁹⁾ Natura humana sequi Deum vult, sed infirmitatis consuetudine superacta sicut debet sequi non praevalet. Videt ergo aliud in se esse quod¹⁰⁾ tendit, aliud in se esse quod non valet; et recte dicit: trahe me. Quasi volentem nec valentem se viderat Paulus, cum diceret: *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati; et video aliam legem in membris mei repugnantem legi mentis meae.* Quia ergo est in nobis aliud quod nos incitat, aliud quod gravat, dicamus: *trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* In odorem unguentorum Dei currimus cum donis ejus¹¹⁾ spiritalibus afflati, in amore¹²⁾ visionis ejus inhiamus. Sciendum vero est quia in eo quod homines Deum sequuntur, aliquando ambulant, aliquando currunt, aliquando fortiter currunt. Quasi¹³⁾ post Deum ambulat,¹⁴⁾ qui tepide sequitur; currit qui ferventer¹⁵⁾ sequitur; perfecte currit qui perseveranter sequitur. Immobile enim erat cor ad sequendum Deum et post eum ambulare nolebat, cum¹⁶⁾ adventus Domini in mundo apparuit et¹⁷⁾ ab insensibili sua statione¹⁸⁾ humanas mentes movit. Unde scriptum est: pedes ejus steterunt et mola est terra. Hic autem non motus sed cursus dicitur, quia non sufficit ut sequamur, nisi etiam desiderando curramus. Quia vere neque currere sufficit nisi etiam¹⁹⁾ perfecte curratur; Paulus dicit: sic currite ut comprehendatis. Sed²⁰⁾ nonnulli dum nimis currunt in indiscretionem dilabuntur. Plus enim quam necesse est sapiunt, et se jam ei, quem sequebantur, praeferunt, dum suas virtutes eligunt, et ejus, quem sequebantur, judicia postponunt. Unde bene, cum diceretur: curremus, praemissum est: post te. Post Deum enim currunt, qui ejus judicia considerant, ejus voluntatem sibi praeferunt et pervenire ad eum sub digna operationis discretionem contendunt. Hinc propheta voluntatem Dei considerans et sequens ait: *Adhaesit anima mea post te.* Hinc Petro consilium danti dicitur: *redi post me, satanas, non enim sapis quae*²¹⁾ *Dei sunt sed quae hominum.* Quia ergo perfectae animae summa cautela Dei judicia contemunt, et neque per torporem neque per indiscretionem fervorem praevenire praesumunt, bene dicitur, post te curremus in odore unguentorum tuorum. Tunc enim post Deum²²⁾ currimus, quando et amando sequimur et timendo divina judicia non praevenimus.²³⁾

*Introduxit me rex*²⁴⁾ *in cubiculum suum, exultabimus et laetabimur*

1) a. quia ergo et ibi. — 2) a. om. — 3) a. b. a juvenilibus et actibus. — 4) c. Trahe me post te. — 5) c. trahitur, b. dicitur. — 6) b. quid. — 7) a. b. c. quod. — 8) b. non valet. — 9) a. c. vult, b. valet. — 10) b. c. quo. — 11) b. donis ejus inhiamus. Sciendum. — 12) c. in amorem. — 13) b. quia si. — 14) a. b. ambulat. — 15) c. frequenter. — 16) c. cum autem adventus. — 17) c. om. — 18) b. ab insensibilis vastatione, d. ab insensibili vastatione. — 19) a. om. — 20) a. c. et. — 21) c. ea quae. — 22) a. c. te, b. om. — 23) a. b. hic habent inscriptionem: Explicet omelia prima. Incipit secunda. — 24) a. om.

in te. Ecclesia Dei quasi quaedam domus regis est, et ista domus habet portam, habet ascensum, habet triclinia, habet cubicula. Omnis qui intra ecclesiam fidem habet, jam portam domus istius ingressus est, quia sicut porta reliqua¹⁾ domus aperit, ita fides reliquarum virtutum ostium est.²⁾ Omnis qui intra ecclesiam spem habet, jam ad ascensum domus venit. Spes enim elevat cor, ut sublimia appetat et ima deserat. Omnis qui in ista domo positus caritatem habet quasi in tricliniis deambulat. Lata est enim caritas, quae usque ad inimicorum dilectionem extenditur.³⁾ Omnis qui in ecclesia positus jam sublimia secreta rimatur, jam occulta judicia considerat, quasi in cubiculum intravit. De porta domus istius dicebat quidam: aperite mihi portas justitiae et ingressus in eas, confitebor Domino. De ascensu spei⁴⁾ dicebat: Ascensus in corde ejus disposuit.⁵⁾ De tricliniis latis domus istius dicitur: Latum mandatum tuum nimis. In mandato lato specialiter caritas designatur. De cubiculo regis loquebatur qui dicebat: secretum meum mihi. Et alias: audiavi arcana verba, quae non licet hominibus loqui. Primus ergo aditus domus istius porta fidei; secundus proventus ascensus spei, tertius latitudo caritatis; quartus jam perfectio caritatis est ad cognitionem secretorum Dei. Quia ergo sancta⁶⁾ ecclesia in membris suis perfectis, in sanctis doctoribus, in eis qui jam pleni et radicati sunt in mysteriis Dei, quasi ad sublimia secreta pervenit et adhuc in ista vita posita jam illa penetrat: introduxit me rex in cubiculum suum ait. Per prophetas enim, per apostolos, per⁷⁾ doctores qui in ista vita positi jam sublimia secreta illius vitae penetrabat, ecclesia in cubiculum regis illius ingressa fuerat. Et caute intuendum est, quia non dicit in cubiculum sponsi sed in cubiculum regis. Nominando enim regem reverentiam secretorum vult ostendere, quia quanto potens est cubiculum, tanto major est reverentia exhibenda in his, ad quae intratur. Ne ergo dum cognoscit secreta Dei unusquisque, dum occulta judicia rimatur, dum ad sublimia contemplationis attollitur,⁸⁾ extollatur⁹⁾ et in superbia delabatur, regis dicitur cubiculum intrare i. e. cui tanto major reverentia exhibenda est, quanto magis anima ad cognoscenda ejus secreta ducitur, et¹⁰⁾ unusquisque qui¹¹⁾ profecit¹²⁾ qui jam exaltatus per gratiam et ad sublimia secreta¹³⁾ pervenit, se ipsum adtendat, et ex ipso profectu amplius humilietur. Unde Ezechiel quociens ad sublimia contemplanda ducitur, filius hominis vocatur; acsi ei¹⁴⁾ dicatur: adtende quod es, et non¹⁵⁾ extollaris de his ad quae adtolleris. Sed paucorum est in ecclesia ista sublimia et occulta judicia Dei rimari et comprehendere; tamen dum videmus fortes viros posse ad tantam sapientiam pervenire, ut contemplentur secreta Dei in cordibus suis et nos¹⁶⁾ parvuli habeamus fiduciam, quia quandoque ad veniam quandoque ad ejus gratiam veniamus.¹⁷⁾ Unde et ex verbis adolescentularum subditur: Exultabimus et laetabimur in te. Dum ecclesia in his qui perfecti sunt ingreditur cubiculum regis adolescentulae spem sibi exultationis promittunt;¹⁸⁾ quia dum fortes ad

1) b. reliquias. — 2) a. b. habet, c. aperit. — 3) a. c. tenditur. — 4) d. ejus. — 5) b. disposui. — 6) c. om. — 7) a. et. — 8) a. adtollit. — 9) a. om. extollatur usque ad delectatur. — 10) a. b. ut, c. ut ergo. — 11) c. om. — 12) c. proficiat. — 13) b. aeterna. — 14) d. om. — 15) c. ne. — 16) b. non. — 17) c. venimus. — 18) d. promittunt.

sublimia contemplanda perveniunt, infirmi spem de venia peccatorum sumunt. Introduxit me rex in cubiculum suum, exultabimus et laetabimur in te. *Memores uberum tuorum super vinum recti*¹⁾ *diligunt te*. Habet iste sponsus ubera qui etiam rex propter reverentiam vocatur; habet ubera sanctos viros corde adhaerentes²⁾ sibi. Ubra in arca peccatoris fixa sunt; ex³⁾ interno nutrimento⁴⁾ trahunt ad eos⁵⁾ quos foras⁶⁾ nutriunt. Sancti ergo viri ubera sponsi⁷⁾ sunt, quia ex intimis trahunt⁸⁾ et exterius nutriunt.⁹⁾ Ubra illius sunt apostoli, ubra illius sunt omnes praedicatores ecclesiae. Vinum sicut et superius diximus fuit in prophetis, vinum fuit in lege. Sed quia ampliora mandata data¹⁰⁾ sunt per apostolos quam data fuerant per prophetas, memores uberum tuorum super vinum. Quia qui ista possunt implere quae in novo testamento mandata sunt, illam¹¹⁾ scientiam legis sine dubio transcendunt. Quod tamen intelligere et aliter possumus. Memores uberum tuorum super vinum: sunt multi qui vinum quidem sapientiae habent, sed cognitionem humilitatis non habent. Istos scientia inflat: quia caritas non eadificat. Sunt vero multi qui sic habent vinum scientiae, ut sciant considerare dona doctrinae, dona spiritalis gratiae.¹²⁾ Dona enim spiritalis gratiae quasi quaedam mamillae sunt in pectore, quae subtiliter occultis mentibus spiritalibus ministrant et nutriunt. Memores ergo uberum tuorum super vinum, quia ii qui recordari¹³⁾ sciunt dona gratiae tuae ut sibi non tribuant quod sapiunt, et deinde¹⁴⁾ sapientia quam acceperunt non extolluntur super¹⁵⁾ illos qui de sapientia sua¹⁶⁾ extolluntur et efferuntur. Plus est enim humiliter sapere quam¹⁷⁾ sapere; neque enim vere sapere est humiliter non sapere.¹⁸⁾ Memores ergo uberum tuorum super vinum, quia scientes considerare dona spiritalis gratiae transcendunt eos qui scientiam quidem habent, cognitionem¹⁹⁾ et memoriam donorum non habent. Aperte ergo dicere est: memores uberum tuorum super vinum, quia fortior est humilitas quam scientia.²⁰⁾ Vinum enim est scientia quae inebriat,²¹⁾ memoria²²⁾ uberum quae debriat, quae²³⁾ ad cognitionem donorum revocat. Memores ergo uberum tuorum super vinum, quia vincit humilitas abundantiam scientiae.

Recti diligunt te, acsi diceret: non recti adhuc timent. Recti diligunt te, omnis enim²⁴⁾ qui bona opera per timorem agit, etsi in opere²⁵⁾ rectus est, in desiderio rectus non est. Vellet enim²⁶⁾ non esse²⁷⁾ quod timeret et opera bona non faceret. Qui vero opera bona per amorem agit, et in opere et in desiderio rectus est, sed²⁸⁾ dulcedo amoris timentibus absconditur. Unde scriptum est: quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te, et perfecisti eam²⁹⁾ sperantibus in te. Dulcedo enim Dei timentibus Deum incognita est, amantibus fit nota.³⁰⁾ Qui ergo per amorem studuerit rectus esse, per-

1) b. recte. — 2) a. adhaerentium. — 3) c. et ex. — 4) a. c. nutrimento. — 5) c. ad se eos. — 6) d. fortis. — 7) a. sponsae. — 8) d. trahuntur. — 9) d. nutriuntur. — 10) d. om.; c. ampliora sunt data per apostolos mandata. — 11) b. illi. — 12) b. om. dona spiritalis gratiae. — 13) a. c. sectari. — 14) a. b. de eadem. — 15) c. sed super. — 16) b. om. — 17) a. quam superbe sapere. — 18) d. nisi humiliter sapere. — 19) a. b. c. sed cognitionem. — 20) a. sapientia. — 21) b. ebriat. — 22) b. memoriam. — 23) b. quem. — 24) c. om. — 25) b. opera. — 26) a. om. — 27) b. esset. — 28) c. om. sed usque ad absconditur. — 29) d. om. — 30) b. cognita.

fecta dilectio illius est, ut iudicem venientem non timeat, ut quicquid de aeternis suppliciis audierit non formidet. Unde et Paulus dum adventum iudicis exspectaret, ¹⁾ dum praemia vitae aeternae quaereret, dixit: quae praeparavit Deus non solum mihi, sed et omnibus qui diligunt adventum ejus. Praemia aeterna diligentibus iudicem ²⁾ praeparantur, quia omnis qui se opera mala agere scit, iudicem venientem timet; qui vero de operibus suis praesumit, iudicis adventum quaerit. Parantur ergo praemia expectantibus adventum Dei ³⁾ et diligentibus adventum ejus, quia non diligunt adventum iudicis, nisi de causa sua praesumentes. Omnis autem certitudo rectitudinis in dilectione est; et ideo recte dicitur: recti diligunt te.

Nigra sum sed ⁴⁾ formosa filia ⁵⁾ Jerusalem sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite ⁶⁾ me considerare quod fusca sum, quia decoloravit me sol. Scimus quia in primordiis ecclesiae, dum praedicata fuisset gratia redemptoris nostri, alii crediderunt ex Judaea, alii non crediderunt; sed ii qui crediderunt ab infidelibus dispecti sunt et ⁷⁾ persecutionem passi et ⁸⁾ quasi in via gentium discessissent ⁹⁾ iudicati sunt; unde ecclesia in eisdem clamat adversus eos qui conversi non ¹⁰⁾ sunt: Nigra sum sed formosa filiae ¹¹⁾ Jerusalem. Nigra quidem vestro iudicio sed formosa per inlustrationem gratiae. Quomodo nigra sicut tabernacula Cedar? Cedar interpretatur tenebrae. Cedar enim secundus fuit de genere Ismael, et Cedar tabernacula ¹²⁾ Esau fuerunt. Quomodo ergo nigra sicut tabernacula Cedar, quia in conspectu vestro ¹³⁾ ad similitudinem gentium iudicata sum i. e. ad similitudinem peccatorum. Quomodo formosa sicut pelles Salomonis? Fertur Salomon, quando templum aedificavit omnia illa vasa templi factis pellibus cooperuisse. Sed nimirum pelles Salomonis decore ¹⁴⁾ esse potuerunt, quae ¹⁵⁾ tabernaculo apte essent. Quae si in tabernaculo ejus fuerunt nonnisi decore esse potuerunt in obsequium regis. Sed quia Salomon interpretatur pacificus, nos ipsum verum Salomonem intelligamus, ¹⁶⁾ quia omnes animae, adhaerentes Deo, pelles Salomonis sunt macerantes se ipsos et in obsequium regis pacis redigentes. ¹⁷⁾ Sum vero in iudicio vestro sicut tabernacula Cedar, quia ¹⁸⁾ quasi ¹⁹⁾ in via ²⁰⁾ gentium discessisse iudicor, sed juxta veritatem sicut pelles Salomonis sum, qui in obsequium regis adhaereo. Nolite ²¹⁾ me considerare quod fusca sum, quia decoloravit me sol. Peccatricem adtendebat, illam partem quae ²²⁾ Christo crediderat, ²³⁾ pars ²⁴⁾ illa quae non crediderat. Sed dicat ista: nolite ²⁵⁾ me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. Sol ipse, Dominus ipse veniens decoloravit me; ²⁶⁾ praeceptis suis ostendit quia pulchra non fui ²⁷⁾ in praeceptis legis. Sol quem arctius ²⁸⁾ tangit ipsum decolorat; ita et Dominus veniens quem per gratiam suam strictius ²⁹⁾ tetigit decoloravit; quia dum plus adpropinquamus ad gratiam, plus nos pec-

1) d. spectaret. — 2) a. c. a iudice. — 3) c. om. Dei usque ad adventum. — 4) b. et. — 5) c. filiae. — 6) c. om. Nolite usque ad sol; b. Noli. — 7) c. et quasi. — 8) a. b. om. — 9) a. b. discessisse. — 10) c. om. — 11) a. b. filia. — 12) b. tabernaculum. — 13) b. c. vestrum. — 14) a. decora. — 15) a. c. om. quae usque ad potuerunt. — 16) b. intelligimus. — 17) a. redientes, c. cedentes. — 18) c. quae. — 19) d. si. — 20) c. in viam. — 21) b. Noli. — 22) a. quem. — 23) a. tradiderat. — 24) c. om. pars usque ad crediderat. — 25) b. noli. — 26) d. om. — 27) a. d. fuit. — 28) d. Martius. — 29) c. districtius.

catores esse cognoscimus. Videamus Paulum ex Judaea venientem in sole decoloratum. Quod si volentes in Christo justificari inventi sumus et ipsi peccatores, qui se in Christo peccatorem inveniunt, in sole se decoloratum inveniunt. Sed ecce pars ista quae ex Judaea credidit, persecutionem ab infidelibus Judaeis passa est, afflicta multis ¹⁾ tribulationibus ac ²⁾ pressa. Unde et sequitur: filii matris meae pugnaverunt contra ³⁾ me, quia filii synagogae qui in infidelitate remanserunt, ⁴⁾ bellum persecutionis contra synagoge fideles gesserunt. Sed dum persecutionem patitur ea pars quae ex Judaea ⁵⁾ venit ad fidem discessit ad praedicationem gentium, deseruit ⁶⁾ Judaeam et venit ad praedicationem gentium.

Unde sequitur: *Posuerunt me custodem* ⁷⁾ *in vineis, vineam* ⁸⁾ *meam non custodivi*. Quia dum me persequuntur qui in Judaea sunt in ecclesiis ⁹⁾ me custodem fecerunt. ¹⁰⁾ Vineam meam non custodivi quia Judaeam deserui. ¹¹⁾ Unde et Paulus dicit, unde et ¹²⁾ apostoli: Vobis missum fuerat verbum Dei, sed quia indignos nos judicastis ecce imus ad gentes; acsi dicant: ¹³⁾ nos vineam nostram custodire volumus, sed quia nos ipsi respuitis, ¹⁴⁾ ad alienarum nos vinearum custodiam transmittitis. Ista quae ¹⁵⁾ de synagoga diximus ad fidem conversa, ¹⁶⁾ dicamus modo de ecclesia ad fidem vocata: Nigra sum et formosa filiae ¹⁷⁾ Jerusalem. Ecclesia ex ¹⁸⁾ gentibus veniens considerat fidelium animas quas invenit, quas et filias Jerusalem vocat. Jerusalem quippe visio pacis dicitur; considerat quod fuit, ¹⁹⁾ considerat quod facta est et confitetur praeteritis culpas, ne superba sit; confitetur praesentem vitam ingrata, ²⁰⁾ et dicit: nigra sum sed formosa; nigra per meritum, formosa ²¹⁾ per gratiam; nigra per vitam praeteritam, formosa per conversionem ²²⁾ sequentem. Quomodo nigra sicut tabernacula Cedar? Cedar quippe ²³⁾ tabernacula gentium fuerunt; tabernacula tenebrarum fuerunt. Et gentibus dictum est: fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Quomodo formosa sicut pelles Salomonis? Macerati enim sumus per poenitentiam, mortificata caro per poenitentiam, quasi pellis in obsequium regis adducitur. Omnes per poenitentiam se ipsos affligentes, membra Christi se faciunt; membra ergo Christi per poenitentiam afflicta pelles Salomonis sunt, quia mortificata caro fiunt. Sed ecce erant in Judaea fideles qui dedignabantur ²⁴⁾ ad fidem venire gentiles, unde et Petrum redarguunt quod Cornelium susceperat. Unde hic ²⁵⁾ ecclesia gentium subjungitur: ²⁶⁾ nolite ²⁷⁾ me considerare quod fusca sim, nolite despiciere gentilitatem infidelitatis meae, nolite despiciere peccata priora, nolite attendere quod fui. Quare? quia decoloravit me sol. Sol magis decolorat in quo arctius et districtius se inprimit. Deus quando districtum judicium tenet, quando ²⁸⁾ districtiorem suam amplius exhibet, et ²⁹⁾

1) b. multifera tribulationibus. — 2) a. c. om. — 3) c. adversus. — 4) c. permanserunt. — 5) a. c. Judaeis. — 6) a. c. om. deseruit usque ad gentium. — 7) b. custodes. — 8) c. et vineam. — 9) a. b. ecclesia. — 10) d. custodierunt pro custodem fecerunt. — 11) b. deseruit. — 12) c. Unde et Paulus et ceteri apostoli dicunt; d. Unde et apostoli. — 13) a. b. dicat. — 14) c. respuitis. — 15) c. Itaque quae diximus de synagoga. — 16) b. conversam. — 17) b. filia. — 18) c. de. — 19) c. fecit. — 20) a. ne ingrata; c. ne ingrata sit. — 21) c. sed formosa. — 22) a. c. conversationem. — 23) a. c. om. — 24) a. b. indignabantur. — 25) a. om. — 26) a. b. subjungit. — 27) b. noli. — 28) b. quasi. — 29) d. eo.

amplius¹⁾ decolorat, dum amplius fulget, quia dum distractionem subtilius exercet districte adjudicat. Quasi enim radios suos suspendit sol, quando clementer opera nostra considerat; quasi districte virtutem suam exhibet, quando districte opera nostra pensat. Dicat ergo ecclesia: inde sum fusca, inde peccatrix, quia me sol decoloravit, quia creator meus dum me deseruit, ego in errore²⁾ lapsa sum.

Sed o tu sic afflicta, sic destituta, quid meruisti, quid ex dono assecuta³⁾ es? *Filii matris meae pugnaverunt contra⁴⁾ me.* Filii matris meae sunt apostoli; mater enim omnium Jerusalem superna; ipsi pugnaverunt contra ecclesiam, dum ab infidelitate in fide⁵⁾ praedicationibus suis quasi quibusdam lanceis confoderunt. Unde et Paulus quasi quidam pugator dicit: cogitationum consilia destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei; qui altitudinem destruit, utique pugator est. Isti ergo pugatores, isti filii matris Jerusalem debellaverunt ecclesiam ab errore suo, ut illam fundarent ad justitiam. Filii matris meae pugnaverunt contra me. Et quid fecerunt pugnantes? posuerunt me custodem in vineis. Vineae ecclesiae⁶⁾ sunt virtutes, quae fructificant. Quia dum depugnant⁷⁾ in me vitia quasi de⁸⁾ mala mea me expugnant fructificatione,⁹⁾ et virtutum studia mihi dederunt. In vineis me custodem fecerunt, ut fructificationem afferrem post expugnationem. Specialiter dicat: vineam meam non custodivi. Vineae ecclesiae antiqua consuetudo erroris est, quae¹⁰⁾ dum custos ad virtutem¹¹⁾ ponitur, deseruit vineam illam¹²⁾ antiquam¹³⁾ consuetudinem erroris. Diximus de synagoga ad fidem venientem, diximus de gentilitate conversa, dicamus modo¹⁴⁾ generaliter de tota simul ecclesia, et specialiter quid de unaquaque anima sentiendum est. Solent pravi auditores doctores suos non considerare quod sunt sed quod fuerunt; sani vero¹⁵⁾ doctores et confitentur quod fuerunt et proferunt quod sunt, ut nec peccatores se abscondant, nec iterum dona velut ingrati denegent. Dicat ergo in istis ecclesia, nigra sum sed formosa, nigra per me, formosa per donum; nigra¹⁶⁾ de praeterito, formosa ex eo quod facta sum in futuris. Quomodo nigra, quomodo formosa? nigra sicut tabernacula Cedar, formosa sicut pelles Salomonis. Et non est justum ut aliquis ex praeterita vita pensetur, et non¹⁷⁾ magis attendatur quod fuit, sed quod est; unde subjungit: ¹⁸⁾ nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. Aliquando in scriptura sacra sol ponitur nimis aestus terrenorum desideriorum. Unde ergo fusca, quia decoloravit me sol et ardore amoris terreni apud sponsum decolorata sum i. e. indecora apud regem facta. Filii matris meae pugnaverunt contra¹⁹⁾ me. In omni creatura²⁰⁾ duae creaturae rationales conditae sunt, humana et angelica; cecidit angelus, persuasit homini. Mater enim omnis creaturae benignitas et potentia Dei; nos ergo et angeli, ex eo quod rationales conditi sumus, quasi²¹⁾ quandam societatem fraternitatis habemus. Sed quia angeli ab eadem

1) a. b. c. om. — 2) a. errare. — 3) a. c. consecuta. — 4) c. adversus. — 5) c. ad fidem. — 6) a. Vineae sunt ecclesiae; d. vinea ecclesia. — 7) b. c. pugnant. — 8) a. dum. — 9) a. b. fructificationem. — 10) d. quem. — 11) d. virtutes. — 12) c. om. — 13) b. antiqua. — 14) d. om. — 15) c. ergo. — 16) c. nigra sum. — 17) a. c. unde pro et non. — 18) d. subjungitur. — 19) c. adversum. — 20) d. creatione. — 21) d. om.

potentia conditi sunt a qua et nos, qui tamen cadentes angeli quotidie contra nos bellum gerunt dicat: Filii matris meae pugnauerunt contra ¹⁾ me. Ecce dum pugnant isti spiritus rationales, isti spiritus filii matris dum pugnant contra animam, faciunt eam rebus terrenis incumbere, actionibus seculi ²⁾ vacare, res transitorias quaerere. Unde et subiungit: posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi. Vineae enim sunt actiones terrenae, acsi dicat: in actionibus terrenis custodem me posuerunt. Et quid? vineam meam i. e. animam meam, vitam ³⁾ meam, mentem meam custodire neglexi; quia dum exterius in rerum terrenarum actione involuta sum, ab interna custodia elapsa sum. Plerique ex eo se ⁴⁾ considerant quod juxta ipsos est, non ex eo quod sunt. Juxta ipsos sunt dignitates, juxta ipsos sunt exteriora ministeria; et dum custodiunt quod juxta se habent, se ipsos custodire negligunt. Dicat ergo: posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi i. e. dum exteriori custodiae in ⁵⁾ actionibus seculi deservio, in interioris custodiae sollicitudinem amisi. Sed ecce reducta anima ad gratiam creatoris sui, jam amet, jam requirat, ubi redemptorem suum inveniat.

Unde ⁶⁾ sequitur: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes* ⁷⁾ *in meridie*. In meridie sol ferventior ⁸⁾ est, omnis qui in fide fervet, in amore desiderii fervet. Iste sponsus qui subter hinulus vocatur, in corde ipsorum pascit virtutum viriditatem, ⁹⁾ in corde ¹⁰⁾ ipsorum recumbit in meridie in ¹¹⁾ fervore caritatis. Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas ubi cubes in meridie. Quare hic quaerat, ubi ¹²⁾ pascat ubi cubet, causam reddidit inquisitionis suae.

Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Sodales Dei sunt amici familiares, sicut sunt omnes qui bene vivunt. ¹³⁾ Sed multi apparent sodales esse et sodales non sunt. Multi enim doctores dum perversam doctrinam suaderent, sodales quidem videbantur, sed inimici extiterunt. Dum adhuc doctor esset Arius, Sabellius, Montanus quasi sodales videbantur; sed cum ¹⁴⁾ districte discussi sunt, inimici apparuerunt, et plerumque fideles animae dum inhaerent verbo Dei, ¹⁵⁾ dum amant in doctoribus unde proficiant, cavere nesciunt perversorum verba doctorum, et ex ipsorum ore deficiunt. Quam multae enim plebes istae quae ¹⁶⁾ de sodalibus crediderunt, et dum eos ¹⁷⁾ sequuntur ¹⁸⁾ per greges sodalium erraverunt. Dicit ergo: indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum; acsi dicat: ¹⁹⁾ indica in quorum corde veraciter requiescis, ne incipiam vagari post greges eorum, qui sodales tui ²⁰⁾ videntur i. e. qui familiares tui creduntur et non sunt. Omnes sacerdotes, omnes doctores sodales Dei ²¹⁾ sunt, quantum ad speciem; quantum vero ad vitam, multi non sodales sed adversarii sunt. Sed haec ipsa quae diximus de haereticis magistris,

1) c. adversum. — 2) a. c. secularibus. — 3) c. non custodivi vitam. — 4) b. ex eo quod sunt juxta ipsos sunt dignitates. — 5) a. c. om. in usque ad custodiae. — 6) c. om. — 7) a. cubas. — 8) b. ferventius. — 9) c. qui in fide et in amore desiderii fervent. — 10) a. cor. — 11) c. i. e. in fervore caritatis; d. om. in usque ad meridie. — 12) c. om. ubi usque ad cubet. — 13) c. qui jejunant. — 14) b. c. dum. — 15) a. om. — 16) a. isti quasi de. — 17) b. eo. — 18) c. persequuntur post. — 19) c. om. acsi dicat. — 20) c. tibi. — 21) b. om.

possumus de catholicis non bene agentibus dicere. Multi enim parvuli intra ecclesiam fideles appetunt bene vivere, volunt vitam ¹⁾ rectitudinis tenere, et ²⁾ considerant vitam sacerdotum qui eis praepositi sunt, et dum sacerdotes ipsi non bene vivunt, dum ii qui praesunt non recte vivunt, ii qui sequuntur, ³⁾ in errorem dilabuntur. Unde ⁴⁾ ecclesia quasi in eisdem ⁵⁾ parvulis et fidelibus dicit: indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie i. e. ⁶⁾ vitam ⁷⁾ mihi veraciter ferventium ⁸⁾ tibi indica, ut sciam ubi ⁹⁾ pascas dividitatem virtutum, ut sciam ubi cubes in meridie i. e. ubi requiescas in fervore caritatis, ne dum greges sodalium tuorum aspicias, ipsa vagari incipiam, nesciens cujus ¹⁰⁾ me verbis et ¹¹⁾ doctrinae ¹²⁾ committam. Cavere enim debet omnis auditor omnis infirmus considerare, cujus verbis se credere debeat, cujus magisterio uti debeat, cujus exempla sequi debeat.

Et ecce verba sponsi redduntur ¹³⁾ ad sponsam: *Si ignoras te, pulchra inter mulieres egredere et abi post vestigia gregum et pasce hoedos tuos juxta tabernacula pastorum.* Omnis anima nihil debet amplius curare quam ut se ipsam sciat; qui enim se ipsum scit, cognoscit quod ad imaginem Dei factus est. ¹⁴⁾ Si ¹⁵⁾ ad imaginem Dei factus est, non debet similitudinem jumentorum sequi sive in luxuria sive in appetitu praesenti devolvi. ¹⁶⁾ De qua ignorantia alibi dicitur. Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis. Vestigia gregum sunt actiones populorum, quae quanto multae sunt tanto impeditae tanto perversae. Dicatur ergo ecclesiae: si ignoras te, o pulchra inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum, et pasce hoedos tuos juxta tabernacula pastorum. O tu quae foeda per ignorantiam, per fidem pulchra facta es inter aliorum animas, quod evidenter dicitur ad ¹⁷⁾ ecclesiam electorum. Si ignoras te i. e. hoc ipsum quod ad imaginem meam facta es, egredere ¹⁸⁾ i. e. foras exi; si vero non cognoscis a quo facta es, egredere et abi, vade ¹⁹⁾ post vestigia gregum, sequere non exempla mea, sed exempla populorum, et pasce hoedos tuos juxta tabernacula pastorum. Hoedi nostri sunt motus carnales, hoedi nostri sunt temptationes illicitae. Abi post vestigia gregum i. e. discede ²⁰⁾ post exempla populorum et pasce hoedos tuos i. e. nutri non ²¹⁾ jam sensus spirituales, sed motus carnales. Abi juxta tabernacula pastorum; si agnos pascis, ²²⁾ in ²³⁾ tabernacula pastorum pasceres, i. e. in doctrinis magistrorum, in doctrinis apostolorum, in doctrinis prophetarum. Si vero hoedos pascis, juxta tabernacula pastorum pasce, ut fide voceris christiana et non operibus, quia intra videris esse per fidem, et non intra per opera. Ecce increpasti, ecce redarguisti; quid enim non dicis quod tu benigne in eam operatus es? Dic plane, nam sequitur:

1) c. viam. — 2) d. om. — 3) a. c. subsequuntur. — 4) b. Unde et ecclesiae. — 5) c. in eis. — 6) a. c. om. i. e. — 7) b. vita. — 8) a. c. servientium. — 9) d. om. ubi usque ad sciam. — 10) a. c. cui. — 11) b. cujus me verbis credere debeam, cujus magisterio uti debeam. Ecce verba sponsi etc. — 12) a. doctrinis. — 13) a. b. redeunt. — 14) c. sit. — 15) c. om. si usque ad est. — 16) a. c. dissolvi. — 17) d. om. ad ecclesiam electorum. — 18) a. c. om. id est usque ad egredere. — 19) b. om. — 20) c. descende. — 21) a. d. om. non usque ad sed. — 22) a. b. om. — 23) c. inter.

Equitatu meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea. Omnis qui luxuriae, qui superbiae, qui avaritiae, qui invidiae, qui fallaciae deservunt, adhuc sub curru Pharaonis sunt, equi¹⁾ quasi quidam sub curru Pharaonis sunt i. e. sub regimine diaboli; omnis vero qui in humilitate, in castitate, in doctrina, in caritate fervet, jam equus effectus²⁾ est creatoris nostri, jam in curru Dei positus est, jam sessorem Deum habet. Unde cui jam³⁾ Dominus praesidebat dicitur: durum tibi est contra⁴⁾ stimulum calcitrare, acsi diceret: meus⁵⁾ equus es, jam contra me calces, jactare⁶⁾ non potes, jam tibi ego praesideo. De istis equis alibi dicitur: misisti in mare equos tuos, turbantes aquas multas. Habet ergo currus Deus, quia⁷⁾ animabus sanctis praesidet et per animas sanctas circumquaque discurrit.⁸⁾ Unde scriptum est: Currus Dei decem milium multiplex milia laetantium. Habet currus Pharaonis, qui tamen currus in mari rubro submersi sunt, quia⁹⁾ multi perversi in baptismo mutati sunt. Dicit ergo sponsus: equitatu meo¹⁰⁾ in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea i. e. dum adhuc tu esses in curribus Pharaonis, dum adhuc operibus daemonicis deservires, ego te equitatu meo assimilavi, quia adtendi quid praedestinatione¹¹⁾ in te¹²⁾ fecerim, et equis meis te comparavi. Videt enim multos¹³⁾ Deus adhuc luxuriae, adhuc avaritiae servientes, et tamen adtendit in secreto judicio, quid jam de ipsis operatus est, quia habet eos equos Deus; sed multos videt adhuc equos esse Pharaonis. Et quia considerat occulto judicio occulta praedestinatione ad bonum commutandos, similes illos adtendit jam equis suis, quia¹⁴⁾ videt illos ad currum suum ducturos, qui prius in curru Pharaonis deserviebant. Ubi considerata sunt occulta judicia quia multi videntur per praedicationem, per sapientiam, per castitatem, per largitatem, per longanimitatem equi Dei esse, et tamen occulto Dei judicio equis Pharaonis assimilantur; et multi videntur per avaritiam, per superbiam, per invidiam, per luxuriam equi Pharaonis esse et tamen occulto Dei judicio equis Dei assimilantur. Quia et illos videt de bono ad mala verti,¹⁵⁾ et istos videt de malo ad bonum¹⁶⁾ reduci. Sicut ergo per distractionem¹⁷⁾ multi qui equi videntur Dei equi sunt Pharaonis per reprobam vitam quae illos sequitur, ita per pietatem multi, qui equi Pharaonis videntur et ejecti per sanctam vitam, quam in fine suo servaturi sunt, equis Dei assimilantur. Unde blandit¹⁸⁾ sponsus et dicit: equitatu meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea i. e. tu adhuc in curribus Pharaonis sub vicio¹⁹⁾ deserviebas, sub vicio cuprebas sed ego adtendi, quid de te per praedestinationem feci. Equitatu meo te assimilavi i. e. electis meis similem te adtendi.²⁰⁾

1) d. om. equi usque ad sunt; b. i. e. sub regimine diaboli, et qui quasi. — 2) d. factus. — 3) a. cuidam cui jam; b. c. cuidam. — 4) a. c. adversus. — 5) c. jam meus. — 6) c. calcitrare. — 7) a. qui. — 8) a. c. percurrit. — 9) b. om. quia usque ad sunt. — 10) d. nostro. — 11) a. quod per praedicationem vitae fecerim. — 12) b. in te. — 13) b. multos sanctos. — 14) b. qui via videt. — 15) c. reverti. — 16) a. bona. — 17) a. discretionem; c. praedestinationem. — 18) a. c. blanditur. — 19) a. subdita. — 20) a. c. Explicit.

C. COMMENTARIORUM IN CANTICA CANTICORUM SPECIMEN TERTIUM.

Quod sequitur fragmentum Cantici Canticorum commentarii, quem inscriptio rursus Gregorio Illiberitano adtribuit, sed qui tam vetustus nequaquam videtur, e Toletano codice exscripsi.

BEATI GREGORII EPISCOPI ILLIBERRITANI EXPLICATIO IN CANTICA CANTICORUM.

PRAEFATIO.

Scriptura sacra quasi quoddam speculum mentis opponitur, ut interna nostra ipsa videantur. Ibi enim facta, ibi pulchra nostra cognoscimus; ibi sentimus quantum proficimus, ibi approbamus jam quam longe ab ea profecto distamus. Profunditas est eloquiorum Dei. Libet huic intendere, libet ejus intima gratia duce penetrare, quia quoties intelligendo discutimus, quid aliud quam varum opacitatem ingredimur, ut in ejus refrigerio ab hujus seculi aestibus abscondamur ibique viridissimas sententiarum herbas legendo carpamus, tractando rulinemus. Scriptum quippe est *tenebrosa aqua in nubibus aëris*, quia obscura est sententia in prophetis. Sed Salomonis voce attestante didicimus: *gloria regnum est celare veritatem* quia et honor est hominum eorum secreta abscondere, *et gloria Dei est mysteria sermonis ejus aperire*. Ipsa autem per se veritas discipulis dicit: *quae dico vobis in tenebris, dicite in lumine* i. e. aperte exponite quae in allegoriarum obscuritatibus auditis. Magnae vero utilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum ut fatigatione dilatetur et exercitatus capiat, quod capere non posset otiosus. Habet quoque adhuc majus aliquod quia intelligentia scripturarum, si in cunctis esset aperta, vilesceret. In quibusdam ergo locis obscurioribus tanto majori dulcedine reficit, quanto labore animum quaesita fatigat.

C A P. I.

Osculetur me osculo oris sui. Ecce enim vocata gentilitas, redemptoris sui vestigia osculari desiderans, nequaquam cessat ab intentione operis, quia in ejus amore suspirat. Unde et in sponsae voce de eodem redemptore suo de canticis canticorum ita incipit: *Osculetur me osculo oris sui.* Osculum conditoris recte desiderat, dum obsequium prae amore sperat, quia eadem S. Ecclesia, quot praecepta ex ejus praedicatione cognovit, quasi tot oris ejus oscula accepit. *Osculetur*, inquit, *me osculo oris sui* acsi apertis vocibus dicat: Dudum mihi prophetarum praedicationibus quasi quibusdam labiis osculum porrexit: nunc vero tangat me ipsa dulcedo praesentiae unigeniti filii redemptoris mei, sed nequaquam ad nos descenderet nisi cali i. e. praedicatores ejus in contemplationis rigore inflexibiles permanerent. Inclinantur ergo cali, dum cordi nostro S. Spiritus imbrem infundunt, ut in nova fidei luce surgamus, qui me-

rito sponsi quoque ubera sunt vocati de quibus aperte nunc sequitur: *Quia meliora sunt ubera tua vino*. Ista enim sunt ubera, quae in arcam pectoris fixa, lacte nos potant, quia in ipsis arcanis summae contemplationis inhaerentes, subtili praedicatione nos nutriunt. *Ideo adolescentulae dilexerunt te*. Scriptura etenim sacra saepe adolescentiam pro novitate ponere consuevit. Unde venienti sponsae aperte nunc dicitur: *Adolescentulae dilexerunt te*. Universae quippe Ecclesiae quia unam catholicam faciunt adolescentulae vocantur, non vetustae per culpam, sed novellae per gratiam: non senio steriles, sed aetate mentis vetustae ad spiritualem foecunditatem congruae. *Adolescentulae*, inquit, *post te currunt* i. e. electorum animae gratia baptismatis renovatae quae non in vitae veteris usu deficiunt, sed novi operis conversatione decorantur. *Nigra sum sed formosa filiae Hierusalem*. Nigra dicitur ecclesia in electis suis, qui nequaquam de iustitiae luce superbiunt, sed per humilitatis gratiam peccatorum in se nigredinem confitentur. Unde Johannes hujus nigretudinis confessionem assumpserat, cum dicebat: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus et veritas in nobis non est*.

Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi. Curis enim secularibus intenti, tantum ad ea quae foris sunt studiosiores videntur. Usu quippe curae terrenae a coelesti desiderio obdurescit animus, et dum ipse suo usu durum efficitur per actionem hujus seculi ad ea molliri non valet, quae pertinent ad caritatem Dei. Unde bene sancta Ecclesia de membris suis infirmantibus dicit: *posuerunt me custodem vineis, vineam meam non custodivi*. Vineae quippe nostrae actiones nostrae sunt, quas usu quotidiani laboris excolimus. Sed custodes in vineis positi nostram vineam minime custodimus, quia dum externis actionibus implicamur, ministerium actionis nostrae negligimus. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Eadem sancta Ecclesia redemptori suo, quem sub specie hinnuli cervorum quaerit, dicit: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas ubi cubes in meridiem*. Cervorum quippe hinnulus Dominus appellatur juxta assumptam carnem antiquorum filius patrum, ferventior vero in meridie aestus ardescit, et umbrosus locum hinnulus quaerit, quem aestus ignis non afficit i. e. in illis cordibus requiescit, quae amor praesentis seculi non ascendit, quae carnis desideria non exurunt, quae incensa suis anxietatibus in hujus seculi concupiscentiis non inardescunt. Pascitur quippe Dominus, cum actibus nostris delectatur. Cubat vero in meridie, cum ex desideriis carnalibus ardenti corde reproborum apud electorum pectora refrigerium inveniunt cogitationes bonae. Unde et Mariae dicitur: *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus altissimi obumbrabit tibi*. Umbrosa ergo loca in meridie ad pascendum hinnulus inquit, quia talibus mentibus Dominus pascitur, quae per respectum gratiae temperatae corporalibus desideriis non uruntur. *Nisi cognoveris te, o pulchra inter mulieres, egredere et pasce hoedos tuos, abi post vestigia gregum tuorum*. I. e. nisi honorem tuum quae ad similitudinem Dei es condita bene vivendo cognoveris a conspectu meae contemplationis regredere et imperitorum viam imitare populorum. Sancti etenim viri humanae conversationis prava studia devitare summopere curant, ut jam

non libeat eis terrenorum hominum, qui prae abundantia iniquitatis multi sunt, perditos mores imitari. Cum paucis namque ingredi angustam viam desiderant et non cum multis lata itinera appetunt, quae ad interitum ducunt. Solerter quippe a quo et ad quid sint creati conspiciunt et recta consideratione acceptae imaginis sequi vulgi multitudinem dedignantur. Gregum namque nomine imperiti populi designantur. Unde aperte dicitur: *Nisi cognoveris, o pulchra inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum tuorum et pasce hoedos tuos.* Semetipsam namque inter mulieres pulchram cognoscit, quando quaeque anima etiam inter peccatores posita se ad auctoris sui imaginem ac similitudinem conditam meminit, et juste ad perceptae similitudinis ordinem incedit, quae, si se non cognoscit, egreditur, quasi a secreto cordis sui expulsa, in exterioribus concupiscentiis dissipatur. Egressa ergo abit post vestigia gregum, quia sua interna deserens ad latam videlicet viam adjugitur exempla populorum; non agnos sed hoedos pascit, quia non innoxias mentis cogitationes sed nutrire pravos motus carnis intendit, quia electus quisque ac continens abire post vestigia gregum despicit, qui humanae conversationis prava studia declinare contendit. *Dum rex in accubitu suo est nardus mea dedit odorem suum.* Virtus namque profitentium in notitiis ceterorum hominum quasi suavitatem fragrat odorem, hinc est quod per Paulum dicitur, Christi bonus odor sumus Deo. Unde nunc sancta Ecclesia in electis suis quandam fragrantiam suavitatis odorata loquitur dicens: *Donec rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum,* acsi apertius dicat: Quo.... a meis obtutibus rex apud se in requie secreti coelestis absconditur. Electorum vita miris virtutum operibus exercetur, ut quoad eum quem appetit non videt, ardentius per desiderium flagret. Regi quippe in recubitu suo posito nardus odorem suum dat, dum quiescente in sua beatitudine Domino Sanctorum virtus in ecclesia magnam nobis gratiam suavitatis subministrat. *Sicut lilia inter spinas, sic amica mea inter filias.* Acsi aperte dicat: hi veraciter boni sunt qui in bonitate persistere etiam inter malos possunt: hinc ad Ezechielem dicitur: *fili hominis, perversores et increduli sunt tecum, cum scorpio-nibus habitas.* Hinc Petrus B. Lotho vitam glorificat dicens: Et justum oppressum a nefandorum injuriis et conversatione eripuit. Aspectu enim et auditu jussus erat habitans apud eos qui de die in diem animam justis iniquis operibus cruciabant. Hinc Paulus Apostolus Sanctorum vitam glorificat, et glorificando confirmat dicens: *In medio nationis pravae et perversae inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo verbum vitae continentes.* Hinc per Joannem Angelus Pergamenae ecclesiae attestatur dicens: scio ubi habitas, ubi sedes est Sathanae, et tenes nomen meum et non negasti fidem meam. *Sub umbra illius quem desideraveram sedi.* Per umbram quippe hoc loco refrigerium cordis ex superna protectione exprimitur. *Sub umbra, inquit, illius quem desideraveram sedi* acsi diceret: ab aestu desiderationum carnalium sub adventus illius protectione requievi. *Fulcite me floribus, stipate me malis quia amore langueo.* Quid namque sunt flores nisi animae bonum jam opus inchoantes et desiderium coeleste redolentes? Quid mala cum floribus nisi et perfectae bonorum mentes, quae ad fructum perveniunt boni operis de initio sanctae propositionis; quae ergo amore languet fulciri quaeret floribus,

stipari malis, quia etsi illum quem desiderat videre adhuc non permittitur, magna ei est consolatio cum de aliorum profectibus laetatur. Anima ergo sancto amore languida floribus malisque fulciatur ut requiescat in amore proximi quae adhuc non valet contemplare vultum Dei. Pensemus quomodo Paulus ejusmodi amore languebat qui dicebat: *mihî vivere Christus est et mori lucrum*. Omnipotenti Deo tanto se amore conjunxerat, quod sibi vitam Christum tantummodo et mori lucrum esse deputabat. Hinc est quod iterum dixit: *Desiderium habeo dissolvi et cum Christo esse*. Sed ecce qui dissolvi desiderat, quo amore langueat, videamus quia interim defferri se conspicit fulciri quare floribus non requiri? Qui ent plane, nam sequitur: Permanere autem in carne necessarium propter vos; et proficientibus discipulis dicit: quae est nostra spes aut gaudium aut corona gloriae? nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum? *Laeva ejus sub capite meo et dextera illius amplexabitur me*. Quid per laevam nisi vita praesens, quid per dexteram nisi perpetua vita signatur? Sancta Ecclesia prosperitatem videlicet praesentis vitae quasi sub capite posuit, cum intentione summi amoris premitur. Dextera vero Dei eam amplectitur quia sub aeterna beatitudine ejus tota se devotione subjungere conatur. Hinc rursum per Salomonem dicitur: longitudo dierum in dextera ejus, in sinistra vero illius divitiae et gloria. Divitiae itaque et gloria qualiter sint habenda docuit: hinc quod Psalmista ait, salvum me faciat dextera tua, neque enim ait manus sed dextera tua, ut videlicet quam dexteram doceret, quia aeternam salutem quaerebat, indicaret: hinc rursus scriptum est: dextera tua Domine confregit inimicos; hostes enim Dei, qui hac in sinistra proficiunt, dextera franguntur, quia plerumque pravos vita praesens elevat, sed adventus aeternae beatitudinis damnat. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*. Veniens quippe Christus ad redemptionem nostram, quosdam ut ita dicam, saltus dedit et necessarium nobis est ipsos ejus saltus agnoscere. De coelo venit in uterum, de utero venit in praesepe, de praesepe venit in crucem, de cruce venit in sepulcrum, de sepulcro rediit in coelum. Ecce ut nos post se currere faceret tot pro nobis saltus manifestata per carnem veritas dedit quasi ut Gigas ad currendam viam suam, ut nos ei ex toto corde diceremus: *trahe nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum*. Unde oportet ut illic sequamur corde, quo eum ascendisse corpore credimus et desideria terrena fugiamus. Nihil jam nos delectet in infimis, quia patrem habemus in coelis, et hoc nobis magnopere pendendum est, quia is qui placidus ascendit, terribilis rediet, et quidquid magnopere praecepit, hoc a nobis cum distractione exigit. *En ipse stat post parietem nostrum*. Sancta Ecclesia sponsi sui speciem in divinitate videre desiderans nec tamen valens, quia aeternitatis illius formam quam intueri concupierat, humanitate abscondit. En ipse, inquit, stat post parietem nostrum, ac si aperte dicat: ego hunc jam in divinitatis suae specie videre desidero; sed adhuc a visione illius per assumptae carnis parietem excludor, qui enim humanis oculis hoc, quod de mortali natura assumpsit, ostendit et in se ipso invisibilis mansit. In aperto se videre quaerentibus quasi post parietem stetit, quia videndum se manifestata majestate non praebeuit. Quasi enim post parietem stetit, quia humanitatis naturam quam assumpsit

ostendit et divinitatis naturam humanis oculis occultavit. Unde illic subditur: *respiciens per fenestram prospiciens post cancellos*. Quisquis enim per fenestram vel per cancellos respicit, partim nec totus videtur. Sic nimirum redemptor noster ante dubitantium oculos factus est, quia si miracula faciens non pertulisset ut homo plane eis apparuisset Deus. Si infirma carnis pertulisset solum, purus putaretur homo, at quia divina fecit et humana pertulit quasi per fenestras vel per cancellos ad homines prospexit, ut Deus appareret ex miraculis et lateret ex passionibus, sed tamen ultra homines ex miraculis agnosceretur. *Surge, propera, amica mea, jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra*. Quia praedicatores vitae ecclesiae cum vita praesenti i. e. pluviae cum hieme cessabunt, recte nunc exeunti animae atque ad aeterna aestiva properanti sponsae voce blandimentis dicitur: *surge propera amica, jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit*. Transeunte quippe hieme imber recedit, quia cum vita praesens peragitur, in qua nos ignorantiae nubilo carnis corruptibilis torpor adstrinxerat omnis mysterium praedicationis cessat. Clarius quippe per nos tunc videbimus hoc quod sanctorum vocibus nunc obscurius audimus. Tunc erit novi testamenti finis, cum ea quae de se promiserat implevit, firmetur vero testamentum, verba cessabunt. Unde huic sponsae verae luminis diem quasi vernalem praestolanti ejusdem sponsi voce dicitur: *surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni; jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra*. Sive enim sancta Ecclesia seu unaquaeque electa anima coelesti sponso est amica, per amorem, columba per spiritum, formosa per morum pulcritudinem, quae cum jam de corruptione carnis educitur, ei procul dubio hiems transiit, quia praesentis vitae torpor abscedit. Imber quoque abiit et recessit, quia cum ad contemplandum Deum omnipotentem in sua substantia educitur jam verborum guttae necessariae non erunt ut pluvia debeat praedicationis infundi, nam quo minus audire poterit eo amplius videbit. Tunc apparebant flores in terra, quia cum de aeterna beatitudinis vita quaedam suavitatis primordia praegustare anima coeperit, quasi jam in floribus adoratur quod postquam egressa fuerit in fructu uberi habebit. *Tempus putationis advenit*. In putatione quippe sacramenta sterilia praeceduntur, ut ea quae praevalet uberius fructum ferant. Nostrae itaque putationis tempus nunc adveniet, quando infructuosam hanc noxiamque corruptionem carnis deseruerimus, ut ad fructum animae pervenire valeamus. *In lectulo meo per noctes quaesivi, quem diligit anima mea, quaesivi illum et non inveni*. Abscondit se sponsus, cum quaeritur, ut non inventus ardentius quaeratur, et differtur ne quaerens sponsa inveniat, ut tarditate sua capiatur reddita, multiplicius quandoque invenit quod quaerebat. In lectulo enim dilectum quaerit, quando in ipso suo otio et vacatione quem appetit jam videre anima concupiscit. Jam enim ad eum exire desiderat, jam carere praesentis vitae tenebris anhelat. Sed quaerit illum et non invenit, quia quamvis magno amore desiderat, tamen ei nunc non conceditur videre quem amat. *Surgam et circuibo civitatem per vicos et plateas, quaeram quem diligit anima mea*. Defectum quoque inventionis ingeminat dicens: *quaesivi illum et non inveni*. Sed quia diu inventionem desisitit adjun-

git: *invenerunt me custodes qui custodiebant civitatem. Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos inveni quem diligit anima mea.* Dilectum namque in lectulo quaerimus quando in praesentis vitae aliquantula requie redemptoris nostri desiderio suspiramus. Per noctem quaerimus quia etsi jam in illo mens vigilat, tamen adhuc oculus caligat, sed qui dilectum suum non invenit restat ut surgat, civitatem circumbeat, i. e. sanctam electorum Ecclesiam mentis inquisitione percurrat. Per vicos seu per plateas quaerat i. e. per angustam et latam viam gradientes aspiciat, ut si in eis invenire non valeat ejus vestigia exquirat. Sunt nonnulli etiam vita seculares, qui imitandum habeat aliquid de actione virtutis. Quaerentes autem vigilantes inveniunt qui custodiunt civitatem, bonis nostris studiis condescendunt, ut suo verbo vel scripto nos doceant, quos cum perpaululum pertransivimus invenimus, quem diligimus, quia redemptor noster et si humilitate homo inter homines, divinitate tamen super homines fuit, cum ergo transeunt vigilantes, dilectus invenitur, quia cum prophetas et apostolos infra ipsum conspiciamus esse, illum qui natura Deus est, esse super omnes consideramus. Prius ergo non inveniendus quaeritur, ut post inventus strictius teneatur. Sancti enim desiderio ardent. Hoc amore arsit quicunque ad veritatem pertingere potuit. Hinc namque David ait: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Domini? Hinc idem admonet dicens: quaerite faciem ejus semper. Hinc Propheta ait: Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritus meus in praecordiis de mane vigilabo ad te. *Invenerunt me, inquit, vigilantes qui custodiebant civitatem. Num quem dilexit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* Quos enim vigilantes qui civitatem custodiunt nisi priores patres et prophetas accipimus, qui ad custodiendam sanctam Ecclesiam sanctae praedicationis voce vigilarunt. Sed cum redemptorem suum ecclesia quaereret in ipso antiquos praedicatores spem figere noluit quae dicit: paululum cum pertransissem eos inveni quem diligit anima mea. Illum quippe in venire non posset, si sitos pertransire noluisset. In istis se custodibus infideles fixerant qui Christum Dei filium unum quemlibet esse illorum credebant. Voce igitur ac fide petit: inventos vigilantes sancta Ecclesia transiit quae prophetarum Dominum unumquemlibet ex prophetis credere contempsit, dicens: tu es Christus, filius Dei vivi. Quae est ista quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris, et universi pulveris pigmentorum. Quia gracilis et delicata, quia divinis est attenuata disciplinis (etenim concremata intus in holocaustum incendio pii amoris et desiderio caritatis) *ut virgula inquit fumi ex aromatibus nimirum quia multis repleta erat virtutum odoribus, manans ex ea fragrabat suavissimus odor et Spiritus angelicus: ascendebat autem de deserto praesentis seculi virga de radice Jesse olim exorta, et mirabantur electorum animae prae gaudio quatenam esset, quae etiam meritum virtutibus Angelorum vinceret dignitatem.* Sancta quippe Ecclesia, cum ab hoc mundo sanctis precibus ardenti amore se erigit per desertum, quod deserit, ascendit. Qualiter vero ascendit, adjungit. Sicut virgula fumi ex aromatibus: fumus de incenso nascitur. Et per Psalmistam dicitur: dirigatur Domino oratio mea sicut incensus fumus

lac
cor
qui
atq
vir.
vis
mi
ex
van
stri
my
aut
inc
cor
affi
spe
san
ris
dun
eni
bon
retr
nen
In
des
Qui
glau
scir
quic
bell
nam
glad
suav
tion
illec
tent
cust
tame
dicit
spe
fem
nes
tur,
supe
dum
per
lumi
carit
est,

lacrimas excutere solet. Ita fumus ex aromatibus compunctio orationis concepta ex virtutibus amoris, quae tamen oratio fumi virgula dicitur, quia dum sola coelestia postulat, sic recte progreditur, ut ad terrena atque temporalia petenda minime reflectatur. Et notandum quod non virga sed virgula nuncupatur, quia interdum odore tantae subtilitatis est vis amoris, ut hanc ipse animus non possit comprehendere, quem illuminatus ruit habere. Sicut fumi virgula ex aromatibus ascendit, quia ex vitae suae virtutibus interne quotidie in rectitudine proficit, nec pravam cogitationem defluit. Sed se intra arcana cordis vigoris virga constringit et ea quae agit dure cogitare semper ac tractare non desinit. Myrrham quidem et thus habet in opere, pulverem in cogitatione. Bene autem dicitur myrrha et thus; thus enim ex lege Domini in sacrificio incendit, per myrrham vero corpora mortua condiuntur, ne a vermibus corrumpantur. Myrrha ergo et thuris sacrificium offerunt, qui carnem afficiunt, ne eis corruptionis vitia dominantur, et redolentem in conspectu Domini amoris sui hostiam incendunt, seque ipsos Domino in sanctis virtutibus exhibent; unde et illic subditur: *Et universi pulveris pigmentarii*. Pulvis est pigmentarii virtus boni operis. Et notandum, quod bene operantium non pigmenta, sed pulveres dicuntur. Cum enim quaelibet bona agimus, pigmenta offerrimus, cum vero ipsa etiam bona, quae agimus, retractamus, et ne quid in his sinistrum fiat iudicio retractationis attendimus quod ex pigmentis pulverem facimus, ut orationem nostram Domino per discretionem et amorem subtilius incendamus. *In lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*. Spiritualis pugnae describens bellatores ait: *omnes tenentes gladios* et ad bella doctissimi. Quid namque Scriptura divinitus loqueretur Paulus aperuit, dicens: *Et gladium spiritus quod est verbum Dei*. Non est mirabile solummodo scire sed facere, habet quippe bella sed non eget gladio, qui divinum quidem eloquium novit, sed secundum id vivere negligit. Doctus ad bella jam non est, qui spiritualementem quem habet gladium minime exercet, nam resistere tentationibus homo non sufficit, qui hunc verbi Dei tenere gladium male vivendo postponit. *Uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos*. Nocturni timores sunt insidiae tentationis occultae; ensis autem super femur est custodia vigilans carnis illecebras premens. Ne ergo nocturnus timor i. e. occulta et repentina tentatio subrepat, semper necesse est ut femur nostrum superpositus custodiae ensis premat. Sancti etenim viri sic de spe certi sunt, ut tamen semper sint de tentatione suspecti. Hinc igitur per Psalmistam dicitur: *Servite Domino in timore et exultate ei cum tremore*, ut de spe exaltatio et de suspitione nascatur tremor. Vel certe ensis super femur ponitur, quando acumine sanctae praedicationis pravae suggestiones edomantur. Per noctem vero caecitas nostrae infirmitatis exprimitur, quia quidquid adversitatis eminet, non videt. Uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos, quia videlicet si viri, dum ea quae non vident metuunt, ad intentionem certaminis parati semper assistunt. Ferculum fecit sibi rex Salomon, de lignis Libani columnas ejus fecit, reclinatorium aureum ascensum... purpureum media caritate constravit propter filias Hierusalem. Nequaquam credendum est, Salomonem tantae magnitudinis regem qui sic immensis divitiis ut

pondus auri ejus aestimari non posset et argentum in diebus illius pretium non haberet, quod ferculum sibi ligneum fecerit. Sed iste Salomon est. . . . cificus noster Christus videlicet, qui sibi de lignis Libani ferculum fecit. Libani quippe ligna cedrina valde sunt imputribilia; ferculum itaque regis nostri sancta ecclesia est, quae de fortibus i. e. de imputribilibus, membris est constructa, quae recte ferculum dicitur, quia ipsa fert quotidie animas ad aeternum convivium conditoris sui. Cujus in ferculo columnae argenteae factae sunt, quia praedicatores ecclesiae luce resplendent scientiae. Est autem columnis aureis reclinatorium aureum, quia per hoc quod a sacris praedicatoribus lucide dicitur, mentes audientium fulgorem claritatis intimae, in quo reclinentur, inveniunt. Per hoc enim quod lucide aperte audiunt, in illo quod clarescit in corde requiescunt. Columnae ergo argenteae et reclinatorium aureum factum est, quia per lucem sermonis invenitur apud animum claritas quietis. Ille quippe jam fulgor. . . . tis internus irradiat, ut per intentionem ibi requiescat ubi praedicationis gratia corruscat. De eadem quippe sancta ecclesia scriptum est: *Pennae columbae deargentatae et posteriora dorsi ejus in specie auri*, quia enim hic spiritu mansuetudinis repleta est, quasi columba pennas deargentatas habet, posteriora vero dorsi speciem auri continent, quia hic praedicatores sui sermonis luce induit: in posteriora autem seculi fulgorem in se claritatis ostendit: sed ad hoc quod clarum intus ostenditur, qualis ascensus sit adjungit cum de eodem ferculo protinus subdit: *Ascensum purpureum*. Vera quippe purpurea quia de sanguine tingitur non immerito in colore sanguinis videtur, et quia maxima multitudo fidelium in exordio nascentis ecclesiae per martyrii sanguinem pervenit ad regnum, inter quos etiam gloriosae Germanae virgines, de quibus sermo habetur, digne etiam numerari meruerunt. Rex noster ascensum purpureum fecit in ferculo, quoad clarum, quod intus aspicitur, per tribulationem carnis pervenitur. Quid ergo adhuc nos miseri atque ab omni fortitudine destituti acturi sumus! Ecce in hoc ferculo columnae esse non possumus, quia in nobis nec fortitudo operis nec lumen emittat praedicationis. Reclinatorium aureum non habemus, quia necdum sicut oportet per intellectum spirituum requiem internae claritatis aspicimus. Ascensus purpureus non sumus, quia pro redemptore nostro sanguinem fundere non valemus. Has autem sanctas puellas fuisse constat, quarum annua solemnia recolimus. Quid ergo de nobis agendum est? quae spes erit si nullus ad regnum pervenit, nisi qui summis praeditus virtutibus fuerit? Sed est quoque nostra consolatio. Amemus quantum possumus Dominum, diligamus proximum et simul quoque nos ad Dei ferculum praeparemus, quia sic illic scriptum est: media caritate constravit; habeamus quippe caritatem et eo sine dubio perveniemus, ubi columna argentea erigitur, et ascensus purpureus tenetur, nam quod hoc propter nostram infirmitatem dicatur, aperte monstratur, cum illic protinus subdatur: *Propter filias Hierusalem*. Sermo enim Dei, qui non filios sed filias dicit, quid aliud per sexum femineum quam mentium infirmitatem significavit. Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es, oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet. Pulchram narrat et pulchram replicat, quia alia est ei pulchritudo morum, in qua nunc cernitur, atque alia pulchri-

tū
cu
ce
si
qu
vic
in
pa
qu
pr
pr
ru
an
co
cin
ca
ha
ga
dis
eas
qu
Da
per
gu
elo
hu
no
De
sid
Qu
pis
est
nei
ma
qui
du
sit
lic
ali
tur
fru
poi
vol
nos
Qu
qui
To
pra
git,

tudo praemiorum, in qua tunc per conditoris sui speciem sublevatur, cujus membra sunt omnes dilecti, videlicet qui ad cuncta simpliciter incedunt. Ejus oculi columbarum vocantur, quia magna luce irradiant et signorum miraculis corruscant. Sed quantum est omne hoc miraculum, quod videri potest apud illam. Interius miraculum est mirabilius quod videri nunc non potest de quo illud aperte subditur: Absque eo quod intrinsecus latet, quia magna gloria est aperti operis, sed longe incomparabilis occultae remunerationis. *Dentes tui sicut greges detonsarum quae ascendunt de lavacro.* In scriptura sacra dentes aliquando sancti praedicatores: aliquando interni accipi sensus solent. De sanctis enim praedicatoribus nunc sponsae dictum est: *dentes tui sunt greges tonsarum quae ascenderunt de lavacro.* Unde et uni eorum ostensis in figura animalium generibus dicitur: *Macta et manduca* i. e. vetustatem eorum contere et in corpus videlicet ecclesiae suae converte. *Sicut vitta coccinea labia tua sponsa mea, eloquium tuum dulce.* Vitta quippe crines capitis adstringit, labia ergo sponsae sicut vittae sunt, quia ex oratione haustae ecclesiae cunctae in auditorum mentibus diffusae cogitationes legantur ne remisse defluant, ne sese ad illicita spargant, ne sparsae cordis oculis deprimant, sed quasi ad unam intentionem colligantur, dum eas sanctae nexu predicationis ligant quam recte et coccineam asserit, quia sancta praedicatio solo caritatis ardore flarescit. *Sicut turris David collum tuum quae aedificatur cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* In collo etenim guttur, in gutture vox est. Quid ergo per collum sanctae ecclesiae nisi sacra ejus eloquia designantur, in qua dum mille clypei pendere memorantur, per hunc perfectum numerum numerus universus ostenditur, quia universa nostra munitio in sacro eloquio continetur. Ibi quippe sunt praecepta Dei, ibique exempla justorum. Si enim torpet animus a conditoris desiderio sui audiat quod dicitur: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Qui res alienas concupiscit, audiat quod illic scriptum est: *non concupisces rem proximi tui.* De injuria quae a proximio vel facto illata est, si irata mens accenditur, audiat quod dicitur: *Non queras ultionem nec memor eris injuriae civium tuorum.* In carnis concupiscentia male sauciata mens si accenditur, ne sequatur oculus mentem, audiat quid paulo superius dictum est: *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam jam moechatus est eam in corde suo.* Contra inimicum forsitan quisque animum suum relaxare disponit in odium, audiat quod illic scriptum est: *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Si is qui jam aliena rapit adhuc forsitan sua inordinate retinet, audiat quid illic dicitur: *Vendite quae habetis et date elemosynam.* Infirmantis animus perfrui vendiderat Deo simul et seculo, audiat quod illic scriptum est: *nemo potest duobus dominis servire.* Alius non ad necessitatem stipendii sed ad voluntatem desiderii posessa retinet, et is audiat quod illic dicitur: *qui non renuntiat omnibus quae possidet non potest meus esse discipulus.* Quidam enim relinquunt omnia, multi autem ea possidendo renuntiant. qui sic ad usum posessa retinent, ut his ex desiderio non succumbant. Torporem quisquam appetit et laborem subire pro Domino etiam cum praevalet refugit, audiat quod illic scriptum est: *Qui mecum non colligit, dispergit.* In collo ergo sanctae ecclesiae i. e. in sacri eloquii prae-

dicatione quae pro sua altitudine et munitione turris David similis dicitur: mille clypei pendent, quia quod illic praecepta sunt tot etiam corporis nostri munimina. Ad servandam itaque innocentiam ecclesiae et erga proximum perdurare in humilitate festinamus? Abel ante oculos veniat, qui occisus a fratre scribitur et non legitur reluctatus. Mentis munditiam quis cum conjugali copula elegit? Enoch debet imitari qui et in conjugio positus ambulavit cum Domino et non

D. DE AENIGMATIBUS SALOMONIS.

Annecto libellum de aenigmatibus Salomonis, exscriptum e codice Toletano superius memorato, et in codice quoque Portuensi numero DCCC assignato obvium nobis, qui fortasse iis, qui indagare velint, quinam auctores horum in canticum Canticorum commentariorum scriptorum fuerint, alicujus utilitatis esse poterit. De auctore ipse perpauca proferre possum; Justum Toletanum mortuum esse Sisenandi tempore regis Ildephonsus quidem testatur in libro de viris illustribus (cap. 8), neque tamen facit mentionem libri ab eo conscripti, cui tamen, auctoritatem sequens inscriptionis, nomen ejus praeposui.

JUSTUS EPISCOPUS TOLETANUS DE AENIGMATIBUS SALOMONIS.

Sunt autem in Salomonis carminibus aenigmata multa, sunt et proverbia sive parabolae. Aenigmata sunt profundae quaestiones et intellectu obscurae, quae non simplici sed allegorico sermone proponuntur. Proverbia sunt verborum figurae, ut aliud sit in sermone, aliud in re; non enim in eis ipsa verba videntur sed figurae verborum ipsorum intelliguntur. Parabolae autem dicuntur comparativae similitudines, aliud habentes in medulla, aliud in superficie demonstrantes, non enim hoc sonant quod scriptum est, quomodo etiam in evangeliiis edocemur quod Dominus populo in parabolis et in proverbiiis sit locutus; secreto autem apostolis dissolverit ea, ex quo manifestum est, parabolas Salomonis non ut simplices arbitrantur patentia habere praecepta, sed quasi intra nucis corticem nucleus et in hirsutis castanearum operculis absconditus fructus inquiritur. Itaque in eis divinus sensus altius perscrutatur, sicut est illud ejusdem, ubi in typo dominicae incarnationis vel de sacrificio immolatae hostiae prophetavit. Ait enim sapientia: aedificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, proposuit mensam, misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem et ad moenia civitatis. Sapientia domum sibi aedificavit, dum ex utero Mariae Virginis Christus carnem assumpsit. Columnas autem septem excidit, qui septiformis spiritus plenitudinem in se habuit. Secundum corpus autem

ejus quod ecclesia sapientia domum sibi aedificavit, quae septem etiam sibi columnas excidit, quia ab amore praesentis seculi disjunctos ad portandam dictae ejusdem ecclesiae fabricam mentes praedicantium erexit, quae pro eo quod perfectionis virtute subnixae sunt per septenarium numerum deputantur. Immolavit victimas; quia vitam praedicantium mactari in persecutione permisit; vinum miscuit quia divinitatis et humanitatis suae pariter nobis arcana praedicavit, mensam quoque proposuit quia scripturae sacrae nobis pabula aperiendo praeparavit. Ancillas etiam suas misit, quae ad arcem nos atque moenia civitatis vocarent, quia apostolos et praedicatores infirmos abjectosque studuit habere, qui fideles populos ad spiritualis patriae aedificia colligerent.

Aenigmata autem sunt apud eundem Salomonem profundae quaestiones et intellectus obscuri, quale est illud quod proponit in eisdem proverbiiis, dicens: *Quis ascendit in coelum atque descendit? quis collegit ventos in sinu? quis collegit aquas in vestimento? quis tenet fines terrae? quod nomen est ejus aut quod nomen filii ejus, si nosti?* Horum duorum quae in extremo commemoravit unum retulit ad Patrem i. e. quod nomen ejus, propter quod dixerat Deus: docuit me sapientiam; et alterum evidenter ad filium, cum ait, aut quod nomen est filii ejus, propter cetera quae de filio magis intelliguntur, h. e. quod descendit in coelum et descendit, quod Paulus ita commemorat: qui descendit ipse est et qui ascendit super omnes coelos. *Qui colligit ventos in sinu* i. e. animas credentium in occultum atque secretum, quibus dicitur: mortui enim estis et vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. *Qui convertit aquas in vestimento*, ut dici possit, quotquot Christo baptizati estis Christum induistis. *Qui tenet fines terrae* quia dixit discipulis suis: eritis mihi testes in Hierusalem et in tota Judaea et Samaria usque in fines terrae.

Item ipse aliam alegoriam per aenigmata commendans de sanguisuga et filiabus ejus exempla proponens ait: *Sanguisugae duae sunt filiae dicentes: Affer, affer.* Sanguisuga vermis est aquatilis, coeno alitur, potantibus insidiatur, cumque illabatur faucibus adhaerescit sanguinem sugit, cumque nimio cruore maduerit evomit quod hausit, ut recentiorum denuo sugat. Sanguisugam igitur in hoc loco impurum et immundum diabolus dicit, qui coeno criminum alitur et gratiae spiritualis fluentia potantibus insidiatur, et cum sit tenuis et paene nullus alieno cruore grandescit. Ab initio hic sanguisuga diabolus fuit per quem mors introivit in mundum, habens duas filias cupiditatem et luxuriam, de quibus ei nascitur turba nepotum; hae enim duae filiae sanguisugae quotidie dicunt: Affer, affer; nunquam enim expletur neque satiatur cupiditatis et luxuriae sitis.

Postea et tertium aenigma dicens: *tria sunt insatiabilia et quartum quod nunquam dicit: sufficit. Infernus et amor mulieris et terra quae non satiatur aqua, ignis vero nunquam dicit: sufficit.* Inferni nomine diabolus significatur sicut de eo in Apocalypsi dicitur: nomen illi mors et infernus iste qui secundum Isayam Prophetam aperit os suum absque ullo termino quod insatiabilis sit et nunquam animarum deceptione satiatur. Amor mulieris concupiscentia carnis est quae nunquam ambitionibus saeculi expletur. Terra vero non satiatur aqua quia se-

pultos omnes in se suspicit et tamen morientium populorum multitudine nunquam repletur. Per aquam in hoc loco populi intelliguntur qui de vita ad mortem decurrunt. Ignis autem, qui nunquam dicit: sufficit, Gehenna est quae nunquam extinguitur, sed aeternis semper incendiis proximorum cruciatibus propagatur, nunquam enim nec diabolus occidendo nec sepultura devorando nec Gehenna suscipiendo satiatur.

Deinde sequitur: *oculum qui subsannat patrem et despicit partum matris suae, effodiant illum corvi de torrentibus et comedant illum filii aquilae*. Haeretici namque dum Domini praecepta despiciunt subsannant patrem; dum verò sanctae ecclesiae praedicationis foecunditatem deserunt despiciunt partum matris suae, sed eorum oculos effodiunt corvi quia praedicatores ecclesiae omnem intentionem illorum visuum destruunt. Corvi autem vocantur qui de gentilitate venerunt, quia de iustitiae luce nulla elatione superbiunt sed per humilitatis gratiam peccatorum adhuc in se nigredinem confitentur, qui tantum de torrentibus venire memorantur, quia contra eos de antiquorum patrum eloquiis surgunt et comedant illum filii aquilae et intellectu suo eorum intentiones devorent. Illorum quippe sunt filii qui more aquilae volatu alto visu acutissimo superna petierunt.

Rursum aliud aenigma proposuit dicens: *tria sunt difficilima mihi et quartum quod penitus ignoro*. Ubi est illa tua praeclara sapientia Salomon? Conticuisti nec opinari potes ea quae tibi ipsi proponis sed vere et merito hoc dicis, omnia enim sua tempora et suos ordines habent; opportuno itaque et maturo tempore venit, qui obscura illustraret, tecta revelaret et rationem veritatis demonstraret clausa patefaciens illuminaret; sed videamus quae sunt quae inspicere et intelligere non potuit! *Vestigia*, inquit, *aquilae volantis, viam serpentis super terram, semitas maris navigantis et vias viri in juventute*. Aquilam ergo regem altum dominum et salvatorem nostrum intelligimus, de quo scriptum est: sicut aquila super alas suas portavit eos et protexit eos. Quis igitur vestigia aquilae hujus volantis i. e. Salvatoris Domini nostri vel cum venit ad virginem ut verbum caro fieret et habitaret in nobis, vel cum ad inferna descendit ut Patriarcharum animas liberaret, vel cum tertia die victor ab infernis exsurgeret: vel cum rursus ad patrem ascenderet, potuit intelligere aut videre? nam si Apostoli ascendentem eum in coelum viderunt, vestigia tamen ejus minime denotaverunt, ideo ait vestigia hujus aquilae videri et agnosci et sciri non posse, et adjecit: *et viam colubri super petram*. Nulli dubitandum est corpus Christi petram intelligi oportere sicut Apostolus ait: bibebant de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus; ut ergo non facile apparet via colubri super petram qui molle et squamosum corpus habet, ita et in Christo, qui est petra, nullum vestigium nequitiae suae i. e. nullum peccatum serpens diabolus impressit; sicut ipse Dominus ait: ecce venit princeps mundi et nihil invenit in me, quod enim ex concupiscentia carnis non erat, omni culpa carebat. Deinde adjecit: *et semitas navis navigantis*, nam navim in medio mari nondum Salomon noverat, nondum viderat, legerat quidem arcam ligneam compositam supernatantem naufragium diluvii evasisse: ecclesiae tamen navim, quae corpus est Christi inter freta mundi, inter populos haeticorum et sparsa gentium saxa

navigantem non viderat. Cum autem excitarentur invidiae procellae, et tentationum vertigo rotaret, et turbinis saevientis persecutionis non sine discrimine tempestas exurgeret, provehentibus tamen ventis apertam occupat paradisi portam. Hujus ergo navis vestigia i. e. ecclesiae quae corpus est Christi vel semitas nullus invenire potuit, nisi solus ille, qui eam construxit. Et adjecit: *et viam viri in adolescentia non intelligo*. Hic noster tricenarius vir vigore fortissimae aetatis, qui virtutum vias composuit et ostendit, hic est invictus juvenis qui diabolum vicit; quis ergo vestigia hujus viri agnoscere potuit, cujus a summo coelo egresso ejus et usque ad summum coeli regresso illius, qua enim via venit ad hominem qui ascendit ad Patrem qui est venturus judicare vivos et mortuos: has quippe vias nec propheta comperit nec mundus vidit nec potestas ulla cognovit. *Talis, inquit, est via mulieris adulterae quae postquam abluta est dicit: non sum operata malum*. Hic quibusdam videtur discrepare, sed unum idem est, nam mulier adultera et polluta, quae abluta dicit se nihil mali egisse, vere et merito hoc dicit, quia scriptum est: prostitutae praecedent vos in regno coelorum; stupro enim idolatriae animo fuerat violata, dum adhuc gentiliter viveret; sed gratia Dei et indulgentia praeventa deteris turpitudinum sordibus divino lavacro lota purificatur et virgo fuit de priore meretricatione peccati, et consecuta remissionem peccatorum dicit se nihil mali egisse, sed vere et confidenter dicit, quia nulli animae imputatur delictum, quod ante lavacrum commisisse cognoscitur.

Idem sapientissimus Salomon aliarum rerum non simplici sed allegorico sermone prosequitur dicens: *Per tria terra commovetur et quartum quod non potest sustinere. Per servum si regnaverit, per stultum si satiatu fuerit cibo, per odiosam mulierem si in matrimonio fuerit assumpta et per ancillam cum haeres fuerit dominae suae*. Haec enim a plurimus geruntur nec tamen aliquis terrae motus ad hoc sit, sed quia Salomon in proverbiiis loquebatur non res ipsas sed figuras rerum admonet intelligi. Nam quod dixit *servum regnare* non de saeculari regno hoc scripsit, nam multi servi regnaverunt, et nullus terrae motus fuit, sed et prospere illi et feliciter haec gesserunt. Sed si servus ille tergiversator diabolus animi imperium auferat, si terrenus homo coelestem excludat, et ipse sibi regnum in corpore vendicet, vere ad hoc movetur i. e. caro hominis, quia caro terra in scripturis sacris appellatur, dicente Domino ad Adam: terra es et in terram ibis. Sequitur: *per stultum cum satiatu fuerit cibo*. Stultus hic judaeus populus intelligitur quia sapientiam Dei Christum non cognoverunt. Cibus vero in scripturis divinum eloquium designat, cujus doctrina anima alitur propter hunc cibum, quo Judaei prae omnibus gentibus pravo et indiscreto sensu usi sunt, terra commoveri dicitur, quia in ejus praeceptis terrena, non coelestia appetunt. Et per *mulierem odiosam cum in matrimonium fuerit assumpta* synagoga intelligitur, quae quidem assumpta fuerat in matrimonium a Christo, propter incredulitatem tamen odio habita est, et abiecta atque repulsa, sicut per prophetam filium ejusdem Dominus dicit: quis est liber repudii? iste quem dedi matri nostrae et jam non illa uxor mea sed ego vir ejus. Per hanc igitur terra motum habuit, quando commota est civitas ejus terrestris, Hierusalem adversus Christum,

et in cruce suspendit. Et per *ancillam*, cum haeres fuerit dominae suae. Hoc quidem saepe fit, nec tamen illum motum terrae sensit, sed de alia ancilla dicit hoc scriptura divina, quam ancillam haereticorum plebem intelligi voluit, quae dominae suae i. e. ecclesiae haeres fieri contendit. Vendicant enim sibi haeretici et scripturas sanctas et baptismum et caetera ecclesiae mysteria; sed hoc sustineri non potest, amissuri sunt enim gratiam istam sacramentorum, quod non sibi debitam superbe et illicite praesumpserint.

Sed adhuc aliud rursus aenigma proponit dicens: *quatuor sunt minima terrae et ipsa sunt sapientiora. Sapientibus formica populus infirmus qui praeparat in messe cibum sibi, lepusculus plebs invalida, qui collocat in petra cubile suum; regem locusta non habet et egreditur universa per turmas. Stellio manibus nititur et moratur in aedibus regis.* In vocabulo *formicae* anima provida vel operaria designatur, quae frugem justitiae in promptuario pectoris sui recondit; ista sibi in messe cibum praeparat quando propter vitam saeculi futuri hic fructum bonae operationis sollicita intentione procurat. Infirmus autem populus dicitur, quia non in se de suis operibus, sed in Domino gloriatur dicens: misere mei Domine quoniam infirmus sum. *Lepusculus plebs invalida, qui collocat in petra cubile suum* — hoc animal timidum et invalidum peccatorem significat. Petra autem Christus; plerumque iniquus metuens gehennam, licet coopertus sit peccatis et immundi spiritus insequantur, non tamen ab eadem petra descendit, ad quam perfugium habet, quae illum doceat dicere: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. In petra quippe lepusculus cubile suum collocat, quando peccator ad Christum per poenitentiam revocatur, ubi jam firmus accubans nullas Satanae insidias expavescit. *Regem locusta non habet et egreditur universa per turmas.* Hic locustarum nomine plebs gentilium designatur, quae dudum relictæ a divino regimine aliena extitit, sed tamen postmodum contra adversantem spiritum ad fidei bellum ordinata processit. *Stellio manibus nititur et moratur in aedibus regis;* plerumque enim avis quae ad volatum pennam non habet nitens manibus regni aedificium tenet, quia nimirum multi prudentes, dum per negligentiam torpent in pravis actibus remanent, et simplices, quos ingenii vel scientiae penna non adjuvat, ad obtinenda aeterni regni moenia virtus operis levat. Stellio ergo dum manibus nititur in regis aedibus moratur, quia illuc simplex et humilis per intentionem recti operis pervenit, quo prudens elatus minime ascendit, hi sunt minima terrae sed sapientiora sapientibus qui fide et operibus eo perveniunt quo elati et sapientes hujus seculi non potuerunt; ad comprehendenda enim illa omnia magna industria amoris laborant, et dum studio intentionis invigilant scientiam sapientium superant.

Sequitur deinde aliud aenigma ejusdem Salomonis. *Tria sunt quae bene gradiuntur, quartum quod incedit feliciter. Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum, Gallus succinctis lumbis et aries nec est rex qui resistat eis.* Hujus aenigmatis textum jam supra exposuimus in libro Proverbiorum.

MONUMENTA

IMPERII ARABUM IN HISPANIIS.

THE HISTORY OF THE
LIFE OF
THE
LORD OF THE
TREASURY OF THE
COMMONS
OF GREAT BRITAIN
AND IRELAND
IN THE
SEVENTEENTH CENTURY
BY
JOHN HANCOCK
ESQ.

IN TWO VOLUMES.
LONDON:
PRINTED BY
J. HANCOCK
AT THE
PRINTING OFFICE
IN ST. MARTIN'S LANE
1755.

THE
LORD OF THE
TREASURY OF THE
COMMONS
OF GREAT BRITAIN
AND IRELAND
IN THE
SEVENTEENTH CENTURY
BY
JOHN HANCOCK
ESQ.

THE
LORD OF THE
TREASURY OF THE
COMMONS
OF GREAT BRITAIN
AND IRELAND
IN THE
SEVENTEENTH CENTURY
BY
JOHN HANCOCK
ESQ.

THE
LORD OF THE
TREASURY OF THE
COMMONS
OF GREAT BRITAIN
AND IRELAND
IN THE
SEVENTEENTH CENTURY
BY
JOHN HANCOCK
ESQ.

THE
LORD OF THE
TREASURY OF THE
COMMONS
OF GREAT BRITAIN
AND IRELAND
IN THE
SEVENTEENTH CENTURY
BY
JOHN HANCOCK
ESQ.

THE
LORD OF THE
TREASURY OF THE
COMMONS
OF GREAT BRITAIN
AND IRELAND
IN THE
SEVENTEENTH CENTURY
BY
JOHN HANCOCK
ESQ.

THE
LORD OF THE
TREASURY OF THE
COMMONS
OF GREAT BRITAIN
AND IRELAND
IN THE
SEVENTEENTH CENTURY
BY
JOHN HANCOCK
ESQ.

v
o
i
s
c
n
i
p
il
l
l
n
r
e
t
e
F
M
a
s
t
i
c
s
F
i
c
r
c

I.

EPISTOLAE ASCARICI ET TUSAREDI.

Ascarici et Tusaredi epistolae, quas hic tibi praebeo, lector benevole, inveni in codice Era MLXXXV i. e. anno MXLVII scripto, quem olim inter libros ecclesiae Caesaraugustanae conservatum nostris diebus in bibliotheca Scorialensi sub numero J. I. 3 habemus. Liber manuscriptus cujus litterarum effigiem infra tibi praebeo varia continet; incipit enim ab illis epistolis, quibus includuntur Isidori Hispalensis etymologiae. Tum sequitur alia manu scriptus locus commentarii Gregorii in Jesaiam compositi, quem excipit sine ulla alia inscriptione: *Incipit prologus. Sybillae generaliter omnes feminae dicuntur* etc. i. e. notus ille libellus de Sibyllis, cui subscripta sunt verba: *Explicit liber feliciter Deo gratias. Dominico presbyter fecit XII. Kal. Septembris Era 1305.* Denique rursus alia manu scriptus liber de septem planetis coeli.

Tusaredus, ad quem prima epistola scripta est, et qui in secunda respondet, alioquin ignotus est; Ascaricus autem, qui ei scribit, et ab eo epistolam accipit, nemo alius est, quam episcopus Asturum, qui Adoptionum controversiis erumpentibus commemoratur. Hadrianus papa in epistola ad Hispaniae episcopos data (ep. 97) queritur, quod inter eos praeter errores, quos Egila, de quo jam saepius se locutum esse dicit, Migetio duce divulgasset, Elipandus quoque et *Ascaricus* de filii dei adoptione haereticas opiniones disseminarent. Elipandus autem in epistola ad Fidelium abbatem data huic Ascaricum exemplar, quod sequatur, proponit, laudans, quod non magistri arrogantia sibi sumta, sed interrogantis modestia usus se adisset. — Verum quum in epistolis, quas hic edendas curavi, de propria controversia, de Adoptione, non sermo sit, neque censeri possit, aliud tempus, alium Ascaricum, episcopum Asturum, quem non noverimus, significari, statuamus necesse est, illas epistolas, antequam controversia vera erupisset, scriptas esse, in quibus cognoscimus sollicitè scrutantes Asturum animos nec non Nestorianorum opiniones, quae celeriter officere et poterant et debebant, ut controversia aperte erumperet. Itaque magnam lucunam explent, quae

usque ad haec tempora in Adoptianismi historia fuit. Caeterum eas eadem mala latinitate scriptas profero, qua auctor usus est, sperans, me linguarum investigatoribus gratum facturum.

Directa Ascaricus Episcopus ad Tusaredum Dei famulum de ipsis sanctorum dormientium, qui cum Christo surrexerunt corpora, quid exinde continet gesta nempe in gloria.

Quamquam inconsolabilis luctus, intolerabilis dolor vehemensque meus meror, dum vulgi funestus personat et strepitus vos jacula insidiantum subire exitium, tamen quia placida versa vice vos intonuit alia, vestrum incolumem benivolum persistere animum, omnis ylico convulsionis umbra a me est deteresa et facti rediviba nuntii jucunditas mea usquequaque moestu perlustrare praecordia. Proinde ulnis cum voce porrectis ad aethera tota cum exaltatione Christi indignus benedixi potentiam, qui ita suos inter impiorum decipula tuetur et liberat. Denique licet scire post ergastula, post evulsionem, post lucturam, post innumera contumelia nobis secundum apostolum devota consolationis transmitterem verba, sed a prudentissimo fortissimoque viro scio eum jam esse et tempore et ratione sedata. Illa sunt solummodo qua nuper pullulant scismata in hiscis partibus germina vestrae curavi reverentiae insinuanda. Nam paene omnes abhinc Asturianis usque in ora, qui in clericalus persistunt officia uno seu vel quasi ex ore probrosa de illo quocum corpore dormientium sanctorum surrexere corpora, immo corpora vivificata nitantur impudenter sparge....¹⁾ Et licet omnium non sint uno eodemque sensu fugate omnium tamen conlectura una terminare sententia, nam plerique ea non gloriosa resurrexisse credunt sed corrupta neque ad hoc ea suscitata quasi cum Christo perpetua viventia hominibus, sed ut incredulis Christi ostenderent resurrectionem gloriosam. Et non in coelesti ut beatus referit Jheronimus Jherusalem sanctam sed in illa Judaeorum apparere dicunt terrena. Et sicut Lazarus et alia corpora ante Domini passionem ab ipso Domino suscitata in pristina ea subisse exitia ad propriaque remetissi bustu et ad adventum usque Domini requiescere suscitanda. Illud quasi obiter beati Isidori edicto in medium proferentes ut de Adam tresque patriarchis quod eos in locum urbe propriis narres requiescere in sepulcris non intelligentes stolidi et lirantes ut ille si patria vel quorum nesciret Domini jussu suscitata illa corpora essent, neque propriis ea vidisse oculis si sint in suis aut non sint sepulcris, sed antiquum solummodo de patrum vitam vel obitum genesis proferat storiā. — Nonnulli vero ignorantes quod intersit inter corpus et animam propter corpora animus miseri adstruunt suscitatus ob illud quod scribitur Dominum momordisse infernum et justorum tantum animas eruisse, non peccatorum. Alii sunt qui vera resurrexisse credunt corpora et ea hactenus vibere adfirmant sed in coelis illa esse abominant, illud sacratissimum obicium oraculum evangelicum: nemo ascendit in coelum nisi qui descendit de coelo, filius hominis et nullius hominis esse

1) Legendum videtur: spargere errores.

dicunt posse in coelis carnem, nisi illam quam paratam Dominus dignatus est induere salute. Volunt et isti adicere illam jam dicti beati Ysidori sententiam, quod sit post resurrectionem sanctis in carnem habitatio in coelis promissa, et hoc pertinere noscentes ad illam quae omnium erit hominum resurrectio semel in Christi secundo adventu facta, et non ad illam de qua Iohannes in apocalypsin dicit: haec est resurrectio prima. Obtundunt praeter ea homines et alia plura deliramenta neutricia quae potius nobis insidendum quam sint per ordinem replicanda. Nec hoc silere debeam quod de gloriosa et semper virgine genetrice Domini nostri Jesu Christi Maria enerviter fluxidicere non erubescunt nec metuunt, quod mihi edicere pudet, tam communem interisse in conspectu hominum mortem et in sepulcro hactenus corpus ejus multis visum hominibus requiescere, et quia me igneis omnes perfodiri quotidie non cessant jaculis et nec minimis; quidam enim qui mihi opem ferre vult aut potest ob hoc sugero et tanquam praesens humili prece depono et per illam quae exuperat omnem sensum pacem Domini Jesu Christi obtestor, ut quidquid de hac re vestra beatitudo sentit aut legisse recolet scribere ordinetis et mihi diu non differatis dirigere. Ita regum possideatis indeterminabilem. Et talem conscribere tua sanctitas ordinet epistolam testimoniis multorum adprobatam quae et me instruant, et aperta fronte contentiosos redarguant, quia si mihi ocius vestra non subvenerit cautio puto me funditus eorum fucisci morsibus. Imitare, imitare Domine patriarcam Abraam et cum ter senis terque centenis famulis famoso victor prelio vince, captumque fratrem a Sodomis erue, ut in vos impleatur Salomonis veridica illa sententia: frater qui adjubatur a fratre quasi civitas firma. Duplex etenim vel triplex funiculus difficile rumpitur et duo si fuerint uno sub alio substituitur quia et testudo adglomerata certantium, luctus facile evadit sagittarum. Scio etenim, scio vos saepissime undique occupare angustia, sed si aliquis impedire voluerint difficultates eas vincat illa caritas quae vincit omnia et quae non quae sunt sua, sed quae quaerit aliena. Eia eia, mi domine, eia scribere non differas et me a tot latrantium turmis et undique morsibus ad rectam viam eruas. Ita semper adiutorem in omnibus Christum vestra habeat sanctitas.

His exemtis salutis officio mitto et meminationes sanctorum vestris sacris auribus pando, et ut pro me orare dignetis rogo, et ut mea abluantur picula et liberer ab infidelibus qui sunt in Iudaea. Per vos illos domnos et communes dulcissimos filios sospiturae exposco.

Recensita litterarumstrarum serie jucundum Dominus reddidit animum meum, ob quod vestrae mihi patuere salutis indicia. Nam si mihi plures maneret lingua loquellus, non possem edicere quae meum cor inlustraberit gaudium, quoque exaltaverit in jubilo ut etiam metum longinquo tempore redivibum gaudium amoris vestri, lacrimas fluere fecerit et moerore veterum relebaberit. Mox vero ut perfecta est ipsa relatio quasi e poliandro suscitatus statim Iohannes anxietates forinsecus et extrinsecus manibus cordis dextera laebaque abiiciens ad turrem David quem canticum canticorum canit videlicet fortitudinem scripturarum, in qua mille clippei pendent et omnis armatura fortium concito gressu

cucurri, ut ex ea vel unum clipeum frumeumque tollerem, per quod tutus a bos¹⁾ te dulcem fratrem a Sodomis eriperem et suae prosperitati restituerem. Hinc mihi supra mella dilecte quia non omnes codices quos volui presto habui cum grandi audacia vestris orationibus fretus²⁾ ex eadem turre unum clipeum primum Gregorium adprehendi atque ex eo modicum summatim carpsi, quod ad illorum controversiam, de quo satis opponatur, quae per pauca de qua loquimur huic opellae affigenda sunt. Contemptio enim, ut ait apostolus, ad nihil utile est, nisi ad subversionem audientium. Melius isti qui sapientiae contradicunt facerent, si saperent ad sobrietatem, quae ut scisma parvulis sensu in ecclesia generarent. Praepulere agere debuerunt, si cum apostolis sederent in civitatem quoadusque induerentur virtutem ex alto, et quum in corde suo absconderent eloquia Domini ut non peccarent, nec hoc dicimus ut non inquirant, sed ut altiora mysteria Spiritui Sancto derelinquant. Suficeretque illis cum Raab meretrice in Jherico per fenestram coccum emittere, videlicet per oris confessionem Christum crucifixum credere et salbari, audirentque Paulum vas electionis dicentem: non me fateor plus scire quam Christum et hunc crucifixum, nam qua isti fronte ad ampliora mansionum itinera, videlicet ad decimam, in qua manna fluitur, vicesimum, tricesimum ceterisque duabus, per quas majora intelliguntur sacramenta, jam quasi doctissimi gressum tendunt, scalam ascendere vel descendere, illum cupientes quem vidit Jacob, qui necdum tenuissimum tramitem callere primae secundae tertiae quartae quintae sextae septimae octavae nonaeque culcunt. Egressi de Egypto desudent primum in eremo per multis anfractis atque angustiis, pugnent cum regibus Seon et Og i. e. cum vitiis seu cum diabolo, per quos scisma et eres³⁾ in ecclesia oriuntur, sicque ad mannam comedendum accedant. Nam et eadem manna non plus colligi praecipitur, quam quod sufficeret, si quid superfluum reponeretur vermibus bulliebat. Intelligant quae dicimus nos vero non oportet illorum sequi vesania qui in ecclesiam per scisma et contentiones inaniter laborant sciolos se affecturae cupientes sed declinare et ubi illorum interrogationibus non debemus in astutia neque adulterare verbum Dei sed loqui scita in manifestatione veritatis, nescita relinquere Spiritui Sancto, ut juxta Esayam usque nostrae fidelis sint ut regem nostrum videre in decore mereamur.

His praefatis quia de illorum sanctorum quos ab inferni claustra mediator Dei et hominis Christus Jesus eruere dignatus est in vestra epistola mentio est facta, ideoque ex majorum nostrorum codicibus sententias quas carpsimus huic paginae, ut nos vestra sanctitas facere maluit, licet non ut volui sed ut potui scriptas protrahi:

1) Quod ante adventum mediatoris Dei et hominis omnes et boni et mali ad inferni claustra descenderint. 2) Quod bonorum animae quamvis ad infernum descenderent poenas non luebunt. 3) Quod electorum animus solummodo dominus ab inferni claustra eruit, non reproborum. 4) Quod sancti, qui cum Christo surrexerunt gloriosa i. e. spiritalia percepti sunt corpora, qualia nos excepturos in futura resurrectione expectamus. 5) Quia glorificata illorum sanctorum, de quibus agimus

1) Forte: ambros. 2) Pro fretus. 3) i. e. haereses seu errores.

surrexerunt corpora. 6) Quia Jherusalem ubi visi sunt celestem illum devemus intelligere. 7) De eadem Jherusalem, ut utrumque intelligamus coelestem atque terrenum. 8) Quod non omnes sancti quos ab inferni claustra eruit Christus in carne resurrexunt, sed ut secundum ait evangelium multi. 9) De eo quod in apocalipsin dicitur haec resurrectione prima et cetera. 10) De eo quod evangelium ait: nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo filius hominis. 11) De gloriosa Maria quod nulla storia eam doceat passione aut qualibet morte multari.

1) Quod ante adventum mediatoris Dei et hominis omnes et boni et mali ad inferni claustra descenderint F. Gregorius in libris moralium sic loquitur: Omnis homo quamvis mundaе probataeque vitae fuerit ante adventum mediatoris Dei et hominis ad inferni claustra descendere dubium non est, quum homo qui per se cecidit, per se ad paradisi requiem redire non potuit, nisi veniret ille qui suae incarnationis mysterio ejusdem nobis paradisi iter aperiret. Unde recte beatus Job Dominum postulat dicens: quis mihi tribuat ut inferno protegas me. Psalmista quoque ait: eripuisti animam meam ex inferno inferiori. — *Item ipse*: Omnes electi qui ante adventum redemptoris nostri venerunt in hoc mundo quantumlibet virtutum justitiaeque aberent, e corporibus educti in sinu coelestis patriae statim nullo modo poterant ingredi, quia nec dum ille venerat qui inferni claustra sua descensione solberet et justorum animas in perpetua sede conlocaret. *Item ipse* in eisdem dictis: Priores sancti ab inferni locis liberari non potuerunt, quia nec dum venerat qui illuc sine culpa descenderet ut eos qui ibi tenebantur pro originali peccato a culpa liberaret.

2) Quod bonorum animae quamvis ad inferna descenderint poenas non luebunt, idem doctor in ipsis tractatibus dicit: Ante redemptoris nostri incarnationem justorum animae non ita ad infernum descendisse creduntur, ut in locis poenalibus tenerentur, ¹⁾ ut in superioribus justique requiescerent et in inferioribus injusti crucientur. *Item ipse*: Justorum animae per mediatoris adventum quandoque erant ab inferni locis quamvis non poenalibus liberandae, ob hoc B. Job dicit: constitue mihi tempus, in quo recorderis mei; Agustinus quoque ait: priusquam redemptor noster morte sua humani generis poenam solveret, eos qui coelestis patriae vias sectati sunt, post egressum carnis inferni claustra tenuerunt, non ut poena quasi peccatores plecteret, sed ut eos per ingressum mediatoris reatus primae culpae absolveret.

3) Quod electorum animus solummodo ab inferni claustra eruit, non reproborum sanctus ipse Gregorius in his dictis moralium loquitur: non enim ab inferno rediens Dominus electos simul et reprobos traxit, sed ille exinde omnia subtulit, quae sibi inhaesisse praescivit. Per Oseam prophetam Dominus dicit: ero mors tua, o mors, ero morsus tuus inferne. Quod enim occidimus agimus ut penitus non sit; ex eo enim quod mordemus partem abstrahimus partemque relinquimus. Quia ergo in electis suis funditus dominus occidit mortem, mors mortis exstitit;

1) Nota margini adscripta addit: sed esse superiora inferni loca alia esse inferiora credendum est.

quia vero ex inferno partem abstulit partemque reliquit, non occidit funditus sed momordit infernum. Ero inquit mors tua o mors i. e. in electis meis te funditus perimo. Ero morsus tuus, inferne, quia sublati eis te ex parte transfigo.

4) Quod sancti qui cum Christo surrexerunt gloriosa i. e. spiritualia percepti sunt corpora qualia nos excepturos in futura resurrectione expectamus omnis catholicus non ambigit credere et praedicare. Nam dum de ipsa resurrectione Gregorius beatissimus sanctam romanensem ecclesiam vel per eam universam institueret in omelia prima libri secundi ita affatur: Forte a se aliquis dicat: jure Christus surrexit qui cum Deus esset teneri a morte non potuit; ad instruendam ergo ignorantiam nostram, ad corroborandam infirmitatem nostram suae resurrectionis exemplum sufficere noluit, solus in illo tempore mortuus est et tamen solus minime surrexit. Nam scriptum est: multa corpora sanctorum, qui dormierant surrexerunt; ablata sunt ergo omnia argumenta perfidiae. Ne quis enim dicat sperare de se non debet homo, quod in carne sua exhibuit homo Deus, ecce cum Deo homines resurrexisse cognobimus, et quos puros homines non dubitamus. Si igitur membra redemptoris nostri sumus praesumamus in nobis quod gestum constat in capite; si multum nos abjecimus sperare debemus in nobis nos membra ultima quod de membris ejus superioribus audivimus. Haec sunt illius sanctissimi verba. Dum dicit nos membra ultima talem sperare resurrectionem qualem habuerunt et illi, aperte nos instruit gloriosam illos i. e. spiritualem suscepisse carnem, qualem in futuro nos accepturi erimus. Non enim ille nisi de futura loquebatur resurrectione.

5) Quia glorificata illorum sanctorum, de quibus agimus, surrexerunt corpora in oracula septimae sabbati hoc tubarum paschae ita affatus est: Sanctorum corpora vivificata consurgunt; abitaculum, quod paulisper jacuerat surgit gloriosa. *Item* in eadem ebdomada quarta sabbati: sicut olim te moriente mortua corpora surrexerunt, ita nunc in hac resurrectionis tuae festivitate; sepulti in aeternam requiem transferuntur et si corpora surrexerunt qua fronte ut aytis animas adserunt resurrexisse dum anima substantia spiritalis sit et incorporea. Aut si corpora et non glorificata surrexerunt, qualiter ea adstruat iterum ut Lazarum moriturum. Sicut ad hoc in eadem ebdomada sexta sabbati de ipsum meminit quidam jam dicta, gloriosa vibificata corpora perenniter regnaturum, eorum quoque suffragantibus meritis qui cum unico filio tuo sibi meruerunt resurgere de sepulcris concordia in nobis vigeat caritatis et si pro nobis suffragantur et a quo sunt suscitati, quare non erubescunt inprobi dicere eos morte secunda gustasse?

6) Quia Jherusalem ubi visi sunt hi, qui cum Christo resurrexerunt coelestem illam debemus intelligere. In eadem adhuc jam memoratam ebdomadam in tertia sabbati sicut superius dixi in oracula ea petitio quae pro oratione dominica dicitur sic affatur: ad terribilem tronum altaris cursu concito pater omnipotens properantes rogamus ut omnium peccata labentur et in indulgentiali ungento esse ecclesiastici corporis solidentur. Quo possimus nostris cum renatis infantibus respirare et cum mortuis suscitatis in Jherusalem coelestem medullatum portantes sacrificia introire. — *Item* beatissimus Hieronimus in epistola ad Eliodorum

pro morte Nepotiani presbyteri, quae et epitafion vocatur, inter alia plura sic orsus est dicere: Multa corpora sanctorum dormientium resurrexerunt et apparuerunt in sanctum Jherusalem coelestem; et tunc impletum est illud eulogium: surge qui dormis et inluminabit te Christus. Patent et alia plurima diversorum doctorum de hac re, quae modo non sunt adlata nostris conspectibus. Sed ea quae ad praesens repperimus, si et pauca aduc testimonia proferamus beatus Rufinus presbyter in commentariis suis exposito de symbolo ita inter plura loquitur: Quum Christus surrexit monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum dormientium resurrexerunt et apparuerunt multis et ingressi sunt sanctam civitatem. Illam¹⁾ apostolus dicit: quae verum sursum est Jherusalem libera est, quae mater omnium nostrorum. Unde et Ose propheta ex persona eorum dicit: sanavit nos post biduum, die verum tertia resurgimus et vibimus in conspectu ejus.

7) De eadem Jherusalem ut utraque intelligamus coelestem atque terrenam. De his sanctus Jheronimus bethlemiticae ecclesiae doctor et presbyter in libro quarto comentariorum expositum secundum Matthaeum ita ait: Sanctam civitatem, in qua visi sunt resurgentes aut Jherusalem coelestem intellegamus, aut hanc terrenam quae ante sancta fuerat, quae ob id sancta appellabatur, propter templum et sanctum sanctorum. Quod autem dicit apparuerunt multis ostenditur non generalis fuisse resurrectio quae omnibus appareret, sed specialis ad plurimos ut ii viderent qui cernere merebantur. Haec sunt dicta beati Jheronimi. Quum ergo in utraque Jherusalem nos intelligere maluit visuros terrenam atque coelestem, cur isti contentiose coelestem illos negant ascendere? Nequam enim ut coelestem intelligeremus diceret: si in glorificata carne eos resurrexisse negaret.

8) Quod non omnes sancti quos ab inferni claustris eruit Christus in carne resurrexerunt sed multi ut sanctum evangelium ait. Ambrosius praeceptor Agustini in docmate Christi in homeliis exameron ita loquitur: Pars quaedam antiquorum patrum cum Christo in carne resurgit, ut nostra resurrectio absque ambiguitate veniente iterum illo obanter speretur.

9) De eo quod in apocalipsin dicitur haec resurrectio prima et cetera. Jheronimus Victorianusque ita ayunt: Resurrectio prima nunc est per fidem in anima cum qua pervenitur ad baptismum absolutus ab originali peccato introitus in regnum Dei. Regnum utique non solum illud quod sine fine perpetuum sanctis erit, sed et nunc in quo Christus in ecclesia catholica regnat. Quae resurrectio non permittit homines transire ad mortem secundam. De hac resurrectione dicit apostolus: si resurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite.

10) Illi vero, qui contradicunt dicentes: nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo filius hominis, legant librum beati Juliani non Pomerii sed Toletani qui vocitatur anticimena, qui patratu est de his rebus, quae contraria in scripturis resonant, sed non contraria ab his qui vigili sensu scripturam, si mundam inquirunt, intelligenda sunt,

1) In margine manu posterioris aetatis additum est: *sine dubio ingressu sanctam civitatem de qua.*

sicut sunt pluraque istis latet; et tunc tacere studeant et non loqui quae nesciunt. — Si anticimena abest currant ad Agustinum et ipsum inquirant in libro homeliarum cata Jhoannem, et ipsum hunc locum audiant explorantem. Dicit enim: ne qua territus in Deo sentiretur, ideo dixisse Christum credimus, nemo ascendit in coelum nisi qui descendit de coelo hominis videlicet Christus deus et homo una persona. Si quis vero amplius scire desiderat ad textum hujus operis recurat nec non Euceri vel Nicetae commentaria legat. Inter plura sanctus Eucerus dicit: Ideo ipse ascendit qui descendit, quia licet adsumserit hominem, tamen homo ... hoc est Christus una persona est. Et utique cum ille sit caput, sancti autem membra sunt, necesse est ut sequantur membra quo caput praecessit, ut sit in coelo Christus corporis plenitudo.

11) De gloriosa Maria quod nulla storia eam doceat passione aut qualibet morte multari in fine hujus operis inyenies.

[*Hoc loco inseruntur Isidori libri etymologiarum, quos excipit tractatus de coelo excerptus nisi fallor ex libro Bedae de temporibus; denique continuatur epistola Tusaredi ut sequitur:*]

De gloriosa virgine Maria quod nulla storia eam doceat passione aut qualibet morte multari Isidorus ait: Maria quae interpretatur Domina sive Inluminatrix a virga Jesse ortus conclusus fons signatur, mater domini, templum Dei, sacrarium Spiritus Sancti, virgo feta, virgo ante partum, virgo post partum, salutationem ab angelo accipit et mysterium conceptionis agnoscit. Partus qualitatem inquirat et contra legem naturae obsequi fidem non rennuit. Quum Dominus ipse in cruce positus per sanguinis testamentum virginem commendat discipulis, ut ipsam mater haberet vitae comitem cum filius noverat virginitatis esse custodem. Hunc quidam corporatis nexis passionem asserunt ab hoc vita migrasse pro eo quod justus Symeon complectens brachiis suis Christum prophetaverat matri dicens: et tuum ipsius animum pertransiet gladius. Quod quidem incertum est, utrum pro materiali gladio dixerit, an pro verbo Dei valido et acuto omni gladio ancepsit.

Specialiter tamen storia nulla docet Maria gladii animum versione peremptum, quia nec obitus ejus uspiam legitur, dum tamen repperiatur sepulcrum.

His omissis salutationis copiam dulciter mitto, et ut me scriptis saepe ac saepe reficiatis, utique a meis moeroribus sublevetis vel substoletis suggero.

II.

VIRGILII CORDUBENSIS PHILOSOPHIA.

Teiyo in septima parte operis, quod inscribitur *Teatro critico*, primus, ni fallor, docuit, in collegii canonicorum bibliotheca librum tertio decimo seculo manu scriptum inveniri, quem inscriptum Virgilii Cordubensis philosophia opus historiae superstitionis maximi momenti continere. Postquam deinde Sarmiento ¹⁾ censuit, idem opus etiam linguae enodandae studio utile esse, fere in omnibus scriptis, quae de Hispanorum linguae origine agunt, commemoratum est; verum iis, qui commemorant, ignotum est, quale sit opus. Itaque quum mihi visum fuerit opportunum id publicare, vix commemoratione dignum arbitror, me nequaquam genuinum, sed tantum apocryphum seculo fere tertio decimo aut paulo ante scriptum existimare, in quo mire christianas notiones cum superstiosis mixtas esse cognoscas quodque simul conferre poterit ad explicanda illo tempore frequentia interdicta daemonum cultus et magicarum artium professionis, quae quidem artes nulla alia in terra magis quam in Hispania in disciplinae modum redactae sunt. Quamvis plurima, quae ad historium pertinent, in eo libro falsa et absurda sint, tamen iis, quae dicuntur de Arabum scholis, eundem non sine pretio esse, in eo perlegendo facile elucet. Praeterea id silere nolo, Virgilium Fanstum Italarum, magorum quasi parentem et principem esse.

Istum librum composuit Virgilius Philosophus Cordubensis in Arabico, et fuit translatus de Arabico in Latinum in civitate Toletana A. D. 1290.

PROOEMIUM.

Virgilius Hispanus, ex civitate Cordubensi omnibus philosophantibus et philosophiam audientibus. Volumus vobis scripta vera dimittere de rebus, quae fuerunt temporibus nostris, ut qui estis scientes amplius addiscatis et subtiles ingeniosiores efficiatis. Cum apud civitatem Toletanam essent studia instructa omnium artium per magnum tempus, et

1) Memorias para la historia de la poesia castellana, tom 1. pag. 252.

loca scholarum extra civitatem essent posita, et signanter studium philosophiae esset ibi generale, ad quem studium veniebant omnes philosophi Toletani, qui numero erant duodecim et omnes philosophi, Cartaginenses et Cordubenses et Hyspalenses et Marochitani et Cantaurienses ¹⁾ et multi alii, qui erant ibi studentes de aliis partibus, cum cotidie in scholis suis disputarent philosophice de omni re, sic disputatione paulatim devenerunt ad quaestiones difficiles, de quibus nullam certitudinem unde habere poterant, et proinde hoc omnes philosophi erant sequestrati et divisi inter se, nisi philosophi Toletani, qui erant semper insimul, et isti erant semper contra omnes alios philosophos in omnibus disputationibus suis. Omnes alii erant sequestrati inter se, tenendo opiniones suas, et defendendo eas, prout quisque melius poterat. Post haec habuerunt consilium inter se, ut haberent aliquem judicem, qui judicaret eos, et quaestiones suas vere determinaret et proficere omnes intelligeret: et scientes ipsi philosophi, qui erant Toleti studentes, nos esse magistrum scientiae magnae nimis, quae scientia vocatur apud nos Refulgentia, apud alios dicitur Nigromantia, miserunt pro nobis Cordubam, rogantes nos omnes Toleti studentes, ut dignaremur ad eos accedere, ut possent a nobis aliquid addiscere, et ut possent melius proficere et scirent vera prospicere. Tunc missimus eis responsionem nostram, sic dicendo, quod si volebant a nobis aliquid addiscere, quod mutarent studia Toletana ad locum nostrum Cordubensem, quia erat locus sanissimus in omnibus et abundans. Tunc omnes Toleti studentes soluerunt exaudire preces nostras et mutaverunt studia Toletana ad locum nostrum Cordubensem et ibidem rogaverunt nos efficaciter ut componeremus aliquos libros philosophicos de rebus, in quibus ipsi dubitabant, ut certificarent eos quibus possent proficere competenter et nos ad preces eorum composuimus tunc istum librum in quo sunt omnia vera et certa, et sine aliqua dubitatione, prout audivimus a spiritibus, et scimus pro certo, quod nobis non essent ausi mendacium dicere aliquod; et quia ipsi sunt antiquissimi et sciunt omnia, ideo ab eis voluimus habere certitudinalitatem veritatis, et ideo quae ab eis audivimus statim in libro isto scripsimus, in quo libro vobis omnibus vera declaravimus.

Cum omnes philosophi haberent altercationem inter se, quae altercatio erat, *utrum esset prima causa aliqua*, super hoc dicebant multa. Quidam dicebant non esse prima causa aliqua: alii dicebant quod sol erat prima causa, alii quod non, sed luna erat et stella; cum eam philosophi Toletani dicebant prima causa esse aliqua sed non apparebat et invisibilis erat, alii contrarium tenebant, quia si invisibilis esset prima causa, nihil esset quia omnia visibilia videntur et nihil est invisibile; ideo dicebant prima causa esse et visibilis, quae erat sol. Philosophi Andalici dicebant prima causa non esse, sed mundus ab aeterno sic esse et sic dicebant per se semper esse: alii dicebant multa super hoc, et opinabantur varie. Marochitani proferebant plures causas esse: una sursum, quae regeret superiora, alia deorsum, quae regeret inferiora, alia causa esse quae regeret omnia media in medio posita. Cantaurienses et omnes alii qui erant ultra Tanguem ²⁾ tenebant se cum Toletanis.

1) i. e. Cantabrienses. 2) i. e. Tajum.

Cartaginenses dicebant si coelum movetur cotidie, si coelum et omnia quae in eo sunt quotidie moventur, ergo aliquis movet eum, ergo qui eum movet est prima causa et primus motor.

De caetero super hanc quaestionem nos volumus loqui et dicimus sic: Sine dubio prima causa est, et ista prima causa est genus generalissimum, supra quo non est aliud superveniens genus, sed ab eo descendunt omnia, tanquam a suo principio, et ad suum principium rediguntur omnia tanquam ad suum finem, et ista prima causa, quod est genus generalissimum, nunquam habuit aliquod principium, sed semper fuit et est et exit et est invisibilis et immutabilis et immobilis omnia habens, faciens, omnia regens, omnia sustentans. De illis philosophi qui dixerunt prima causa non esse nihil dixerunt et nugaces fuerunt, quia si ipsa causa non esset, ut ipsi dicebant, quis omnia fecisset et regeret et sustinuisset si homo qui est rationalis et intelligibilis et cui omnia obediunt venit de non esse ad esse et de esse ad non esse, quis est iste qui fecit totum hoc quia aliquis est, et magnus et potens est, et similiter omnia quae nobis videntur facit idem agere, venire de non esse ad esse, et de esse ad non esse: praeterea, si possibile esset, omnes homines in hoc mundo vellemus semper vivere, sed video quia nolendo morimur: ergo iste, quia prima causa est, magnus et super omnes potens est, et sine dubio prima causa est. De aliis philosophis qui dixerunt sol esse prima causa veritatem non agnoverunt, quia manifestum est, quod si sol prima causa esset, rationalis esset et immobilis permansisset; si nos qui animalia sumus rationabiles et intelligibiles sumus, quanto magis ille est, a quo sumus: insuper videmus sol esse irrationabilis et esse mobilis, si ipse est irrationabilis, quomodo posset nos facere rationabiles et intelligibiles, quia his duobus rebus excellentiores omnibus aliis animalibus sumus; quod in se non habet non potuit aliis exhibere; nec quamvis posset, noluisset nos excellentiores sui facere; sed sol res muta est, et irrationabile est, ergo prima causa non est. Praeterea si sol prima causa esset immobilis permansisset, sed videmus sol quotidie movere et suum cursum incipere et perficere, cum omne mobile sit corruptibile, ergo sol est mutabilis et corruptibilis, ergo prima causa non est, sed res creata ab alio est, sicut nos sumus, quia ab alio sumus et corruptibiles sumus. Alia dixerunt luna et stellae esse prima causa et erraverunt, quia sol, luna et stellae, et omnia quae in coelo videntur ad illuminationem nostram ornata sunt et composita, ut nobis omnibus serviant et illuminent, et non ad aliud sunt ibi positae et fixae, et ideo nihil dixerunt. In hoc loco philosophi Toletani veritatem dixerunt, et omnes alii qui cum eis tenuerunt et subtiliorem intelligentiam habuerunt, quia dixerunt prima causa esse, sed non apparebat, invisibilis erat et semper erat, et esse debebat perpetue et omnia in momento respiciebat, dando unicuique quod suum est. Et amplius dixerunt hi; retulerunt plane, quod prima causa sursum super omnia visibilia habitabat et ibi aeternaliter permanebat, coelum ipse movere faciebat et alius motor non erat et cuncta ipse regebat. Super hanc rem philosophi Toletani et qui cum eis erant dixerunt tot bona et vera, quod miror multum unde habuerunt tot et tanta, et talia dixerunt, quod super eos nihil possumus addere nec minuere, nisi quod conce-

dimus quidquid ipsi dixerunt super hanc rationem et haec est veritas. — Alii qui contrarium tenebant sic dicendo: prima causa visibilis erat et mobile, quod est sol, et amplius dicebant quod nihil erat invisibile, sed omnia erant visibilia et omnibus evidentia et apparentia, quia iste rationes inutiles dixerunt; ideo annihilamus omnia verba sua et destruimus, et ideo in verbis suis nolumus commorari.

Super hoc philosophi Andalici qui erant convitanei nostri erraverunt multum, quod dicebant prima causa non esse aliqua, sed mundus ab aeterno sic esse et in aeternum debebat esse. Super hanc rationem laboravimus multum cum spiritibus, quod dicerent nobis veritatem. Spiritus dixerunt nobis plane, quod mundus nec erat ab aeterno, nec debebat esse in aeternum et haec est veritas. Super hanc rationem quae-sivi amplius ab eis quod certificarent nos per quantum spatium annorum mundus debebat esse et fuerat antea. In hac interrogatione dubitaverunt multum et habuerunt consilium inter se, ut possent scire veritatem et tamen certitudinalitatem invenire non potuerunt, sed dixerunt nobis dubitando et non afirmando, quod debebat esse per septem mille annos a principio usque ad finem. Alii illorum dixerunt quod decem mille annos debebat esse; alii dixerunt quod duodecim mille annos debebat permanere: itaque quod veritatem de hac re invenire non potuerunt, sed tamen pro majori parte illorum spirituum concordabant in hoc quod per septem mille annos mundus debebat esse, et hoc a principio sui usque ad finem et ideo de ista re nos volumus vos certificare, quia si omnes spiritus, qui omnia sciunt et intelligunt de ista re veritatem scire non potuerunt, quanto magis nos qui sumus homo sicut unus vestrum: ideo de hac re nolumus amplius vobis dicere: sufficit vobis hoc quod sciatis, quod mundus iste non est ab aeterno, nec debet esse in aeternum.

Super istum passum aliqui philosophi dixerunt quod erant duo mundi, unus major et alter minor, et unus vocabitur *macrocosmos* et alter *microcosmos* h. e. major mundus et minor mundus, et iste mundus in quo sumus erat minor et alter mundus erat major, et ille erat invisibilis. Super hoc nos interrogavimus spiritus, si erat verum hoc quod illi philosophi dicebant? Et responderunt nobis sic: quod verum erat et quod iste mundus minor erat et impermansibilis, et alius erat perennis et semper stabilis et in illo alio debebamus omnes semper esse et stare et finire. Philosophi Marrochitani dixerunt et alii philosophi ultramarini, quod erant plures causae, scilicet una erat sursum, alia erat deorsum, alia erat in medio, et quaelibet istarum regebat suam partem, et erant omnes tres aequales; et videtur hoc esse impossibile quia ubi est pluralitas et oportet de necessitate ut sit ibi aliqua dignitas: si non est ibi dignitas, ergo est aequalitas ut tu dicis, sed hoc est impossibile quod ubi est pluralitas semper sit ibi aequalitas non est ibi aliqua dignitas: ergo est ibi disparilitas; et si est disparilitas, ergo est ibi discensio et si est ibi discensio oportet de necessitate ut sit ibi destructio; et si est ibi destructio, totius rei et totius consumpti est annihilatio, sed hoc est impossibile, quia videtur vobis quotidie fieri cujuslibet rei constructio et destructio, ergo aut est una prima causa aut nulla, sed hoc est impossibile mundus esse sine prima causa, ergo est una prima causa et non plures et ista sola prima causa cotidie construit

omnia et quando vult destruit omnia, et non est nisi unica sola, ubique scilicet sursum, deorsum, in medio, ante et retro, dextrorsum et sinistrorsum. Ergo Philosophi Marrochitani nihil dixerunt de hac re, sed hæc est veritas, quod nos dicimus.

Postea dixerunt philosophi Carthaginenses sic: coelum movetur quotidie, si coelum et omnia quae ibi sunt visibilia cotidie moventur: ergo aliquis movet eum: ergo qui movet eum, est prima causa et primus motor, quia certum est quod omnia influentia et omnia nutritiva a coelo descendunt et ideo augmentantur omnia, quae sunt super terram. Quibus nos dicimus sic: quomodocunque coelum et omnia visibilia, quae ibi sunt, cotidie moveantur, propter hoc non sequitur quod ille motor sit prima causa, quia ille motor est spiritus creatus a suo superiori et ad hoc constitutus, ut coelum faciat cotidie semel movere et ideo non sequitur, quod ille motor sit prima causa; praeterea videmus nos quod sunt septem planetae quae vocantur sic: Sol, luna, mars, mercurius, jupiter, venus, saturnus et istae septem planetae habent spiritus suos, quibus reguntur, et prout isti spiritus regunt eas planetas, postea sic istae planetae discurrunt et sic influunt super terram, et ideo debetis scire, quod prima causa non movit coelum per se quia nec habet pedes nec manus, sed est spiritus praesens semper manens, et voluntate sua et mente sua coelum movetur et agitur, et omnia quae in eo sunt, et similiter omnia quae in terra sunt, et sic ubique. Amplius autem considerare debetis quod si prima causa moveret coelum per se, bene videtis vos quod laborem sustineret, quod est impossibile et inaudibile, et statim quod nobis facit gratia sua et beneplacito suo, jam non esset nisi magna nificum,¹⁾ et esset proximum contra voluntatem suam, quod est absurdum dicere, et est quod obdibile²⁾ et nimium inaudibile, quia jam constrictus esset et violentus esse posset quod absit. Et jam prima causa, quae est spiritus praesens et abundans, et in omnibus redundans, et est genus generalissimum supra quo non est alius superveniens genus, sed ab eo descendunt omnia tanquam a suo principio, jam ut vos dicitis subditus noster esset, cum nos ab eo simus et per eum vivamus et ad eum revertamur, et ideo non sequitur quod vos Carthaginenses dicitis, et nihil est, sed teneatis hoc et audacter dicatis quod prima causa non movet³⁾ coelum per se, sed nutu suo movetur et regitur, et omnia quae sub eo sunt qui suum velle, non est nisi suum agere, quia quod ipse vult, quam cito vult, tam cito fit et completur, quomodo ipse vult.

Et insuper debetis scire quod in coelo sunt duodecim signa et ista duodecim signa sunt temporibus suis ad invicem sed non semper, et unusquisque istorum signorum operatur in tempore suo, quomodo spiritus qui regit eum vult, quia de istis spiritibus aliqui illorum sunt benigni et alii qui sunt maligni, et illi spiritus qui sunt benigni semper operantur bonum, et similiter illi qui sunt maligni semper operantur malum, in quantum possunt, qui ambulant super terram inter nos semper operando malum; et cum istis operamur nos quidquid volumus, et de istis est scientia nostra quae vocatur nigromancia, et isti certificant nos de rebus dubiis,

1) Vox obscura. 2) i. e. odibile. 3) i. e. movet.

in quibus dubitamus, et faciunt quidquid nos volumus quamvis eis displicent, et multociens ipsis nolendo cum labore faciunt, et per eos scimus ea quae scimus, et vobis dicimus. De aliis spiritibus qui sunt benigni et operantur bonum, debetis scire quod ambulant sursum in astris regendo superiora scilicet signa et planetae, et omnia alia astra quae in coelo sunt, et totum hoc non fit nisi prout propria causa vult et quomodo vult. Semper omnes spiritus benigni ambulant ad voluntatem primae causae, et aliud non faciunt nisi quod ipse vult et quomodo vult, nec aliud agere possunt; tamen aliquando spiritus qui sunt maligni ascendunt sursum in nubibus et operantur malum super terram et faciunt quidquid possunt agere, et totum hoc sic quia prima causa consentit, aliter nec possunt bonum nec malum agere. Similiter aliqui spiritus maligni ambulant in aëre et ponunt se sursum et faciunt planetis et signis et aliis sideribus ut influant malum super terram et hoc non semper, sed aliquando scilicet quando prima causa vult et consentit, prout superius diximus.

Si aliquis vobis quaesierit prima causa qualis est aut quanta vel quomodo est facta, respondeatis eis sic, quod prima causa nec potest mensurari, quia omnia comprehendit, nec potest palpari, quia spiritus est, nec potest oculis corporalibus intueri, quia res nobilissima est, quia si omnia quae ab ea sunt pulchra sunt quanto magis ipsa est, nimirum quod non possit intueri, quia res est minus amoena et jocunda et gaudiosa.

Insuper debetis scire, quod spiritus maligni valde deformes sunt et nimium turpes et ita habent terribilem aspectum a natura ipsa sua, quod non est homo in mundo ita audax, qui non conturbetur et non contremescat, et apparent quando ipsi veniunt verum tamen aliquando accipiunt similitudines pulchras et decoras maxime quando eis praeceptum est, vel quando volunt aliquem decipere, quia spiritus sunt et immundi, et ideo possunt accipere qualemcumque similitudinem voluerint; et isti spiritus tales nunquam quiescunt et nullam habent requiem sed semper operantur malum, et isti faciunt hominibus facere omnia mala et faciunt amplius tempestatem in mare et turbinem, ita quod peremittere ibi multi faciunt venire ventos contrarios ut demergant navigantes in profundum maris, ita quod non sit malum in terra quod ipsi non sint participes et per eas non fiat: videte et intelligite si habent potestatem in malum, quia semper sunt prompti ad damnum et ad malum et ideo isti spiritus dicuntur maligni semper, quia ducunt homines in errorem, ut ab eis decipiantur et illudantur. Et amplius dico vobis quod si ipsi possent statim in uno momento suffocarent omnes homines inventos in hoc mundo; sed prima causa non permittit eis, tot tanta mala agere, quanta possent et cupiunt impetrare. Verum est quod aliqui homines sunt et operantur semper malum et complent omne desiderium in hoc mundo, tot tanta et talia agunt mala dum vivunt quod post mortem suam convertuntur in spiritibus malignis et fiunt daemones verissimi et ambulant semper cum eis et operantur semper malum sicut alii daemones et amplius faciunt quod intrant in corporibus hominum et loquuntur in eis et dicunt multa ibi jacendo, et quod pejus est dicunt hominibus peccata eorum, ita quod nullus est ausus apparere coram

eis; et quia nos hoc multotiens probavimus et vidimus et experti sumus, curando homines de ista infirmitate et extrahendo eos de corporibus hominum cum conjurationibus nostris, ideo vobis dicimus hoc et affirmamus quod est verum. Sciatis pro certo quod antea non credebamus quamvis multotiens nobis dictum fuisset, sed postea, quia probavimus multotiens et vidimus ideo vobis omnibus verificamus.

De cetero volumus vobis loqui de spiritibus benignis. Sciendum est quod benigni spiritus semper serviunt primae causae in omnibus et per omnia, ita quod quam cito intelligunt voluntatem suam, tam cito complent eam et isti spiritus nunquam possunt errare nec peccare et ita sunt pulchri splendentes quod homo non est ausus eos aspicere praenimia verecundia. Et magnum quidem est quia sicut prima causa est res infinita, ita facit de istis spiritibus numerus infinitus tam de bonis quam de malis, et hoc non ad aliud nisi, ut sint ad suum servitium et ad utilitatem suam, quia omnia, quae sunt primae causae serviunt, et adorant nunc et semper: idcirco nos alii qui fuimus gentiles errantes debemus de cetero servire primae causae, quia si omnia sibi serviunt et adorant, quanto magis nos qui sumus rationabiles et intelligibiles et quibus omnia obediunt debemus sibi servire: videtur nobis esse dignum et justum et rationabile. Scire enim debetis omnes philosophi quod hactenus in obscuritate stetistis et permansistis nescientes veritatem huius rei, quia fuistis laborantes multum et nihil de veritate invenientes, sed ambulastis palpitando tanquam non videntes nec intelligentes, sicut et nos usque nunc ambulavimus discendo sol esse prima causa, alii tenentes aliam segtam¹⁾ nimis inutilem: alii dicentes et tenentes opiniones suas varias et omnimode defendentes, sed de cetero ex quo lumen invenimus ad eam ascendamus et istud lumen aliquomodo non dimittamus, sed firmiter eum teneamus, scilicet prima causa quae est ab aeterno et erit in aeternum, in qua sunt omnia, qua reguntur omnia et hanc firmiter teneatis et in ea verissime credatis, et de prima causa haec vobis sufficiant.

Quaedam dubitatio philosophorum fuit haec: *utrum mundus esset ab aeterno vel non?* Et quia de ista re jam superius vobis dixi, ideo inde non curamus. Tamen dicemus vobis aliqua inde, quae sursum non diximus. Debetis scire quod iste minor mundus est rotundus sicut ovum, qui sicut videtis quod ovum habet tria in se: scilicet coopertorium et claram et gemam²⁾; sic mundus iste habet alia tria in se, scilicet est ibi stabilimentum, et est ibi aqua et est ibi terra, et sicut videtis quod gema stat in medio ovi circumdata albugine, sic terra stat in medio mundi circumvallata aquarum ad omnes partes suas et coelum est coopertorium ubi sunt fixa omnia sidera, et terra stat in medio immobilis semper manens, et quomodocunque terra non moveatur et tamen coelum movetur integre cum toto suo conjuncto. Insuper debetis scire, quod in die et in nocte non sunt nisi viginti quatuor horae et in istis viginti quatuor horis coelum movetur cotidie semel cum omnia quae in eo fixa sunt, et non movetur amplius nisi semel in die et in nocte, ita quod semper sit in

1) i. e. sectam. 2) i. e. luteum ovi seu vitellum, apud Hispanos *yema* vocatum.

motu et non facit aliud cotidie, nisi circuire terram, et dum sol apparet super terram dicitur dies, et dum ambulat sub terra dicitur nox, et quantum habet spatium sol a terra dum ambulat super eam, tantum habet spatium dum ambulat sub ea, ita quod terra semper stat in medio in semet ipsa manens et in se substinens se ipsam.

Quia quidam philosophi dixerunt quod fundamenta terrae super coelum, erant fixa et nihil dixerunt quia ita stat aqua sub terra sicut stat mare super eam, ita quod ubique terra circuitur aqua, et magnum quidem est, quod maria multum altiora sunt terra et nisi quia prima causa non vult aliter maria cooperirent totam terram. Amplius autem sciendum est, quod omnia flumina et omnes fontes exeunt a mare et revertuntur in mare. Si quaeratur quare rivuli et fontes non sunt salsi sicut est mare, dicendum est quod aquae veniendo sub terra coluntur et salugo ibi dimittitur, ideo aquae quae sunt super terram sunt dulces.

Praeterea scire debetis quod quatuor sunt elementa, quae sunt haec: terra, aqua, aer, ignis, et omnia quae videntur de istis quatuor elementis sunt composita et formata, et si aliquis istorum deficit in re statim annihilatur et destruitur. Similiter sunt in animalibus quatuor qualitates, quibus componuntur, quae sunt haec: sanguis, colera, slema, maleconia: ista quatuor quae sunt in quolibet secundum magis et minus et crescunt et minuuntur temporibus suis, secundum sunt quatuor tempora anni, sc. autumnus, hiems, ver, aestas, et sicut luna crescit et minuit, sic isti humores crescunt et minuunt in corpore. Nos loquimur de rebus visibilibus, quae nobis omnibus videntur quae sub coelo sunt et in hoc minori mundo sunt, quia de alio mundo majore, qui sursum est super coelum nihil scimus, quia coelum tegit totum istum mundum, et ideo dicitur coelum, quia celat nobis omnia quae sursum sunt et quae super eum sunt.

Super hoc dixerunt aliqui Philosophi quod erant tres mundi et tertius mundus erat sub terra deorsum, ita quod nos eramus in medio, et quando nos habebamus noctem, ipsi habebant diem, et sic habebant omnia necessaria sicut nos alii habemus, et sic vivebant et moriebantur. Propter hoc vocamus spiritus malignos et venerunt apud nos et quaevisimus ab eis, si erat verum hoc, quod illi philosophi dicebant, quod erat alius mundus sicut iste, et dixerunt nobis plane, quod non erat verum, quod non sunt nisi duo mundi, sicut sursum dixerunt. Et scire debetis quod istud coelum visibile est aëreum et est aër coagulatum et spissum, et ibi sunt stellae fixae, aliquae sursum, aliquae in medio, aliquae deorsum, et aliquae moventur et aliquae non secundum cursum suum. Amplius autem sciendum est, quod omnia sidera habent nomina propria et quaelibet stellarum habet virtutem suam et dicuntur stellae quasi stellantes lumine quia sunt luminaria coeli, et omnes sunt aequales nisi quia aliquae videntur majores et aliquae minores ratione locorum suorum seu situitatis, quia aliquae sunt altiores aliis, aliquae inferiores aliis, et ideo videntur aliquae majores, aliquae minores, sed omnes sunt aequales. Praeterea cum aliqui philosophi dixissent quod minima stellarum major erat tota terra, verum dixerunt uno modo quia ubique videtur in terra, et omne quod videtur ubique major est quam illud a quo videtur, sic minima stellarum videtur per totam terram, ergo

major est tota terra veritas per apparentiam aliter non est veritas, et esse et ideo uno modo dixerunt veritatem et alio modo non, nec possit esse aliquo modo. Similiter erraverunt in hoc quod dixerunt minima stellarum cum omnes sint aequales et unius mensurae et unius ponderis. Quis poterit melius scire veritatem homines qui sunt terreni aut spiritus maligni, qui cotidie ascendunt et descendunt? Ideo quidquid vobis dicimus ab eis scimus primitus, et postea vobis declaramus et haec est veritas, quod nos dicimus. Similiter dixerunt aliqui comendatores, quod quilibet homo vel mulier habebat stellam suam et prout illa stella influebat et movebatur sic homo habebat fortunam in hoc mundo. Et hoc est verum de septem planetis, et de duodecim signis et de aliis sideribus quae pertinent ad artem astrologiae, sed non omnes possunt attingere ad aliam artem, et ideo de illa scientia non curamus, quia alii tractaverunt de ea et probaverunt eam et ea quae vera eis venerunt, statim scripserunt, unde vobis dicimus quod scientia astrologiae vera est et approbata et ideo de rebus veris nos non curamus est dubia declarare et hoc affirmando veritatem et negando et destruendo falsitatem sunt et venire debent sciant discernere veritatem a falsitate, ideo proponimus nos de rebus determinare signanter in rebus quibus alii philosophi et veritatem inde habere non potuerunt nisi quilibet loquitur de aliqua et hoc dubitando et veritatem rei hoc ut non dimitterentur fallibiles et dixerunt aliqua et hoc fallibiliter et non certitudinaliter: ideo de mundo hoc satis diximus veraciter referre et ideo volumus loqui de cetero de alia ratione, quia de ista satis tractavimus, vobis dicendo vera et dimittendo vobis omnibus tam essentes quam venientes verissima et perfectam modo volumus ad aliam rationem nos contra vertere.

Tertia quaestio philosophorum fuit haec sc. *de anima* et laboraverunt super eam multum dicendo multa et inaudita. Philosophi Marrochitani et omnes alii ultramarini dixerunt quod anima erat substantia corporis movens corpus et faciens eum vivere et crescere et sentire et nutrire et omnia ista faciebat anima. Et erat anima compositio et faciebat corpus esse animatum et compositum et ornatum et hoc usque ad tempus assignatum et taxatum, sc. usque ad mortem, post mortem non dicebant quod anima destruebatur et annihilabatur nihil erat. Amplius autem dixerunt quod anima genera cum mulieribus pariter comicebant tunc ex efficiebatur corpus et anima et ibi generabantur corporibus et postea faciebat anima coagulari illum semen et faciebat eum esse corpus animatum et unificatum et compositum et ornatum et sic generabantur animae homines et mulieres pariter comiendo, et ab hominibus et mulieribus exhibant animae et insimul mixtum cum illo semen, et ab eis generabantur et in illo officio et in illo gaudio et in illa delectatione, et in illo dulci sopore efficiebantur et creabantur animae ab ambobus exiundo, et ad hoc homines et mulieres erant insimul constituti et stabiliti, ut procrearent et multiplicarent et ideo omnes Saraceni ordinaverunt inter se quod quilibet illorum haberet tantas uxores, quantas posset gubernare, quia intentio illorum est ad multiplicandum et procreandum: et ita dicebant ipsi quod generabantur animae.

Insuper posuerunt inter se quod femineum genus, ex quo esset viginti quatuor annorum et masculinum genus ex quo essent quatuordecim annorum, statim insimul jungerentur, ut procrearent et multiplicarent.

Aliud autem posuerunt inter se quod quicumque voluisset servare castitatem statim occideretur et ab omnibus lapidaretur; et ideo sunt multi Saraceni, quia omnes illi, qui servant castitatem vadunt contra naturam et ideo interficiendi sunt, quia melius est agere illud quod naturale est quam ire contra naturam, et quia multi sunt servantes castitatem nolendo, et eis multum displicendo nisi quia servant cum maxima verecundia et timore, quod cum illo desiderio naturali vadunt et faciunt contra naturam multa, et isti tales non debent esse culpabiles, qui talia agunt, quia cum illo desiderio naturali faciunt contra naturam, quia certum est quod si haberent isti tales uxores non facerent contrarium, et ideo non sunt culpandi: illi debent puniri, qui habent abundantiam mulierum et vadunt contra naturam faciendo contrarium; alii vero non debent puniri quia cum maximo desiderio mulierum faciunt illum officium et ideo isti non sunt culpandi, quia maximam poenam sustinent, quamvis sit poena occulta. Praeterea dixerunt quod in antiquo tempore homines consueverunt hoc facere insimul, et quum videbant juvenes decore aperiebant eos cum navaculis et faciebant eis vulvas et postea jacebant omnes cum eis sicut cum mulieribus, et ideo dicebant esse peccatum servare castitatem, et homines similiter si servant castitatem nutriunt in virgis suis ista infirmitas, quae vocatur *cancer*, et homines et mulieres moriuntur prout hoc quia servant castitatem. — Item quando lumbi sunt pleni semine tunc temporis dolent et homo non potest ambulare, quousque evacuantur: vos, qui estis medici debetis scire quod abstinentes non infirmant de alia re pro majori parte nisi quia servant, et multi homines et mulieres moriuntur propter hoc quia servant castitatem, quod aliter non ita cito finirent dies suos, sicut scilicet finiunt in juventute, et multae infirmitates eveniunt servantibus castitatem, quod aliter non venirent quia homo nunquam ita bene purgatur per aliquem alium locum sicut per virgam, et mulier per vulvam, et ideo mulieres quae servant castitatem multociens nutriunt in vulva ista infirmitas quae vocatur *cancer* et multae aliae infirmitates, quae dici non possunt et homines similiter multas infirmitates habent propter hoc, quod aliter non haberent, et ideo valde maximam poenam sustinent omnes illi, qui castitatem servant in corpore et in anima, quia vadunt contra naturam, quia istum officium ita naturale est, sicut est mingere et digestare et praeter haec isti tales cito moriuntur et ipsimet se interficiunt servando castitatem, similiter multum agentes istum officium cito senescunt et ante suum tempus moriuntur, quia faciunt superflue, ita quod medullam capitis per virgam ejiciunt et ideo isti tales quando est factum temperate semel vel ut est maxima sanitas corporis et animae competenter, aliud malum provenit servantibus castitatem et est quod illud semen, quod deberent ejicere per virgam, quando homo si non ejicitur, quando natura appetit, descendit postea in crura et tunc crura sunt ponderosa et apparet homo fessus, quod non potest ambulare, et ponit se in pedibus et facit ho-

mines esse gulosos et porfigos.¹⁾ Similiter facit aliud malum illud semen quando descendit ad crura, convertit se illud semen in venenum et facit tibias inflare et dolore maximum habere, ita quod scinduntur multotiens pedes illorum et crura aperiuntur et aliquando scinduntur. Aliud malum provenit inde, illum semen quando per virgam scienter non ejicitur, tunc descendit ad marsupium testiculorum et facit illud marsupium ita magnum, quod aliquando tenet usque ad genna, et illud semen coagulatur ibi et facit se durum, sicut sunt testiculi, ita quod homo non potest ambulare nec se movere de uno loco ad alium, sic stat semper quousque moritur. Aliud malum operatur istum semen, si retinetur et foras non ejicitur facit hominibus esse hydropicos et quartanarios et habentibus lapidem facit eum in corpore remanere, et illum locum per quem deberet exire fecit eum strictum et claudere, et ideo moriuntur multi item. Aliud damnum operatur: facit homines esse plenos scabie, quia per multitudinem humorum totum corpus cooperitur scabie, et multitudo humorum facit nubes et telas super oculos creare et insuper..... pardecere²⁾ et dentes cadere et putrere tam homines quam mulieres, sed si multis eos curare faciat..... rium suum perficere, statim erunt sani, et facit.... quod servando castitatem eveniunt eis multae et diversae infirmitates, et nonnisi propter hoc, et ideo isti tales qui servant castitatem sunt infirmiores aliis, et nunquam sunt bene sani, et ideo cito moriuntur et annihilantur castitatem tam homines quam mulieres, sed si multis eos curare faciatis eis complere et desiderium suum perficere, et statim erunt sani, et ideo de duobus malis minus eligendum est et utendum est sed occulte.

Omnia ista dixerunt philosophi ultramarini super factum animae, quia oportet nos, ut omnia dicta sua scribamus, ut intentiones suas nos et vos sciamus, et ideo non oportet nos de auditis verecundare. Amplius autem dixerunt super hoc: loquuti sunt plane quod summum bonum erat carnalis conjunctio et quod aliud bonum non erat, nec alia delectatio, nec alia gloria, nisi haec cum feminis jacendo, et ex quo erant in gloria nolebant esse plenarie gloriosi et uti de ea, quia ad hoc officium et ad hanc gloriam erant omnes creati et facti, et sic utebantur omnes idem de illa gloria incesanter et frequenter maxime quia habebant intentionem procreandi et multiplicandi animas, et sic dicebant, quod creabantur animae neutrum genus istum officium facienda. Philosophi qui erant Andalici dixerunt quod anima erat creata in corpore et ibi cum semine creabatur; non dicebant ipsi quod anima ab eis generabatur, sed ex quo semen viri erat jam in matrice mulieris et videbat materiam incorporatam et organa jam plasmata: dicebant ipsi quod tunc in illo corpusculo statim creabatur anima et quam cito organa materiae erant composita, tam cito creabatur ibi intus in medio anima et dicebant: quod erat anima de isto aëre composita corruptibili et quod efficiebatur intelligibilis in illo corpusculo organico, sed si volunt curari, compleant desiderium suum et statim erunt sani. Philosophi Carthaginenses dixerunt, quod nihil erat anima, quia dum sanguis erat in

1) *Goloso* apud Hispanos *paralyticus*, unde auctor *gulosos* vocem desumere videtur. Sed quid sibi velint *porfigi* nescio, nisi forte legendum sit *podagri*. 2) Fort: *padescere*.

corpore vivebat homo et quando sanguis non erat in corpore statim moriebatur et ideo dicebant quod alia anima non erat nisi sanguis tantummodo et ideo affirmabant hoc quod sanguis erat anima. Philosophi Toletani dixerunt, quod anima erat res spiritualis et intelligibilis et rationalis et sensibilis et faciebat corpus movere et crescere et mutare de loco in locum, et de aetate in aetatem, et faciebat anima corpori venire de non esse ad esse, et dabat ei vigorem et aptitudinem ad recipiendum incrementum cujuslibet rei, et quod postea faciebat anima in fine corpus reducere de esse ad non esse. Omnes Philosophi Legionenses dixerunt quod anima erat res mirabilis, et plena virtutibus, faciens miracula et mirabilia magna nimis et dicebant esse animam aëream, et non de isto aëre corrupto, sed de illo aëre purissimo, quod est sursum in astris, quod est aër nimis purissimum et sanissimum et subtile et valde ingeniosum ad omnia. Philosophi Cantaurienses et omnes Castrenses loquuti fuerunt de anima et dixerunt sic: anima est spiritus levis, movens corpus et nobilitat eum ex quinque sensibus et amplius habet anima quod habet liberum arbitrium ad omnia, quod potest facere quidquid vult et quando vult et quomodo vult et habet discretionem completam ad bonum vel ad malum a se ipsa amplius habet, anima in se ipsa est res nimis pulchra et valde rutilans et est res nimis amabilis omnibus et in omnibus communiter. — Alii philosophi dixerunt: animam esse talem sicut sunt quidam spiritus maligni, qui sumunt corpora rationabilia et agunt istum officium generandi et patiuntur ad invicem et isti tales dicuntur *incubi* et *subcubi* quasi agentes et patientes et vivunt per magnum tempus et procreant filios et filias, et isti tales multotiens rapiunt semen hominum quando dormiunt, quod faciunt desperare ¹⁾ cum feminis et postea accipiunt illud semen et vadunt ad alias mulieres et habent rem cum eis materias hominis comportando, et impraegnantur ab eis, et isti tales ita appetunt agere et pati istum officium naturale, sicut quilibet nostrum et multi homines habent rem cum eis similiter et postea impraegnantur ab hominibus. Et plane dicunt eis quod sunt daemones, sed accipiunt quando volunt corpora hominum et mulierum ad operandum hoc officium et complendum. Et isti tales vivunt quinquaginta et sexaginta annos et semper operantur malum, et quando volunt et momento ponunt se ubi volunt et ita ambulant de loco in locum, et de terra in terram, et de civitate in civitatem, et quando volunt accipiunt corpora, et quandoque non, et ita concedunt et vivunt sicut nos alii, et isti tales sunt qui ambulant in nocte de domo in domum somnium hominibus et mulieribus imponendo, et postea faciunt eis somnare et pellicant eos et interficiunt pueros parvulos et babuscantant isti comestibilia, et palpant omnia, et faciunt multa joca et multa ludimenta inter se, quando est nox, ita quod quidquid mali volunt faciunt et totum perficiunt et complent, et isti vocantur inter nos Virgines, et Brujas in Hispania, et Strias, et ita sunt subtiles quod quamvis habeant corpora per unum foramen intrabunt et exient, et isti daemones tales dicuntur phantasmata quia faciunt pavorem et terrorem hominibus in nocte, et ponunt se multotiens super pectora hominum et volunt eos suffocare.

1) Vox difficillima, fortasse legendum *de-oppilare*.

Dicunt aliqui quod est quodam phantasma quae vocatur *Pesada* et tamen omnes sunt daemones isti et habent corpora grossa et ponderosa et ita sunt leves, sicut si non haberent corpora et nisi quia prima causa non dat eis potestatem quantam ipsi vellent, nec permittit eos perficere quantum cupiunt quod aliter statim in uno momento interficerent nos si possent et potestatem haberent. Et post sexaginta vel septuaginta annos moriuntur quantum ad corpus, quod aliter ipsi, cum sunt spiritus, non possunt destrui nec possunt mori. Et postea quid faciunt? iterum involvunt se in semine alicujus et nutriuntur tanquam pueri et vivunt per magnum tempus semper operando malum quousque corpora deficiunt et postea iterum assumunt corpora et sic transeunt suum tempus semper operando malum quia bonum quamvis velint nequeunt operari, quia jam corrupti sunt ad malum agendum et non ad bonum. Et magnum quidem est quod daemones nunquam possunt poenitere nec possunt habere contritionem et nunquam saciantur operandi malum et cum toto hoc nullam habent requiem.

Et ideo dicebant illi philosophi quod anima talis erat, sicut isti spiritus immundi, de quibus loquuti sumus, et homines erant incubi et mulieres erant subcubi, quasi dicat homines sunt agentes et mulieres erant patientes et erat communiter intelligentes et sentientes bonum et malum et debebant animae ita aeternaliter permanere, sicut illi spiritus permanent et ideo dicebant quod anima talis erat. Nos modo ad ista superius dicta respondeamus et post responsionem vera determinavimus.

Cum omnes philosophi Marrochitani et alii ultramarini dixissent de anima quod erat substantia corporis et faciebat anima corpori omnia incrementa suscipere et hoc usque ad tempus assignatum, scilicet usque ad mortem, et dicebant postea quod anima nihil erat et destruebatur in aliquibus, veritatem dixerunt signanter in hoc quod erat substantia corporis, quia facit corpus substatere et vivere et incrementa suscipere secundum magis et minus in hoc verum dixerunt. Sed in hoc erraverunt, quod dicebant, quod post mortem anima nihil erat et quod destruebatur; quod absit, quia quid est mors? Mors est separatio corporis et animae! Si mors est separatio corporis et animae, propter hoc sequitur, quod anima non sit postea? Absit! anima semper est et intelligibilior est post mortem quam ante erat, et in omnibus subtilior et ideo in hoc nihil dixerunt omnes illi qui dixerunt: animam post mortem nihil esse et nugaces fuerunt. Super hoc dixerunt quod animae creabantur, quando neutrum sexus in simul incumbibat et ab eis exibant animae pariter mixtae cum semine, nihil dixerunt et valde absurdum est dicere hoc. Bene verum est quod semen egreditur a viro et a muliere, et semen viri exit a lumbis et semen mulieris exit ab umbilico et postea conjungitur totum semen insimul in matrice et postea illud semen vertitur in lacte et postea de lacte vertitur in sanguine et de sanguine vertitur in carne et postea illa caro crescit quousque fiunt omnia organa et omnia membra. Et debetis scire quod natura propria operatur hoc et facit totum hoc, quod adhuc anima non est ibi, sed natura propria operatur ibi, et complet totum hoc. Et quando est totum corpus membris suis completum et compositum et ornatum, tunc prima causa inspirat illi et creat animam ibi in corpore, et statim vivit corpus et moventur

omnia membra et sentit, et sicut creat unam animam, sic creat mille vel decem millia statim in uno ictu ibi interiorius in corporibus suis, quia prima causa in momento videt omnia et statim creat omnia et suum velle est suum agere, quia quam cito vult, tam cito fit illud quod vult et quando vult et sine aliquo intervallo et sine labore aliquo. Et debetis scire, quod omnia sunt praesentia primae causae tam praeterita quam futura. Insuper debetis scire, quod prima causa, quando creat animam, creat eam, et sine aliqua difficultate et hoc loquor quantum ad quantitatem, quia quanta est in uno, tanta est in alio, ita quod nulla differentia est inter animam et animam, et quanta est in prima die quando creatur, tanta est quando est centum annorum, quod postea nec crescit nec minuit in quantitate nec in qualitate, quamvis sint aliqua corpora hominum parvuncula et aliqua magna, ita quod tam completata est anima in uno quam in alio de sui essentia, et quando anima creatur simpliciter creatur, sed postea componitur gratis et virtutibus et intelligentiis, et hoc differenter prout prima causa vult et pro bono habet, quia aliquibus dat unam intelligentiam, et aliquibus aliam sicut patet. Iusticiis dat intelligentiam laborandi, ut omnes alios sustineant et pro omnibus laborent; militibus dat intellectum pugnandi ut alios defendant; philosophis dat intelligentiam subtilem et intelligibilem ut omnia sciant et cognoscant, ut omnes alii sensu suo gubernentur et iudicentur; et sic dat prima causa cuilibet homini suum intellectum, ut per eum vivat et operetur. Sic ornatur anima et componitur suis virtutibus et suis artibus differenter; sed in suo principio, quando ipsa creatur, simplex et nuda virtutibus creatur, sed postea induitur et componitur moribus et virtutibus et intelligentiis. Et quando anima creatur ita munda et clara et pulchra est sicut sol; sed postea nos maculamus eam peccando et facimus eam turpem et foetidam et obscuram. Super hoc dixerunt aliqui philosophi: quod peccatum nihil erat, et nihil dixerunt quia peccatum ita figit se in anima, sicut si esset virtus aliqua bona, et ideo deturpat eam et facit eam esse ponderosam, sed possunt dicere hoc quod peccare est quid naturale, et ideo nullus nostrum potest esse sine peccato, et propter hoc facimus eam esse peccatis ponderatam, et ideo quando exit a corpore non potest volare, sed si esset sine peccato ita a natura sua subtilis est, quod statim in momento poneret se in fine totius mundi et ita rutilaret sicut fulgur et tam cito curreret: sed peccata non permittunt eam fulgere nec volare sursum. Insuper debetis scire quod quando anima creatur statim per totum corpus spargitur et infunditur, ita quod non est locus in corpore quod non sit ibi pars animae: non dicimus quod sit tota anima in uno membro sicut aliqui dixerunt, sed dicimus quod qualibet pars animae est in quolibet membro corporis et in qualibet parte, ita quod non est locus in corpore, ubi non sit pars animae, quia corpus vestimentum est animae, et non est aliud et si aliquod membrum corporis non movetur, nec sentit propter hoc est, quia pars animae non est ibi nec attendit ibi et ideo non potest moveri nec sentire illum membrum. Super hoc debetis scire, quod major pars animae est in corde hominis, et secunda pars est in capite, et tertia pars dividitur et spargitur per totum corpus, ita quod radii animae per totum corpus sunt infusi et sparsi, et

anima audit et anima videt, et anima loquitur, et anima redolet, et anima sentit, quia aures corporis et oculi et nasus et os et omnia ista non sunt nisi fenestrae corporis, per quas et de quibus servitur animae, quia anima ibi stat absconsa et inclusa et involuta in corpore, sicut in suo vestimento et in suo instrumento et quamvis membra corporis scindantur et dividantur, propter hoc non scinditur anima nec dividitur, nec potest scindi, nec dividi, quia res est spiritalis. Bene verum est quod recipit tristitiam et gaudium et iram et omnia ista, et sentit omnes poenas, quae sunt corpori factae, sed timeo multum de hoc quod video quod sentit omnes poenas, quae sunt corpori deditae, quanto magis sentiet quando fuerit extra corpus si quando est induta corpore ita sentit poenas et dolores, quanto magis sentiet quando fuerit nuda? Et hoc est quod timeo, sed anima aliter non potest scindi nec dividi nec potest interfici nec per se potest mori nec destrui nec annihilari, nisi prima causa destruxisset eam. Philosophi Andalic dixerunt quod anima creabatur in corpore et in hoc verum dixerunt, sed in omnibus aliis nihil dixerunt. De illo quod dixerunt quod erat de isto aëre corrupto anima non est verum. Scimus pro certo, quod nullus homo de mundo potest scire de qua re facta sit anima, nec etiam daemones non possunt scire de qua re facta sit, nec ipsi daemones possunt scire de qua re facti sunt, nisi quia sciunt quod sunt facti ex nihilo et sic dicunt de anima. Et ideo quod dixerunt philosophi quod anima erat de isto aëre corrupto nihil dixerunt: Bene verum est quod omnes animae omnium animalium sunt de isto aëre corrupto, et prima causa dat eis istam gratiam, ut sentiant et cognoscant dum vivunt, et hoc fit ut sint ad servitium hominis, sed postea nihil sunt, quod annihilantur et destruuntur post mortem suam, quia dum sunt inclusae in corpore animalia vivunt et crescunt et sentiunt et intelligunt grosse intellectu brutali, sed postea quando moriuntur animae illorum ad nihilum rediguntur quia illae animae non sunt nisi aërea inclusa in corporibus eorum. Philosophi Cartaginenses dixerunt quod sanguis erat anima, qui dicebant, quod dum sanguis erat in corpore, vivebat homo vel animal, et dum exibat a corpore statim moriebatur, et ideo videbatur eis benedicere; et certe isti in aliquibus dixerunt vera, et in aliquibus non: in hoc quod dixerunt quod sanguis erat anima, erraverunt et nihil dixerunt, sed debetis scire quod omnis anima semper est involuta in sanguine et ideo sanguis est sedes animae, sed per se non est anima: anima enim spiritus est calidus et fervens et quia est involuta in sanguine, ideo facit sanguinem semper esse calidum: in hoc dixerunt vera quod dum exibat totus sanguis a corpore statim moriebatur illud animal, et scitis qua ratione moritur? quia anima est ibi involuta cum sanguine et ideo quando exit sanguis totus a corpore, tunc exit anima insimul cum eo sanguine et ideo moritur illud animal, sed aliter sic dicendum nec tacendum quod Super hoc dixerunt aliqui philosophi sic arguendo: anima dicitis quod est involuta in sanguine: si anima est in sanguine involuta, ergo quotiens homo minuitur totiens exit anima vel pars animae; ergo aut sunt plures animae, aut illa anima, quotiens homo minuitur, totiens exit pars ejus cum illo sanguine, ergo aut sunt plures animae in uno corpore, aut illa una non est completa in corpore, quia in se

dividitur et scinditur: praeterea si anima est involuta in sanguine quando homo moritur pacifice in loco suo, quare non exit sanguis cum anima? similiter sicut exit quando homo interficitur, quia videtur tunc quod anima non sit in sanguine quia exit sine sanguine, et ideo videtur nihil esse dictum quod superius dicitur. Carissime, debetis scire quod in uno corpore non est nisi una anima; at illud quod tu dicis, quod quotiens homo minuitur, totiens exit anima vel pars ejus, non est verum: sed debes scire quod non exit anima a corpore dum sanguis remanet ibi, sed si sanguis non remanet in corpore sine dubio statim exit, et ideo quamvis homo multotiens minuatur, propter hoc non exit anima nec pars ejus quia sanguis remanet ibi. Ad aliud quod dicis quod exit pars animae quando homo minuitur absit quod anima dividatur. Scis tu quod jam dixi tibi superius, quod anima non potest dividi nec dividitur, quia aut exit tota integra a corpore aut remanet tota integra in corpore et ideo in hoc nihil dixisti, quod quare quando homo moriebatur patienter et exhibat anima simul et sanguis cum ea dicam tibi: quando homo moritur, patienter anima est sparsa per totum corpus, et quando homo debet mori tunc anima recolligit se tota et trahit ad se omnes radios suos a summitate pedum et summitate manuum et recolligit se tota in se ipsa sub pectore, scilicet in corde et adhuc loquitur homo multotiens sic essendo, sed non sentit pedes nec manus nec alia membra corporis, quia jam non est ibi anima et ideo non sentiunt illa membra: similiter minutio sanguinis multa mala facit: facit hominem tremere et pallidum esse et facit visum amittere et dentes cadere et cito senescere et vocem amittere et fortitudinem perdere et ideo nullus debet se minuere nisi sanguinei vel postematici: postea anima praeparat se ad exiendum et exit a capite et ponit se tota unita sub pectore, et tunc homo non videt jam nec audit nec potest loqui et postea expirat homo et exit anima et vadit ad alium mundum majorem et stat ubi est voluntas primae causae. De alio quod dicitis: quare quando homo moritur sic non exit sanguis cum anima, ex quo sedes sua est? Dicam tibi: quando anima incipit se recolligere et praeparare se ad exiendum, tunc sanguis conligat se in venis, et ideo remanet ibi sanguis congelatus, et propter hoc non exit cum anima et haec est veritas. — Post haec venerunt philosophi Toletani et dixerunt de anima multa et vera, ita quod inter omnes alios dictis suis meliores et veraciores et subtiliores inveniebantur: unde nos miramur multum, unde ipsi habebant, tamen quia fuerunt ibi scholae per magnum tempus hoc considerando non miramur de dictis suis, quomodo loquuti fuerunt talia et tam vera et tam certa, et ideo affirmamus et concedimus quicquid ipsi dixerunt super hoc. — Philosophi Legionenses dixerunt quod anima erat res mirabilis et plena virtutibus et faciens mirabilia magna nimis et dicebant quod erat res mirabilis h. e. spiritualis et plena virtutibus, quia videbat et audiebat et loquebatur et omnia ista faciebat, et ideo dicebant, quod erat res mirabilis et plena virtutibus: insuper dixerunt quod faciebat mirabilia magna nimis h. e. quia facit crescere et sentire et intelligere et ista talia et in omnibus istis vera dixerunt certe, sed quia dixerunt quod anima erat aërea, ideo erraverunt et in hoc nihil dixerunt sed in aliquibus satis bene dixerunt et se exposuerunt secundum intellectum

suum. Philosophi Castrenses (h. e. Castellani) dixerunt de anima quod erat spiritus levis, movens corpus, et nobilitabat eum ex quinque sensibus, et quod habebat liberum arbitrium ad bonum et ad malum, et erat pulcher nimis, sicut fulgur, et erat valde amabilis, quando erat sine peccato; et dicebant quod pueri ideo ab omnibus diligebantur, quia erant parvuli et sine peccato. Et certe in his omnibus vera dixerunt omnes isti philosophi. Post haec venerunt alii philosophi et dixerunt quod anima erat sicut sunt spiritus quidam maligni, qui sumunt corpora et agunt multa mala; et certe isti philosophi in aliquibus dixerunt verum et in aliquibus non. Et in hoc bene dixerunt, quod anima habebat se ad utrumlibet, scilicet ad bonum et ad malum, et hoc quando erat intelligibilis. Et amplius dixerunt, quod anima erat perpetualis et immortalis sed passibilis poenam et tristitiam et gaudium et iram et ista talia, et in hoc multum bene dixerunt isti qui veritatem agnoverunt, et ideo vera in aliquibus dixerunt nobis, et ideo debetis scire omnes philosophantes, quod anima dicitur de animo, quod facit hominem animatum et rationabilem et intelligibilem, et facit hominem esse scibilem, quia in anima anima pro majori parte et inde exeunt omnia principia et quomodocunque omnes homines sint animosi secundum magis et minus super omnes alios sunt Hispani et fortiores omnibus aliis sunt in omnibus factis suis, et hoc habent ipsi a natura sua propria; et robustiores aliis sunt in omnibus et per omnia maxime in proelio, et semper cupiunt et appetunt mori gladio, et magis homines se interficiunt gladio in Hispania quam per totum mundum; et haec est gloria sua et cupiditas sua gladiare se, ita quod magis volunt mori gladio quam male vivere; et illuse et plane dicunt ipsi, quod alius sapor nec alia delectatio nec alia gloria non est in mundo, nisi gladiare se quodocunque pro nihilo, et melius sapit eis quam comedere et bibere, et ita se invitant ad invicem ut se interficiant pro solatio. Insuper Hispania est terra multum alta super omnes alias terras, et est terra grossa et nimis abundans in omnibus et ideo homines hispani sunt robusti. Et animalia similiter sic sunt grossa et magna et robusta; sic sunt oves et boves, arietes et tauri, et ista talia, signanter tales equi in mundo non sunt, sicut in Hispania. Et sunt scientes bellum sicut bonum prandium, tenentes se manu sinistra cum manu sinistra ¹⁾ et cum dixeris se percutiendo quousque ambo cadunt in terram mortui. Et istum totum provenit Hispanis ex abundantia cordis, quia sunt plenarie animosi plus quam alii homines, et ideo sunt fortiores omnibus aliis et calidiores.

Super hoc dixerunt aliqui commentatores et aliqui opinantes, quod omnes animae sub numero certo erant et ille numerus nec aumentabatur amplius nec minuebatur amplius; sed dicebant sic quod quando homo moriebatur exibit illa anima de eo et intrabat in alio corpore jam composito et organizato et postea nascebatur et faciebat eum crescere et sentire et omnia ista; et postea quando homo moriebatur exibit anima de isto corpore et intrabat in alio jam plasmato, et sic ambulabant gradatim de corpore in corpore omnes animae semper, et ideo di-

1) *Dextra* legendum videtur.

cebant quod sub certo numero erant. Sed debetis scire quod omnes isti commentatores in hoc nihil dixerunt, quia, sicut dixi vobis superius, anima quando creatur simplicissima creatur, sed postea componitur et ornatur virtutibus et intelligentiis ita quod quotidie addiscit et scit magis et intelligit subtilius et melius et verius omnia quae fuerunt et sunt, quia anima semper suscipit incrementum, et ideo susceptibilis est super omnia incrementa suscipere sive boni sive mali, et post hoc est convertibilis ad omnia quando vult et quomodo vult, quia habet liberum arbitrium ad bonum et ad malum; et ideo anima est libera quia nullus homo habet potestatem super eam, nisi prima causa qui creavit eam. Praeterea anima, quando est centum annorum valde intelligibilis est et multa scibilis; si postea verteretur ista anima in corpore alio, aut esset scibilis sicut ante erat, aut esset inscia sicut in suo principio. Si scibilis esset contra naturam esset et impossibile esset et incredibile. Similiter si verteretur ad statum innocentiae, sicut erat in sui principio; dedecus primae causae esset, quia omnia opera sua semper vadunt antea et non retro et quotidie augentur et non minuantur; et ideo impossibile esset, et ideo non est credendum nec tenendum illud, quod dixerunt illi commentatores, quia nihil dixerunt in hoc proposito, et magnum quidem de anima, quod quando exit a corpore statim accipit similitudinem illius corporis, in quo jacebat, et postea vadit et adducitur ad alium mundum majorem et ibi cognoscunt se ad invicem omnes parentes et omnes consanguinei, qui ibi sunt, et propter hoc se cognoscunt, quia accipiunt similitudines corporis, quas ante habebant, et ibi loquuntur ad invicem et ibi recipit unusquisque quod suum est et sibi pertinet, et hoc secundum opera sua, quae fecit dum in hoc mundo vixit.

Insuper debetis scire quod quaelibet anima habet suum intellectum, per quem regitur et secundum intellectum suum vivit et per eum operatur omnia et dirigit actus suos, et per eum gubernatur unusquisque in semet ipso et per intellectum suum unusquisque judicabitur et per eum debet homo judicare se ipsum, et omnes alios, quia unusquisque habet suum intellectum et suam intencionem, et ideo secundum suum intellectum unusquisque debet judicari. Super hoc dixerunt aliqui Philosophi quod non erat nisi unus intellectus in omnibus hominibus et per unum intellectum regebantur omnes homines. Et hoc videtur esse impossibile, quia si omnes homines haberent unum finem, et omnes essent unius cordis et unius voluntatis et unius facti et omnes essent unanimes in qualibet re, ita quod illud quod faceret unus faceret alius, et in eadem hora et in eodem tempore, et omnes haberent unam intencionem ad omnia et in omnibus, sed hoc est contrarium quod video, sed homines non sunt nisi daemones in factis suis, quod unusquisque regitur per suum intellectum, ergo sunt in hominibus plures intellectus et non est unus omnibus. Praeterea ubi sunt plures operationes ibi sunt diversae intensiones sed in hominibus sunt plures operationes; ergo sunt in eis diversimodae intensiones; ergo sunt in hominibus plures intellectus et non est unus et ideo videtur nobis quod illi Philosophi nihil dixerunt, sed voluerunt hoc dicere, quod habebat omnis unum intellectum communem in aliquibus sed non in omnibus, scilicet in loquendo, in audiendo, in videndo, in olfactiando et in istis talibus: sed propter hoc

non sequitur quod omnes habeant unum intellectum specialiter, quia bene scitis vos quod intellectus in anima est, sed quilibet habet suam animam, ergo in qualibet est suus intellectus et sic est veritas, et non est unus intellectus in omnibus, immo sunt plures. Possunt hoc dicere quod omnes animae sunt intelligibiles, et ideo in aliquibus veritatem dixerunt et in aliquibus non ipsimet intellexerunt.

Debetis scire quod anima est substantia perfecta, perpetue stans et corpus substantans, et est anima substantia incorruptibilis, et immortalis sed passibilis poenam et gaudium et dolorem et iram et tribulationem et omnia ista accidentia, et quamvis omnia ista substineat anima propter hoc non corrumpitur, nec potest eam destruere nec corrumpere aliquod accidens et ideo anima est immortalis. Amplius autem dicemus de anima. Anima est composita ex materia et forma compositione spiritali, et ideo sentit quidquid sibi evenit boni aut mali et anima habet oculos, quibus videt et habet aures quibus audit et habet nasum quo redolet, et habet os quo loquitur, et omnia ista sunt fixa in anima. Insuper anima est intelligibilis, rationabilis et memorabilis, et est sensibilis poenam et gloriam et omnia ista sunt in anima et multa alia, quae nescimus. Nobilitas animae intelligentia est et habet pedes et manus, et ideo dicimus animam ex materia et forma esse compositam, et quia dixerunt philosophi super hoc multa contraria, ideo vocavimus daemones et venerunt apud nos et dixerunt nobis vere animam esse compositam ex materia et forma, et hoc coram praesentia trium philosophorum. Et super hoc dixerunt quod nulla differentia erat inter animam et animam, et amplius dixerunt super hoc proposito quod anima erat talis sicut spiritus bonus et spiritus malus, et quod erat unius facturae et quod nulla differentia erat inter eas et ita concesserunt ipsi omnes et nos ita dicimus et determinamus: animam ex materia et forma esse compositam, et debetis scire quod anima est res nimis nobilissima, et magnum quidem est quod omnia quae sunt ad servitium animae facta sunt, et non ad aliud, tam visibilia quam invisibilia, et ideo dicimus animam esse rem nimis mirabilem, et super omnia dominabilem, quia omnia obediunt animae, et ad suum servitium omnia facta sunt et ideo omnes homines, qui secundum intellectum animae ambulaverint et in omnibus factis suis beati erunt, et super omnia dominabiles erunt et securi ubique ibunt et permanebunt, quia intellectus et memoria et voluntas et sapientia in anima sunt et multa alia bona quae numerari non possunt, nec praemeditari, et ideo maximam potestatem habet anima super omnia et ad omnia, et ideo est anima super omnia dominatrix et ideo qui secundum animam ambulant in omnibus factis suis sunt spirituales, et qui ambulant secundum corpus sunt mundanales: qui sunt spirituales, quae placita sunt animae faciunt, qui sunt mundanales, quae placita sunt corpori perficiunt, et ideo qui sapientes sunt in hoc mundo secundum animam debent ambulare et non secundum carnem, quia mundus iste affecibilis est et alius durabilis perpetue et permansibilis infinite. De facto animae satis tractavimus, et haec nobis sufficiant de ista re. Modo dabimus vobis aliquas propositiones utiles, ut possitis super eas argumentari.

Vos alii, qui estis maiores debetis alios gubernare intellectu vestro juste procedendo, maxime qui estis philosophi et praelati, quia

quidem praelatus est perpetua in dignitate positus. Vicarius est vices carentis tenens. Ubi est bona ordinatio, ibi est vera correctio. Ubi non est correctio, nulla est ordinatio. Ubi est bona ordinatio, justa debet ibi esse correctio, ubi correctio justa non est, sine dubio ibi ordinatio nulla est. Qui est major contra minorem debet juste praece- dere. Si major juste praece-derit, minor tenetur sibi obedire et si major injuste praece-derit minor non debet obedire sibi. Et si voluerit minor potest, sed ad aliam jurisdictionem transire. Qui juste corrigit aliquem non est puniendus, et si injuste correxerit, ipsemet est punien- dus. Ubi intentio beata, ibi castigatio beata est. Ubi intentio corrupta est, ibi instructio mala est. Bonus praelatus facit bonos subditos, eos diversimode consolando. Malus praelatus facit similiter malos, eos male levando et pessime subjugando. Omnia volunt duci bono modo et non malo. Praelatus suspectus evitandus est et potius negligendus, maxime si est cupidus vel avarus, aut insidiator vel murmurator vel ordinis de- structor. Nullus debet promittere quod tenere non potest, et si promi- serit et observare non potuerit, non tenetur talem promissionem obser- vare, nec ei obedire quia stulta promissio est, animae condemnatio et corporis perditio, et ideo dimittenda est et non observanda. Quod con- tra naturam est, agendum non est nec observandum. Malus praelatus facit subditos de bono statu in malum cadere. Nullus homo est in hoc mundo perfectus in omnibus, quod non habeat aliquem defectum in se, et hoc secundum magis et minus. Nullus potest esse sine peccato. Nemo a muliere se custodire potest. Nullus est qui non cadat. Nemo potest per se stare. Nullus debet de se confidere. Omnes apti sumus ad cadendum, magis quam ad surgendum. Quod natura dat, nemo con- tradicere potest, et si potest negare non debet. Quod naturale est, omnibus agendum est, et nullus evitare debet nec potest. Qui peccat occulte sapiens est et parcendus est; qui peccat manifeste puniendus est. De duobus malis minus malum eligendum est. Nullus de facile de- bet credere. Qui malum cito credit, iniquus est. Peccare hominem naturale quid est. Nullus peccata evitare potest. Peccatum probabile corrigibile est. Si non fuerit probatum verissime non est credibile nec corrigibile. Rex est juste regens terram. Justitia est dare unicuique quod suum est. Justitia ubique optima est, sed cum misericordia fa- cienda est. Pietas et misericordia in omnibus et super omnia privare debent. Quotiens homo peccat, totiens parciendus est, et ideo non est negligendus: immo est diligendus. Qui omnia tentat et in omnibus ca- dit expertus est. Qui multotiens cadit et multotiens surgit, vilis est et vituperabilis est. Ubi est concordia, ibi est omne bonum; ubi est dis- cordia et ibi est omne malum. Iudex est juste judicans et honeste. Aliqui imponunt leges ad libitum suum, sed non omnes sunt tenendae nec sunt semper vertendae, quia quod bonum et utile est omnibus te- nendum est, et quod malum est dimittendum est. Quod superfluum est malum est; quod bonum est eligendum est. Boni mores faciunt homi- nem generosum. Qui bene morigeratus est, ille generosus est. Nullus generosus est, si male morigeratus est. Non omnia sunt dicenda; om- nia dicta non sunt audienda nec credenda. In necessitate nullus est cogendus, immo est parcendus, quia quod strictum et angustabile est,

tenendum non est. Ubi est temperatio ibi est delectatio. Ubi est obligatio ibi est solutio, ubi est solutio ibi est damnatio. Contra poenam corporis vel animae nihil est tenendum. Nullus contra se ipsum debet ire. Si aliquis contra se ipsum fuerit, tunc sibi met proprius inimicus erit. Subditus non debet in omnibus superioribus suis obedire, quia quod damnum suum est, tenendum non est nec obediendum: debet eis obedire ut decet in rebus licitis et honestis et non in aliis. Sententia majoris injuste posita tenenda non est. Poenitentia superioris injuste data tenenda non est, quia quod justum est agendum est et quod justum non est tenendum non est nec obediendum. Ira multa mala facit. Ira destruit subjectum et facit eum senescere et cito deficere. Non omnia sunt videnda, et aliquando videnda non sunt dicenda. Qui secretarius peccatorum est servus dominus est. Qui bene conditionatus est, nimis venerandus est et ab omnibus serviendus. Qui pulcher in omnibus est, ab omnibus diligendus est. Vir et mulier, qui conjuncti sunt, verissime se debent diligere et alter alteri veritatem se debent teneri tam corporis quam pecuniae et si aliquis illorum contra fecerit, si verissime probatum fuerit, jam alius non tenetur sibi veritatem custodire, sed debet similiter agere et prout hoc nullus illorum est puniendus. Quod naturale est omnibus agendum est et nullus debet esse evitandus. Omnis forma appetit materiam et omnis materia appetit formam. Nullus sine altero potest esse. Materia multis formis apta est, et forma multis materiis habilis est. Una materia non vult semper habere unicam formam sed plures, et una forma semper appetit multas materias, ita quod nunquam sociantur inter se. Homo se habet per modum formae et mulier per modum materiae et ideo qui conjuncti sunt insimul fidelitatem corporis non possunt verissime observare, quia unusquisque appetit quod suum est, et quod naturale est diversimode est, et ideo nullus illorum prout hoc puniendus est. Abstinencia est principium et fundamentum totius boni; ubi abstinencia perfecta est omne bonum ibi est. Abstinencia perfecta est panem et aquam cotidie tantummodo comedere et non aliud, quia panis et aqua est vita beata. Felix est qui talem vitam semper facit; sapiens et perfectus est qui talem vitam quotidie agit. Anima semper debet dominari et corpus subjugari et ancillari. Per hanc vitam anima dominatur et corpus subicitur: homo spiritualis efficitur et terrena obliviscitur. Per hanc vitam fit homo studiosus nimis et ingeniosus. Oratio est totius boni perpetratio. Ubi studium et oratio est nihil boni deest. Ubi studium et oratio est, nihil boni deest; qui cotidie panem et aquam comedit et semper studet et orat et almus est, qui semper ista agit, prudenter agit. Qui bene vult studere ab hominibus se debet abstinere. Malus debet sine provisione alicui respondere. Qui statim respondet incaute agit. Non oportet ad omnia respondere. Cum garrulatoribus non debet homo disputare sed debet eos negligere. Ubi est taciturnitas ibi est bonitas; qui spatiose loquitur prudenter agit. Angustia cordis facit hominem ad iracundiam movere. Quando homo est furibundus non est malum in mundo, quod ipse non faciat. Ira facit hominem interficere et corpus et animam plenarie amittere. Paupertas sine gladio interficit hominem et castitas similiter. Qui bene canit ab

omnibus diligendus est, qui dulce canit mitigat iram et radit cogitationem malam cordes in se et in omnibus circumstantibus et facit eos placare et laetificare. Cantor aliud bonum facit dum canit, tristitiam evocat a cordibus audientium, debilibus confert salutem, vigilantibus confert somnium dulcem, homines exhilarat, Domino suo jubilat, mulieres in amore mellificat, parvulos mirificat, Deo suo placat; se ipsum nobilitat, et ideo cantores ab omnibus debent venerari et associari, quia nimis honorant locum et populum, ubi ipsi sunt, quia ducunt audientes ad magnam devotionem, et dant eis maximam consolationem. Et amplius faciunt cantores; faciunt hominibus patientiam in persecutione habere, et lugentes faciunt gaudere, et gaudentes multotiens faciunt flere et multa alia bona faciunt cantores, quae modo dicere non possum, et ideo cantores sunt diligendi et honorandi super homines alios, quia in se ipsis maximum laborem substinent, quamvis aliis non appareat. — Qui sanus vult vivere semel in die debet comedere. Mansueti sero irascuntur, sed quando incipiunt pessime moventur. Qui multum et bene vult studere, parum debet comedere; qui parum comederit, dormire non petierit. Tristitia annihilat hominem. Ira consumit totum corpus et destruit. — Qui dulce loquitur mollificat audientes; qui acriter et aspere loquitur movet audientes ad iracundiam. Murmuratio aliquando est bona et aliquando mala. — Qui in castitate vivit in maximo martyrio vivit. Infirmitas et paupertas faciunt hominem humilem. — Lingua hominis libera est; omne bonum est in ea et omne malum similiter. — Qui custodit linguam suam, sapiens est. — Ille est vituperandus qui loquitur latinum circa romanicum maxime coram laicis, ita quod ipsimet intelligunt totum; et ille est laudandus qui semper loquitur latinum obscure, ita quod nullus intelligat eum nisi clericus; et ita debent omnes clerici loqui latinum suum obscure in quantum possunt, et non circa romanicum. Si vis esse sapiens alicui viventi non dicas secretum tuum. — Illud quod tu solus scis est maximum secretum, et quod duo sciunt jam non est tantum, et quod tres sciunt minus: Ultra tres secretum non est, quia quod sciunt tres, scit omnis res. Nunquam confidas de altero magis quam de te. — Qui secretum non servat, nihil est. Ubi secretum non est, proditio est. . . Qui a mundo sunt sequestrati, diversimode debent consolari et maxima libertas debet eis dari, quia qui inclusi sunt prae nimia angustia et prae nimia tristitia cordis moriuntur cito. — Anima omnis res nobilissima est, et nunquam vult habere angustiam, sed semper vult spatium; et si anima angustiat corpus cito senescit et ipsa statim evanescit, et ideo multi pereunt et damnantur, et multa iniqua agunt, quod aliter non agerent et propter hoc larga licentia omnibus debet dari et alicui non debet negari. — Verecundia optima res est et omnis homo debet habere eam semper secum. Qui secum verecundiam habuerit, semper bona facit et mala dimittit: in rebus inhonestis debet homo semper eam habere, sed in rebus licitis et honestis debet homo foras excludere; quia quod bonum est tenendum est et utendum et quod malum est evitandum est. Boni mores mirabiliter notificant hominem. Qui suspiciosus est, semper praesumit malum de aliis, quia illud quod de se intendit credit quod sic est de omnibus aliis, et illud idem semper intendit, quod ipsemet ope-

ratus est: quod ipse facit considerat de aliis quod ita facient. Qui suspiciosus est, insidiator est, et ideo dicunt hoc exemplum: quales operationes tuae, tales suspiciones. Qui suspiciosus est, falsidicus et iniquus est, et iste talis nunquam debet credi, sed semper incredulus in omnibus debet esse. Qui habet linguam dolosam semper in absconso facit murmurationes et cachinationes de aliis et a se extrahit semper, quid de aliis dicat. Adulatores et murmuratores semper debent ab omnibus dedignari. — Multi proditores interficiunt multos, eos male infamando. Mala infamia interfecit hominem. Nullus leviter debet credere malum alicujus. Dicunt illi qui statim sunt credentes: quale verbum dixisti, tale cor mihi fecisti. — Mala consuetudo abhorrenda est et dimittenda. — Qui de facile credit, inique procedit. — Omnes debent tenere partem labentis, ipsum fortiter adjuvando. Invidia annihilat totum corpus; avarus semper cupit et nunquam satiatur. — Ebrietas aufert memoriam, involvit linguam, conturbat intellectum et facit claudicare subjectum. — Tria sunt quae discipiunt hominem: mors et paupertas et longa infirmitas. Qui fidelis est, semper apparet: qui infidelis similiter est. Qui in omnibus fidelis est valde dives est. Qui fidelem amicum habet, debet servare eum sicut lapidem pretiosum. Ubi est vera fidelitas, ibi est magna securitas. Ubi est infidelitas, ibi est timorositas. Quando fidelitas et veritas inter homines non fuerint, tunc temporis male vadit et male est in eis. De falsiditate et proditione nullus se custodire potest. Ubi est pax, ibi est omne bonum. Amor vincit omnia, odium destruit omnia. Ubi est rancor et discordia, ibi est omne malum. Qui seminat scienter zizaniam inter homines puniendus est. Omnis homo semper debet cogitare bonum. Qui bona cogitat, in se ipsum se delectat. Cogitatio delectabilis est bona. Cogitatio irascibilis est valde mala. Qui primitus considerat futura, antequam faciat principia sagax est. Consuetudo est res nimis frequentata: consuetudo bona utenda est; consuetudo mala dimittenda est. — Humilitas aliquando bona est, et aliquando mala et simplicitas similiter. Pietas semper est bona. Pietas est principium totius boni; qui pius in omnibus est, benignus est. — Qui in factis suis crudelis est, malignus aperte est. In patria sua nullus est honoratus, nisi fuerit valde sublimatus. Qui in patria sua cupit semper sedere, cupit semper malum videre. Nullus vituperatus est nisi qui notus est. Qui raro visus est, ab omnibus honoratus est. Qui frequenter visus est ab omnibus neglectus est. Vera amicitia in paucis invenitur. Quod cum devotione et cum bona intentione factum est, bene factum est. Veritas multotiens non praevalet et mendacium multotiens verificatur. Multotiens de nihilo faciunt aliquid et de aliquo faciunt nihil. Non est bonum in mundo quod non sit in lingua, et non est malum in mundo quod non sit per linguam. Qui est dominus suae linguae potentissimus super omnes est. Quam felix est qui parum loquitur. Ubi est murmuratio et detractio et suspicio est, ibi est omne malum. Similiter qui sunt male iudicantes et semper malum praesumentes semper considerant malum. Amor mulieris extrahit hominem a sensu suo naturali et postea sic decipit eum. Qui castitatem custodiunt et ipsimet se interficiunt. Vinum laetificat bibentes se et confortat per multum et augmentat sanguinem et dat fortitu-

dinem, praestat colorem in facie et facit habere colorem naturalem confortat stomachum et calefacit eum; et facit cibaria ibi cito decoqui et digerere, et nimis confortat cor et cerebrum et omnia alia membra, si semper temperate sumitur. — Panis corroborat hominem et augmentat fortitudinem in omnibus membris. Caro nutrit carnes in corpore et facit hominem tenere sanum quia caro non nutrit nisi bonos humores semper: unde qui cotidie carnes comederit semper sanus erit et multum rigidus et nunquam erit timidus. Qui sane vult vivere, summo mane debet se semper surgere, et parum debet comedere. In vere nullus debet jejunaire. — Terra habet se per modum foeminae et sol et luna et omnes aliae planetae habent se per modum viri, et sicut vir impraegnat mulierem sic septem planetae impraegnant terram et faciunt eam germinare omnia, quae in ea sunt semper. Venti exeunt de abyssis, et nubes de terra procedunt et aquam de mari colligunt, sed ubi radicatur semper permanent. Amicitia bona vel vera semper durat et aliquo accidente nunquam destruitur. Qui semper tristis est, sapiens est; qui semper gaudiens est stultus est. Qui semper considerat prudens est. Omnia suo tempore fiunt bona. Quod frequenter usum est, taedium est. Quod sero factum est diligendum; omnia nova in suo principio placent. Tristitia iracundi Omnes medici justii et perfecti debent esse. Si tales fuerint medici cognoscent pulsus et cognoscent infirmitates et recte judicabunt urinas. Si peccatores fuerint, sanos faciunt infirmari, et in fine ad nihilum redundari. Homo ex quinque sensibus componitur et oritur et est rationabilis et intelligibilis sciens bonum et malum, et ideo ex quo est rationabilis et intelligibilis debet omnia facere cum discretionem. Qui auricularius est, alicujus falsidicus est. Qui adulator est *spiritus* proditoris est. Qui tales sunt in istis vitiis nunquam debent credi. Homo qui serotinus est ad credendum, prudens est et tutus. Qui cito credit timidus est. Qui futura considerat caute facit. Bona ratio coram omnibus dicenda est, et mala evitanda est; et quod omnibus displicet tacendum est. Qui semel in die comedit perfectus est. Qui bis in die comedit laborator est et ideo parcendus est. Milites in armis suis debent studere fideliter et non aliter; contrarium agentes debent esse puniendi. Qui fidelis servus non est puniendus est. Ubi est fidelitas, ibi regnat bonitas; ubi est infidelitas, ibi est vastitas. Omnes debent defendere quod suum est. Pro veritate unusquisque debet mori. Qui bonus medicus vult esse naturalis, Astrologus debet esse. Quilibet debet frui de officio suo fideliter. Ex improvise nihil valet homo. Ille dicitur sapiens, qui scit bonum et malum, et dimittit malum, et operatur bonum. Qui ex improvise in latinum loquitur non est mirum quod peccet. Omnia quae sine praevisione facta sunt male acta sunt. Qui futura praevidet caute agit. Ille potens est qui dominus sui est. Debetis scire, quod qui est Magister Nigromantiae, si voluerit, potest esse magister de omnibus scientiis vel philosophiae, ita quod non est res de mundo quod ipse velit habere, quod non habeat et non perficiat, et ideo qui se voluerit ad hanc accedere potest habere quidquid voluerit, et desiderium suum complere plenarie et vere et propter hoc dicitur scientia Nigromantia mater omnium artium, et scientia scientiarum, qua scita omnes aliae sciuntur,

et per eam omnia quae sub coelo sunt habentur omnibus his qui vero eam operantur. Libertas non venditur auro. Qui liber est Dominus sui est et nimis dives est. Qui propria voluntate captivus est, mortuus est et sepultus est. Omnia quae in mundo sunt non valent huic comparari. Unusquisque studeat per se vivere, quia melius est esse liber, quam servus alienus. Cupiditas est principium motuum. Quod unum est numero idem ab omnibus videtur. Omnis numerus in unitate incipit et perficitur in unitate. Unitas aliquando est pluralitas et aliquando singularitas. Pluralitas aliquando est unitas et aliquando non. Multiplicitas multotiens fit unitas; sub uno numero comprehenduntur plura. Ille laudandus est, qui multa in unitate comprehendit. Numerus est aggregatio multitudinis per unitatem. Omnia debent fieri cum discretionem, discretio ubique bona est. Quando amor regnat inter homines tunc vivunt dulciter. Amor est conjunctio animarum in omnibus hominibus ad unum finem tendentium. Quando homines in amore sunt inter se, pacifice et quiete vivunt. Omnis homo vivens deberet probare omnia quae fiunt et sunt in mundo si posset; impossibile est quia scire malum non est malum, et operari malum experientiam faciendo et probando eum, et tentandum non est malum, quia si homo quod malum est nescit nec probavit quomodo se ab eo custodiet: ideo debet homo omnia probare primitus et postea ex quo sciverit et probatum habuerit, tunc debet se a malis custodire et bonis operibus exercere et ideo scire malum et semper uti de eo, et in eum semper vivere et permanere, hoc est malum maximum: et ideo qui malum aliquod operatur experiendo, et experientiam faciendo usque ad tribus vicibus parcendus est. Si amplius in malum semper viciosus invenitur sine dubio puniendus est, quia jam non facit per experientiam sed per malitiam, et propter hoc est puniendus propter hoc peccatum, quod frequenter actum est malum est et ideo castigandum est. Ille sapiens est, qui a malis expertis se custodire potest. Gloria hujus mundi est bene comedere et bibere et bene induere et necessaria affluenter habere; sed super omnia gloria et delectatio insatiabilis et perfecta est conjunctio mulieris et viri et hic est transsentio amoris. Pulcritudo mulieris vincit hominem et decipit eum. Nullus perfecte castitatem potest observare recte. Quod natura dat nemo sibi contradicere potest nec debet. Tam sapientes quam insipientes a mulieribus fuerunt semper illusi et decepti, ideo nullus a muliere potest defendi. Circulus est rotundus nec habet principium nec finem; sic mundus est factus nec invenitur in eo finis nec principium. Terra minima est et pauca, sed aquae sunt multae: prima quam habet similitudinem circuli quia nec habet principium nec finem. Figura circularis rotunda est majoris capacitatis quam aliqua alia. Quae ratio est quare mundus factus est rotundus et non quadratus? Quare maria sunt multa et magna et terra est minima et pauca? Quis scit quare maria non cooperiunt terram et quare maria non desiccantur? quae causa est, quod terra non consumitur, quare coelum quotidie movetur? Lunaria coeli ubi se tenent, venti et aera quare non videntur, nec possunt palpari; quare sunt plures res quam nomina? Quae ratio est quare sint facta omnia et unde et de quare? Quare nullus locus est vacuus? Quae ratio est quare claritas et obscuritas non possunt palpari: quae sunt

illa et quae sunt quae nunquam satiantur? — Qui auctoritatem et libertatem non habet, nihil potest. Auctoritas et libertas faciunt hominem esse audacem. Quae ratio est quod species rerum sunt diversimode? Quae ratio est quare omnia sunt sub pondere et mensura? Quae ratio est quare nulla res perfecta est? Quae ratio est quare omnia sunt intelligibilia? Nullus pro rebus victualibus debet mori. Quae ratio est quare intellectus capit omnia? Quae ratio est quare voluntas hominis ita libera est? Quare voluntas non potest confundi? Quare virtus imaginativa transcendit omnia, et in se capit omnia? Quae ratio est quare voluntas hominis nunquam quiescit? Quare voluntas semper cupit et nunquam satiatur? Quare non est dare materiam sine forma, nec formam sine materia? Quae ratio est quare forma appetit materiam et materia formam? Quare unica materia appetit multas formas et unica forma multas materias? Quare ex quinque sensibus homo componitur et non sunt magis neque minus? Quare centrum coeli in puncto movetur? Bona promotio facit hominem de bono in melius crescere. Mendacium multotiens damnificatur et pro veritate invenitur et approbatur. Bonum est aliquando ipsum solacium. Gaudium cotidianum facit hominem invanescere. Ira et rixa et tristitia faciunt hominem cito senescere. Qui in hoc mundo semper gaudens est, felix est, sed quam pauci sunt in hoc mundo qui gaudium sine tristitia semper habeant! Consolatio omnibus et in omnibus debet fieri maxime laborantibus. Qui bene laborat debet nimium consolari. Ingratitudo maximum peccatum est, gratitudo similiter maximum donum est. Qui se ipsum non cognoscit, stultus est: qui se recognoscit sapiens est. Bonum et utile est aliquando mentiri, ut damnum in commodum convertatur. Non mentitur qui ut alium salvat mendacium profert. Multa mendacia debent dici et fieri, si possunt malum in bonum convertere. Omnes debent in hoc studere: malum abscondere et bonum ostendere. Qui mentitur ut salvetur caute agit. Qui mendacium dicit ut honoretur commodum suum facit: ideo dicimus, mendacium peccatum non esse, si in bonum convertitur; sed mendacium tunc in peccatum convertitur quando falsum testimonium scienter alicui imponitur. Qui veritatem negat mendacium dicit, sed diversimode intelligendum est. Ideo iudex sapiens debet esse ut mendacium sciat discernere et veritatem eligere. Multotiens veritas absconditur, quia factor prae timore terretur: ideo peccatum quod est probatum et approbatum et per multos examinatum detestabile est, sed peccatum quod non est probatum quamvis lessus dicat sic est, incredibile est, quia cum angustia et dolore tormentorum multotiens mendacium praevalet et veritas evanescit: ideo iste talis incredibilis debet esse. Semper quod bonum et melius est debet praevalere, quod malum et pejus est, debet evanescere, quia quod bonum et utile est eligendum est et quod malum et inutile est evitandum est. Non debet homo totum malum facere, quantum potest. Ubi est temperantia, ibi est constantia. Omne illud quod fit naturaliter et rationabiliter et utiliter diximus peccatum non esse. Omne illud quod fit contra naturam dicimus peccatum esse. Quod naturale est omnibus agendum est, et peccatum non est, sed quod innaturale est, peccatum est et ideo agendum non est. Unusquisque iudicabitur per conscientiam suam; unde si conscien-

tia hominis dicit sibi aliquod factum peccatum non esse, tunc sibi non reputabitur; sed si conscientia remordet, et dicit sibi illud actum esse peccatum, tunc sibi in peccatum reputabitur et tunc dimittendum est. Unde quidquid agant homines, intentio sua et conscientia sua iudicabit omnes, et ideo in voluntate homines est: homo enim liberum arbitrium habet et habet discretionem et ideo in sui potestate est. Unusquisque sibi metus iudex est et erit. Si homo alicujus peccati non habet conscientiam nullus potest sibi conscientiam facere et ideo constringendus non est. Unusquisque secundum voluntatem suam faciat. Bene scit homo malum esse malum et bonum esse bonum; tamen si conscientia sua dicit, malum esse bonum et bonum esse malum, nullus potest sibi contradicere; ideo cogendus non est. Vana est cogitatio quae in actum non redditur. Non peccat homo, quamvis meditetur malam cogitationem, nisi venerit ad operationem. Illud dicitur peccatum, quando aperte est perpetratum; ideo cogitatio nunquam dicitur peccatum, nisi venerit ad actum. Omnis homo cupit semper bonum per se magis quam pro aliquo alio: ideo unusquisque commodum suum respicit magis quam alienum. Omnes homines in hoc mundo volunt honorari magis quam dedignari. Nullus vult sperni, unusquisque vult sublimari. Nemo vult injuste condemnari. Caliditas et humiditas regnant in juvene; frigiditas et siccitas regnant in sene. In juventute feminae regnant frigiditas et humiditas, in senectute frigiditas et siccitas. Usque ad triginta annos homo crescit et tunc est homo perfectus; a triginta autem cotidie minuit usque sexaginta. Si amplius homo vivit, cum maximo labore vivit. Bonum est multotiens non multum vivere, aliquando bona est mors. Multotiens malum est bonum et bonum est malum. Homo audax cito moritur. Qui calvus fuerit nunquam leprosus erit. Qui calvus est homo fortis est. Qui calvus est largus et audax et robustus et gaudens est. Fortitudo animi multo magis est in homine tenuo et macilento quam in homine grosso. Homo macilentus et tenuus est aptus ad laborem. Homo macilentus et tenuus fortissimus corde est. Qui occulte peccat sapienter agit. Nullus est homicida nisi qui propria manu interficiat hominem: aliqui sunt videntes et sunt circumstantes, non sunt homicidae. Qui sunt in consilio mortis alicujus illi sunt participes homicidii, sed non sunt vere homicidae. Ille vero homicida est, qui propria manu sua interficit aliquem; alii vero non sunt homicidae. Quando est luna crescens, omnes humores crescunt in corporibus animalium, et quando est minuens omnes minuuntur similiter; et sic est in arboribus et in omnibus aliis. Homines nunquam satiantur mulieribus; nec mulieres nunquam satiantur hominibus. Inter homines et mulieres regnat semper cupiditas insatiabilis. Inter homines et mulieres regnat caritas perfecta, ideo qui caritative vivunt, bene vivunt. Caritas est dilectio vera semper manens; ideo caritas, quod est amor transcendens non regnat nisi inter homines et mulieres: ideo qui sunt conjuncti et in caritate vivunt, optime vivunt, et haec est gloria hujus mundi carnalis copula et in hoc mundo sic regnat caritas. Nullus vivens in hoc mundo castitatem potest observare et si potest, quod est impossibile si promisit et servat peccat inique, quia contra naturam facit puniendus est, et si promisit aliquis castitatem observare, si fre-

gerit promissum et votum solutus est, et prout hoc non est puniendus, quia quod naturale est omnibus et agendum est, et aliqui non est vetitum, quia lex naturae est. Lex naturae in omnibus et per omnia debet observari et semper ab omnibus custodiri. Quod bonum et utile et delectabile est omnibus agendum est. Omne illud quod omnibus commune est quilibet agendum est. Quod omnibus largiter concessum et datum est aliqui vetitum non est. Miraculum est quod supra naturam est. Ideo nullus castitatem potest observare nisi fuerit per miraculum, et miraculose factum, et non habet homo hoc donum a se, sed ab alio venit. Omne bonum venit de sursum cuilibet a suo superiori, et omne malum venit deorsum cuilibet scilicet a suo inferiori i. e. a daemone: ideo multotiens vult homo operari bonum et nequit, quia spiritus malignus sibi non permittit, et multotiens vult homo operari malum et nequit, quia spiritus benignus sibi non permittit: prout hoc multotiens videtur vobis habere contrarium in omnibus factis vestris. Quis est qui dicat compleri totum desiderium meum, ut voluntas mea dixit? Pauci et rari sunt qui hoc dicant et sic fiat eis: ideo non possunt omnes observare castitatem, nisi quibus desursum datum est, et hoc donum concessum est. Ideo nullus debet judicare quemquam de isto facto nec de ista ratione. Unusquisque se ipsum cognoscit et scit quid facit et quam intentionem habet. Nunquam peccatum est illud, quod naturaliter actum est. Omnia illa animalia feminina, quae non mingunt et non faciunt urinas, habent vulvas, ut gallinae et anseres et anates et multa alia, et ideo per ovum supponuntur. Ultra posse nihil. Qui potest aliquid agere agat, qui non dimittat. Qui dicit omne nihil excludit, et de aliis non murmuret. Murmuratio multotiens est infamatio. Omnis virtus consistit in medio. Ubi est communitas ibi est hilaritas, ubi est largitas ibi est nobilitas. Qui zeloticus est plenus fraude et malitia est. Qui nobilis et generosus vult ab omnibus apparere, nunquam zeloticus nec suspiciosus debet esse. Ubi est suspicio et praesumptio ibi est omne malum. Ubi est securitas ibi est fidelitas. Ubi est temperantia in omnibus rebus, ibi summa prudentia est. Qui multa vidit et probavit multa scit et expertus est. Qui habet libertatem et auctoritatem et potestatem in omnibus audax est, qui ista secum non habet timidus et nihil est. Ubi regnat avaritia, ibi regnat cupiditas. Omnia delectabilia sunt in visu et in gustu et in tactu. Ubi est divisio et sequestratio ibi est murmuratio et conturbatio. Ubi in omnibus est aequalitas et paritas, ibi est bona societas et fraternitas. Qui cum veritate ambulant semper fideles et felices sunt, et qui ambulant cum falsitate infortunati et miserabiles sunt. Raptores et omnes alii malefactores usque ad tres vices parcendi sunt, quia qui malum facit cum angustia et miseria et necessitate facit. Qui divites sunt cum pauperibus debent bona sua dividere: idcirco isti tales parcendi sunt. Omnes debent laborare pro communi utilitate. Ira destruit omne bonum. Daemones multa mala faciunt: faciunt corda hominum inflare et omne malum considerare et pessime perpetrare. Multotiens in nocte ponunt se super homines et dormiunt cum eis, et ita vexant eos per totam noctem, quod alia die de lecto non possunt surgere et sunt quasi fessi et amittunt tunc fortitudinem suam homines et mirant inde quid hoc sit et nesciunt unde

provenit eis, et sunt sani et comedunt et hibunt bene, et tamen non habent fortitudinem aliquam. Sic faciunt in die: ambulant cum hominibus et ponunt se super humeros suos, et tunc homines non possunt ambulare et sunt quasi fessi, ita quod non possunt se substinere super crura sua. Aliud faciunt homines inter se: faciunt litigare et postea se interficere, ita quod non est malum in mundo, quod ab eis non veniat, et tamen hoc homines non intelligunt, quia sunt invisibiles, et ideo non videmus eos et tamen nobiscum ambulant et faciunt quidquid mali possunt. Totum hoc scio ab eis, quia quando volo voco eos et statim veniunt ad me, et tunc quaeso ab eis quidquid volo et dant mihi responsionem veram et certam, et tunc dicunt mihi omnia mala, quae homines faciunt semper; unde miror multum quomodo aliquis nostrum potest ab eis evadere; talis et tanta est potestas eorum, nisi quia egomet video et vere scio quod aliter non possem credere aliqui viventi quod tantam potestatem ipsi in malum habebant, sed quia multotiens expertus sum ideo dico et multotiens sub bona specie decipiunt hominem. Nunquam homo peccasset nec posset peccare nisi per daemonem. Diabolus facit omnibus nobis cotidie peccare; ideo a daemone nullus se custodire potest. — In disputatione qui timidus est nihil valet. Et qui ibi fortis et audax est viriliter agit. In disputatione nullus debet habere verecundiam, et ideo verecundia aliquando est bona et aliquando mala. Qui tristis et iratus est non potest bonum aliquod agere, quamvis vellet. Ubi est gaudium et laetitia ibi est omne bonum. Ubi est discordia et tristitia ibi est omne malum. A prodicione nullus se custodire potest. Omnia quae fiunt voluntarie fiunt sine labore. Omnia quae fiunt cum gaudio et laetitia optime fiunt, si aliter fiunt pessime fiunt. Contra voluntatem suam nullus debet ire; si quis contrarium facit, ipsemet se interficit. Qui in semetipso frangit iram cito senescit et citius moritur. Qui spatiosus est multum vivit. Qui bene sedet, non se levet. Qui facit intervallum in lite cante agit. Qui potest evitare rixam et evitat, sapienter agit. Qui evitat malum, juste et pie facit. Qui patienter substinet contraria perfectus est. Qui dat locum irae, prudenter agit. Qui ab adversis se abstinere sagax est. Ante actum qui futura praevidet optime agit. Qui se bene defendit viriliter agit. Qui multa suffert patientiam habet. Felix est qui potest in omnibus patienter transire. Optime facit qui se a malo custodit. Qui semper sanus est, nimis dives est. Divitiae hujus mundi sunt salutes corporis et animae. Qui infirmus est semper cupit salutem et aliud non. Omnes homines in hoc mundo cupiunt bene vivere. Nullus cupit mori, dum bene est ei. Miserrimis et infortunatis dulcis est mors. In disputatione maxima cautela debet ibi esse. Ille qui est respondens debet considerare hoc primum: debet considerare argumenta opponentis si sunt bene facta prout debent esse, vel si peccant in modo vel in figura, vel in forma vel in materia. Si in aliqua re istarum quatuor peccaverint argumenta, tunc nihil valent et tunc sunt negligenda: et si bona et vera fuerint argumenta, tunc respondens debet ea repetere et postea solvere. Solutio debet fieri aut per distinctionem aut per interemptionem aut per aliquam simulationem, vel per disparentem rationem et sic per istos quatuor modos solvet et destruet omnia argumenta et si iterum opponens

opposuerit, tunc similiter debet respondens facere, prout supra dictum est. Tamen si disputatio fuerit inter duos alia cautela est adhibenda et scienda, quia duplex est disputatio. Est quaedam disputatio audibilis et determinabilis, et est alia disputatio inaudibilis et indeterminabilis; disputatio audibilis et determinabilis est, quando Magistri scientiarum in scholis suis incipiunt legere et fit ibi disputatio coram presentia illorum: tunc magistri sunt audientes disputationes scilicet respondentes et opposcentes. Disputatio autem facta venit magister qui tenet cathedram et repetit omnia argumenta, et omnia quae fuerunt ibi dicta ex utraque parte, et postea determinat prout melius potest, et haec est disputatio audibilis et determinabilis. Disputatio inaudibilis et indeterminabilis est, quando fit inter duos vel quatuor, et nullus est ibi audiens et qui iudicet eos et determinet rationes suas. Tunc disputatio quando sic fit et talis est dicitur; disputatio apparens et contentiosa et infinita, quia fit per apparientiam, ut videatur scientia cuiuslibet illorum, aut quis erit devictus, et talis disputatio est infinita quia nullus illorum se permittit devinci. Debetis scire quod in qualibet quaestione vel disputatione debent ibi esse duae partes, scilicet veritatem tenentes et mendacium subistentes et verificantes: istae duae partes debent esse in qualibet quaestione vel disputatione; tamen aliqui sunt qui tenent medium prout subtilitatem maiorem. Medium est nec tenere bene veritatem nec bene falsitatem; et talis disputatio inaudibilis et indeterminabilis quando nullus est qui iudicet eos et audiat eos. In tali disputatione si aliquis devictus fuerit vadat ad interrogationes dubitabiles, et succurrat se de eis, et tunc ipse prevalebit coram omnibus aequiparenter et alius erit confusus. Tamen si devictus voluerint in disputatione aequaliter remanere ita quod nullus sit devictus faciat alius aliam interrogationem dubitabilem, et sic remanebunt ambo aequaliter et pariliter et communiter. Insuper quaestio, super qua fuerit disputatio semper debet esse ad rem et non ad nomen, ita quod omnes habeant unam intentionem et ad unum finem vadant et ut omnes se melius intendant. Si aliqui volunt esse boni disputatores sint audaces nimis et sine verecundia aliqua et bene loquentes, et tunc poterunt obtinere disputare; sed si disputator est timorosus vel verecundus nihil valet et melius est ei ut de ista re non se intromittat ex quo talis est, quia audacia in multis rebus optima est, similiter in multis mala est. Aliud debent facere disputantes: debent loqui taliter ut possint se ad invicem intelligere et circumstantes possunt eos videre et cernere, ut si necesse fuerit queant verba sua repetere et iudicare atque omnibus aliis ostendere, quia in loquutione litterali multoties maxima deceptio fit, quia unus loquitur latinum suum planum, et alius loquitur latinum graecum vel chaldaicum vel hebraicum vel moriscum et alius non intelligit eum, et sic remanet confusus, quia iste dicit sibi: ex quo non intelligis me? bene apparet quod nihil scis: vade quia contra ignorantem nulla est disputatio, et ideo oportet quod in disputatione latinum commune loquatur; et tamen si voluerit aliquem illudere, tunc potest loqui in latinum obscure ad hoc quod alius remaneat confusus. Nullus potest cum tristitia canere; similiter qui iratus et furibundus est non potest cantare. Qui bene vult canere gaudium secum semper debet habere. Qui bene vult cantare laetitiam in corde

debet portare. Cum tristitia nullus potest bene cantare, sed potest scito plangere et plorare. Ideo cantoribus nullus deberet eos facere contristari, quia omnia quae fiunt cum laetitia bene fiunt et bona sunt, et omnia quae fiunt cum tristitia et iracundia male fiunt et pessima sunt. Merces quae unicuique datur retribuenda est. Quod omnibus datur dividendum est; demum quod unicuique datur tenendum est. Solatium paucum est bonum. Sobrietas in omnibus est bona. Omnis virtus constat in medio. Homo egenus multa mala considerat. Qui cum taxillis ludit multum ad paupertatem cito devenit. Paupertas facit hominem desperare. Qui fidejussor est semper damnum expectat et amittere condemnatur. Qui aliquid accommodat, non recipit et si recipiat, non totum; et si totum non tale, et si tale non in tempore cum taedio et ingratitude et in fine de amico facit inimicum. Ideo nullus debet accommodare quidquam alicui juveni nisi super bonum pignus. Qui de suo facit alienum stultus est. Melius est dicere istud meum est quam nostrum. Ideo dicitur posui mendicum in meo palleare, et fecit se hereditarium. Qui de bona provisione est, sapiens est. Proditio et falsitas regnant ubique, nullus ab istis se custodire potens est. Totus mundus plenus est de istis duobus. In omni loco regnat fallacia et deceptio. Melius est malum alteri agere quam in se substinere.

Magistri omnium artium Hispaniae semper incipiebant legere in prima die mensis Octobris et legebant usque ad mensem Madij et hoc continue semper et sic debent omnes alii Magistri agere et in tali tempore incipere. Tamen aliqui Magistri fuerunt qui incipiebant legere in principio mensis Septembris; sed quia caliditas regnabat adhuc ideo habuerunt pro bono incipere aequaliter ad legendum in principio mensis scilicet Octobris, quia tempus jam incipit refrigescere, et tunc cum frigiditate sunt homines magis intenti studio et sunt tunc seniores et fortiores ad laborem studii substinendum, quia tunc comedunt magis et melius et bibunt minus et ideo possunt melius studere; praeterea tunc noctes magnae et ideo tunc possunt melius vigilare. Isti erant philosophi et magistri Hispaniae et quinque istorum erant Portugalenses et septem erant Legionenses et decem erant Castrenses h. e. Castellani, et tres erant Navarrenses, et quinque erant Aragonenses et duodecim erant Toletani. Charaginenses erant septem, Cordubenses erant quinque, scilicet nos Virgilius et Seneca et Avicena et Aben Royz et Algacel. Hispalenses erant septem. Philosophi Marrochitani et omnes alii ultramarini erant duodecim. Omnes isti¹⁾ philosophi erant tempore nostro conjuncti in studio Cordubensi et aliqui legebant de suis scientiis et aliqui non. De scholaribus, qui ibi erant, audientibus erant numero septem milia et amplius. De illis philosophis duodecim Toletanis tres illorum erant magistri Astrologiae, qui vocabantur sic: Calafataf, Gilibertus, Aladansac; et alii tres philosophi illorum erant magistri nigromantiae, quorum discipulus Toleti nos fuimus, et quidquid scimus ab eis audivimus et de eis scimus et vocabantur sic: Philadelphus et Liribaldus et Floribundus; et alii illorum philosophorum erant

1) Vix ita intelligendus videtur Noster, ut suo tempore et Senecam et Avicenam et Averrhoen et Algacelen vixisse dicat, sed Legionenses, Navarrenses, Castrenses aliarumque partium philosophos confluxisse Cordubae nos docet.

magistri in pyromantia et in geomantia et in aliis scientiis multis, qui vocabantur sic: Beromandrac, Dubiatalfac, Aliafil, Quonaalfac, Mirrazanfel, Nolicaranus: isti duodecim temporibus nostris erant philosophi Toletani et erant semper in unum contra omnes alios philosophos in omnibus disputationibus suis: multotiens isti super omnes alios praevalebant et vincebant, et isti philosophi duodecim Toletani composuerunt et fecerunt multos libros de philosophia in arabico et de multis aliis scientiis composuerunt libros et fecerunt et sunt approbati et autentici; et tres Philosophi istorum erant medici, et curabant homines mirabiliter de omnibus infirmitatibus suis, ita quod nullus moriebatur infirmus, si in manibus suis se ponebat. Tales medici erant! Pro mala custodia multi moriuntur. Ubi bona custodia est, summa diligentia est. Qui ab adversis se custodit caute agit. Aequalitas ubique bona est. Honestas quandoque utilis est. Qui aliquid scit debet ostendere. Scientia abscondita nihil valet!

— Tunc erant septem magistri de grammaticalibus qui legebant cotidie Cordubae, et erant quinque de logicalibus continue legentes et tres de naturalibus qui similiter cotidie legebant, et duo erant magistri astrologiae, qui legebant cotidie de astrologia, et unus magister legebat de geometria, et tres magistri legebant de physica, et duo magistri legebant de musica, de ista arte quae dicitur organum, et tres magistri legebant de nigromantia et de pyromantia et de geomantia. Et unus magister legebat de arte notoria, quae est ars et scientia sancta, et ita debet esse sanctus, qui eam voluerit legere: similiter et audientes sancti et immaculati et sine peccato debent esse: aliter nullus de ista scientia sancta se debet intro-mittere, nisi fuerit sine peccato, quia est ars angelica; et angeli boni et sancti composuerunt eam et fecerunt, et postea sancto regi Salomoni angeli boni et sancti dederunt et ipsi angeli in ista scientia sanctum Salomonem magistrum fecerunt et eum in ea imbuerunt; et est haec ars et scientia sancta, quia ista omnes aliae sciuntur et per istam omnes aliae scientiae possunt scribi sine difficultate aliqua et sine defectibilitate aliqua et sine diminutione aliqua.

Et per istam scientiam sanctam sanctus Salomon daemones constringebat et ad se venire faciebat, et tunc quidquid eis praecepiebat statim factum erat, et angeli sancti venerunt ad beatum Salomonem et dixerunt sibi quod daemones isti maligni totum mundum illudebant et decipiebant, et tunc sanctus Salomon conjuravit eos omnes, et alligavit eos in quodam phiola vitrea et demergit eos in profundum maris. Postea quidam daemo, qui est claudus, non intravit ibi cum eis in phiala, quia sero venerat, et postea ille extraxit omnes alios inde. Postea omnes alii daemones comparuerunt sancto regi Salomoni et dixerunt: voluisti nos illudere et illaqueare: sed tu eris illusor et illaqueatus. Tunc beatus Salomon coepit contristari multum et irasci et iterum voluit eos alligare, sed non potuit, quia jam non veniebant sibi nisi pauci, quia non erant ausi jam venire omnes; et ex tunc timuerunt eum multum daemones quod antea non timebant eum. Postea vocavit eos multotiens et veniebant sibi, sed non omnes et faciebant praeceptum suum et voluntatem suam complebant nolendo volendo. Postea venit angelus Domini et dixit sancto Salomoni: de cetero ne constringas eos quia voluntas primae causae est ut ambulent sic; quia ad hoc sunt constituti, ut sint tortores

malorum et cruciatores et tormentatores animarum malarum: ex tunc dimisit eos sanctus Salomon et noluit eos amplius concludere nec stringere nec vocare eos ad hoc ut ligaret eos. Bene vocavit eos postea multotiens pro aliis rebus sed non ut ligaret eos. Debetis scire quod sanctus Salomon per istam scientiam sanctam, quae vocatur ars notoria, scivit omnes alias angelo docente, quia angelus Domini ita loquebatur cum eo sicut si esset homo carnalis, et sic scivit omnes alias scientias. Post magnis temporibus venit Alexander¹⁾ rex Graecorum et subjugavit totam terram, excepta Hispania, quae nunquam voluit sibi obedire, nec tributum aliquod reddere; quamvis Dominus totius mundi et rex se appellaret, nunquam Hispaniam potuit subjugare, quamvis Dominus totius mundi se vocaret et licet Alexander multotiens super Hispaniam venisset, et cum Hispanis proelium frequenter habuisset, numquam eos potuit superare nec devincere, imo ipse fuit ab Hispanis multotiens devictus et superatus et nimium confusus et ex quo vidit quod ista gens ita fortissima erat, quod eos devincere non potuerat, et transivit ad partes ultramarinas et accessit ad Jherusalem, et ibi fuit receptus honorifice et benigne, et intravit in templum Salomonis et vidit ibi multa mirabilia et stetit ibi aliquantulum temporis et habebat secum quendam hominem, qui erat custos suus et magister suus et vocabatur Aristotiles, et iste Aristotiles scivit secrete quod Salomon habuerat multos libros de omnibus scientiis et ivit occulte ad illum locum et extraxit inde omnes illos libros Salomonis et coepit studere per eos efficaciter, ita quod post paucum temporis fuit inde philosophus maximus et magister, et sic Aristotiles habuit scientiam magnam cum illis libris Salomonis, quod ante parum sciebat, et a natura sua nimis rudis erat, et ideo per illos libros regis Salomonis Aristoteles illuminatus est et magnus philosophus factus est. Ideo bona est scientia adquisita.

Ille laudandus est, qui per scientiam adquisitam bonus clericus est. Omnis scientia in anima est. Duplex est scientia; est scientia adquisita et est scientia infusiva. Est scientia adquisita per magnum laborem habita: scientia infusiva est quae creatur cum anima. Scientia adquisita est per accidentia, scientia infusiva est quid proprium animae. Aliqui habent scientiam apparentiae, alii habent scientiam existentiae. Certe totum hoc laudandum est semper. Ille vituperandus est, qui nec habet apparentiam nec existentiam. Multi melius intelligunt scientiam quam proferunt. Similiter et multi aliter proferunt quod non intelligunt et hoc est laudabile qui ut intelligit ita profert. Quam laudandus debet esse qui bene intelligit et bene capit, et postea totum sic recipit, sed pauci sunt de istis, quia scientia labilis est et mobilis est semper. Qui acquirit scientiam, acquirit laborem, et qui capit honorem capit laborem et ruborem. Qui bis in die comedit melius dormit et magis fortis erit, et qui bene comederit et bene dormierit substinebit laborem. Nihil est in re quod prius non sit in intellectu. Quod manifestum est negari non potest. Omnia reguntur proprio intellectu. Incaute agit qui se ipsum condemnat. Qui te scit, ille te interficit; qui te non cognoscit

1) Fabulas suas de Alexandro Noster unde sumpserit nescio.

non potest multum te nocere. Qui potest praevalere praevaleat. Nullus cupit esse devictus, unusquisque cupit vincere.

De cetero volumus operi nostro finem agere, quia melius est paucum et bonum, quam multum et malum. Idcirco volumus vobis omnibus breve opusculum agere ut saporem bonum inde recipiatis et gaudium perinde habeatis, et sine dubio multum debetis gaudere, quia dedimus vobis responsionem brevem et certam de rebus, in quibus dubitabatis, et certificavimus vos inde, et quaestiones varias difficiles vere determinavimus et explanavimus, prout melius scivimus, et a spiritibus malignis audivimus. De cetero debetis vos omnes Hispani, qui usque modo gentiles fuistis de malo statu ab bonum convertere et malam sententiam dimittere et bona committere, quae est prima causa quae nunquam habuit principium nec habebit finem, quae prima causa coelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt creavit et ex nihilo cuncta fecit, cui omnia obediunt et fideliter serviunt. Haec prima causa vocatur Deus, et est spiritus increatus, et est in se trinus et unus; et iste est Deus solus et non est alius Deus in isto mundo nec in alio; sed ipse regit omnia, a quo sunt omnia et in quo sunt omnia. Iste Deus est adorandus, iste est colendus, iste est credendus, iste est reverendus, iste super omnia debet esse diligendus. Idcirco vos alii, qui estis Hispani in istum Deum firmiter et fortiter credatis et ipsi soli verissime serviatis, ut perenne bonum ab eo recipiatis et sicut estis fortiores omnibus aliis hominibus in armis et magnamiores, ita sitis robusti et fortes et firmiores in hac secta, et in hac confidentia, quae usque modo veram praedicavimus et narravimus et aperte declaravimus. Insuper nos Virgilius rogamus vos omnes philosophos qui estis lectores philosophiae ut istum librum scholis vestris legatis et aliis legere faciatis, ut legentes et audientes in istum Deum firmiter credatis, quia usque modo omnes fuimus errantes, et in tenebris ambulantes dicendo multa mendacia et audiendo et operando nimias fallacias et sequendo et credendo res mutas et vanas, quia hactenus caeci fuimus et lumen non habuimus; et ideo non sumus tantum culpandi sed modo ex quo videamus et ipsum Deum verum agnoscemus in ipsum firmiter et fortiter credamus et Deum verissime diligamus.